


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



WIDENER LIBRARY
HX J8ZD W



Ital 4838.1.6

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)

16 May, 1891.



ECCLESIÆ VENETÆ
ANTIQUIS MONUMENTIS
NUNC ETIAM PRIMUM EDITIS ILLUSTRATÆ
AC IN DECADES DISTRIBUTÆ.

AUTHORE
FLAMINIO CORNELIO
SENATORE VENETO.

DECADIS DECIMÆ SEXTÆ PARS POSTERIOR.



VENETIIS,
MDCCXXXXIX.

Typis Jo: Baptistæ Pasquali
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

~~III. 1081~~
Ital 4838.1.6

1881, May 16.
Minot fund.



DE
ECCLESIA PATRIARCHALI
SANCTI PETRI
APOSTOLI.

MAgnopere diſſident rerum Venetarum Scriptores in proprio Olivolenſis caſtri loco aſſignando, ubi poſita Epiſcopali Sede nomen in Epiſcopatum ipſum, & Epiſcopos derivavit. Atque aliis quidem leviſſimas conjecturas captantibus placet Inſula illa, quæ Sancti Andreæ de litore dicebatur, quamque antea Canonici Regulares, nunc Cartuſiani Monachi incolunt. Alii vero malunt ſic dictam S. Helenæ Inſulam, quam pariter olim Regulares Canonici, nunc temporis Monachi Olivetani obtinent. Sed omnibus mature perpenſis, illa longe veri eſt ſimilior opinio, quæ ibidem Olivolenſe caſtrum fuiſſe aſſerit, ubi nunc Templum Divo Petro ſacrum, eique annexum Patriarchale Palatium, in Inſula, modo Quintavallis nuncupata, conſurgunt. In ipſis quidem naſcentis Urbis exordiis fuit ibi Eccleſia in honorem Sanctorum Sergii, & Bacchi ædificata, quo-

rum sacra lipsana in eandem fuerant, ut mox dicemus, translata. Sed instituto postea Olivolensi Episcopatu Ursus Badoarius opportunam prout ævo illo Cathedralem substituit, & Apostolorum Principi dedicavit.

In hujusmodi rebus, quæ propter monumentorum defectum jacent inter tenebras antiquitatis, ita apud me statui, ut ne discedam unquam a Chronico Danduli. Scilicet ipsa me docuit experientia authorem hunc, & accurato mentis studio, & sincero animi candore usum in scribendo fuisse. Chronologi vero reliqui, qui sive editi, sive mss. circumferuntur, apertos errores identidem, & aniles fabulas adoptarunt. Est igitur cur illis caute diffidam, & pauciora potius, sed certiora a Dandulo mutuata depromam.

Ipsius itaque Chronologi testimonio addiscimus, Patavinos, cæterosque antiquæ Venetiæ populos metu Hunnorum, qui sub Atila Duce in Italiam secundo irruperant, e propriis urbibus profugos ad maris Adriatici æstuaria se contulisse, eminentesque paludes ita ad habitationum usus vel aptasse, vel perfecisse, ut firmas, nobilesque Insulas constituerent. "Cum
„ vero tantæ multitudini (ita laudatus Dandulus lib.... cap.
„ v. par. v.) prædictæ Insulæ non sufficerent Tumbam non
„ longe ab his extare in ostio portus prospexerunt, in qua
„ antiquissima mœnia videbantur affuisse, compertumque est,
„ hanc esse illam, in qua Trojani Duce Anthenore post ex-
„ cidium Trojæ in sinu Adriatico primitus habitaverunt, vo-
„ cata prius Troja, postea vero pagos, idest Castrum, Olivu-
„ los Latine dicitur quid plenum, ubi non est dare vacuum,
„ & in ea profugorum pars non minima sua firmavit domi-
„ cilia, Ecclesiaque sub vocabulo Sanctorum Sergii, & Bac-
„ chi, ibi postea constructa est per nobiles Tribunos Vene-
„ tos Simachales nominatos, qui Cavatorta nunc vocantur.
„ Hac quoque persecutione furente, ait Pontius, quod Urbi
„ Venetiæ nunc florens, & potens, condita reperitur ab his,
„ qui de Provincia Veneta manus Atilæ fugerunt.

Non tamen omnes, qui ex iis cladibus evaserant, perpetuam sibi in iis Insulis sedes fixerunt, plurimi enim *sedatis invasionibus* (ut testatur loci citati par. x. Dandulus) *ad priora domicilia redierunt, cæteri vero de recidivatione dubitantes in Insulis remanserunt, & Ecclesias plurimas secundum eorum devotio-*

votio-

vationes successive construi fecerunt. Verisimile est (nec enim obscura ea tempora monumentis adhuc extantibus illustrantur) eas Ecclesias populosque per Veneti stagni Insulas dispersos sub immediata Gradensis Patriarchæ spirituali administratione fixisse, donec circa sæculi VII. medietatem plures per Veneta æstuaria Episcopales Sedes fundatæ fuerunt, ab iis potissimum Episcopis, qui Longobardicæ perfidiæ furore a propriis Ecclesiis vel ejecti, vel dilapsi tutum sibi in Adriatici maris lacunas libertatis, & fidei asilum invenerunt: Ut autem Episcopi Ecclesias suas, ea ingruente procella, desererent, hoc potissimum in causa fuisse traditur, quod *Rotharith* Longobardorum Rex Arianus devastato Opitergio, in cæteris suæ ditionis Urbibus Arianos Episcopos constituerit, qui ea labe infectis præessent, cæterosque Catholicos populos, si fieri posset, in errorem adducerent. *Tunc Magnus vir Sanctus*, & Opitergii *Catholicus Episcopus cum devota plebe ad contigua litora perveniens Heracliam Civitatem construxit*, & *auctoritate Severini Papæ*, & *Primogenii Patriarchæ in eadem urbe sedem suam perpetuo collocavit*.

Ex antiquissima, & recepta Ecclesiarum traditione receptum est, (quod & sæpe sæpius dixi) circa ea tempora Divum Magnum Episcopum ad Rivoaltensem, & Olivolensem Insulas adventasse, ibique Divina admonitum revelatione Ecclesias multas ædificasse, quarum prima Divo Petro Apostolorum Principi consecrata legitur ex antiquis Lectionariis, & Passionariis Ducalis Basilicæ, in quibus hæc habentur: " Cum Vir
" Sanctissimus suo more orando spiritu raperetur, primo ap-
" paruit ei B. Petrus Apostolus, dicens: Magne, Vir Deo
" acceptissime, tua opera, & diligentia fieri placet, ut in ea
" Urbe, quæ nunc in extremo Adriatici maris sinu erigitur,
" nomini meo Ecclesia fundetur, in eo scilicet loco, ubi oves,
" bovesque pascentes inveneris. Ædificabatur autem tunc Ci-
" vitas hæc Inclita Venetiarum, in diversis Insulis in medio
" lacunarum positis.

Cohærent tum vetustissima Divi Magni Legenda allata Operis hujus Tom. VI. pag. *619*. tum Petrus de Natalibus in Catal. & cum eo plurimi rerum Venetarum Chronologi, qui mirabilem ædificationum seriem descripserunt. Eam deinde Ecclesiam, quam vir venerabilis Apostolorum Principi extruxerat,

xetat, Ursus Baduarius IV. Olivolensis Episcopus vel ornatius ampliavit, vel absolute renovavit, atque in ea Olivolensis Episcopatus Sedem constituit, quæ prius in vetustissima Sanctorum Sergii, & Bacchi Ecclesia ab Obealto firmata fuerat. Nec Opiterginæ Sedis tantummodo Translationem confirmavit authoritate sua Severinus Papa, sed & Mauritio Altinati Episcopo de Episcopali Sede in Torcelli Insula statuenda privilegium indulsit, quarum propterea Ecclesiarum exordia ex brevi Severini Pontificatu ad annum DCXXXIX. alliganda erunt. Sed & *Paduanæ Urbis Catholicus Episcopus Arianam sectam declinans in Methamauco* Joannis IV. Papæ *fultus privilegio cum consensu Patriarchæ, & collaudatione populi sedem suam perpetuo transmutavit, in cujus Diœcesi Rivoaltensis, & Olivolensis Insulæ situatæ erant, & tanquam spirituali Presbytero incolæ reverentiam exhibebant*. Episcopum hunc Patavinum, qui iniqua Rotharis lege vexatus Methamaucum refugit, ne cum Arianis communicaret, Berguardum fuisse, asserit Ughel. in Patavinis Tom. III. col. 427, at cum eum anno 647. post Tricidium delectum referat, consequens est, ut non ipse, sed potius Tricidius, qui toto Joannis IV. Pontificatu in Patavina sede vixit, impii decreti horrore ad æstuaria confugerit; Nec Berguardum nominat Dandulus in Chronico, qui Paduanæ Urbis Catholicum Episcopum suppresso nomine, scribit in Methamauco Sedem transmutasse.

I. Olivolensis deinde Episcopatus erectionem, & primi Olivolensis Episcopi institutionem actas anno circiter DCLXXIV. enarrat Dandulus in Chron. lib. VII. cap. XII. part. XVI. & seq. his verbis: " Usque ad hæc tempora (annum videlicet jam„ dictum 674.) Insulæ omnes, in quibus primo Patavini Ci„ ves incolatum habuerunt, sub uno tantum Episcopo, sci„ licet Mathemaucensi, extiterunt. Nunc vero parte subtra„ cta Cleri, & Populi, pari collaudatione, in Castro Insulæ „ Olivolensis vetustissima Sedes Cathedralis instituta est, ei„ que coadhærentes Insulæ Geminis Rivoalti, Luprii, & Dor„ soduri suppositæ sunt, quæ Privilegio Hadriani Papæ robo„ rate fuerunt. Post hæc Venetorum Populi, & Cleri Syno„ dus adunata, assistentibus Duce, & Patriarcha, Obelerium „ Clericum filium Hencageli Tribuni Mathemaucensis, Sedis „ prædictæ Episcopum laudavit, & laudatus a Duce investi-

tus,

„ tus, & intronizatus, a Patriarcha quoque consecratus est XI. „ Ducis anno. Titulus autem ei juxta Græcam pronunciatio- „ nem Episcopus Olivolensis decretus est, secundum Latinam „ vero Olibolensis. Tenuit quoque Episcopatum annis XIII.“ Sunt qui Episcopum hunc Obealtum seu Obelaltum, & Obelliebatum ejusque patrem Enegrum, & Evagrium appellant, ut ego Danduli authoritatem sequutus Obelerium Hencageli Tribuni filium primum Olivolensis Sedis Antistitem statuo, quem Joannes Patriarcha Gradensis consecravit, Mauritii Galbaii Venetiarum Ducis anno XI. ære videlicet vulgaris anno *674.* ad finem vergente, vel anno insequente *675.* ineunte. Sub hoc Episcopo fundatam fuisse *a Familia Baduaria* Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ anno *790.* tradit Ughellus, cujus ego ædificationem ex Sansovino, aliisque Chronologis ad annum circiter *970.* alligavi Operis hujus Tom. VI. pag. 328., neque enim adhuc nobilissima ea familia Venetias anno *790.* adventarat, quam ad urbem una cum Ducali Sede se transtulit anno *809.*; putandum ergo ex iisdem numeris, quibus annus *970.* connotatur ann. *790.* ex æquivoco Ughel. efformasse. Cæterum ne dubia certis, & falsa veris misceantur, fabulas, quas in suis Collectaneis de Episcopis, & Patriarchis Venetis seu collegit, seu concinnavit Angelus Maria Canonicus Regularis S. Salvatoris, prætermittendas potius, quam in lucem efferendas censeo, cum & ipse doctissimus Ughelli adnotator, quamvis eas libenter protulerit, commenta esse ex vulgi rumoribus concinnata, & inepte composita fateatur. Vixit Obelerius in Episcopatu annis, (ut scripsit Dandulus) XXIII.

II. Christophorus hujus nominis primus, quem aliqui Damiatum ex familia scilicet Damiata appellant, natione Græcus ætatis suæ annum agens XVI. faventibus Joanne, & Mauritio Venetiarum Ducibus, quibus juvenem virum commendarat Nicephorus Orientis Imperator, Episcopus adligitur circa annum Domini *797*; Consecrationis tamen munus puero impendere detrectavit Joannes Gradensis Patriarcha, unde in furias acti Duces, qui salutaria optimi Præsulis monita sibi facta gravate tulerant, nova odii causa excitati classem, cui Mauritius Dux præerat, Gradum adduxerunt, raptumque violenter Patriarcham e turri altissima præcipitem dederunt, cujus sanguis in ipsius mortis testimonium lapidibus adeo constan-

stan-

stanter adhæsit, ut usque ad Ducis Danduli tempora sensibiliter appareret.

Plurimi interea Nobilium, *quibus patratum scelus displicuerat*, Tarvisium collecti *suasione illorum, qui in Venetia morabantur, Obelerium Tribunum Ducem elegerunt*, cujus electionis nuntio territi Duces, relictis Ducatu, & patria *in Franciam perrexerunt. Christophorus quoque Olivolensis Episcopus, qui expulsorum Ducum familiaris extiterat, adventum ejus formidans, de Venetia exivit, in cujus Sede Joannes Diaconus collaudatione publicæ concionis intrusus est.*

In Franciam pridem *iverat Fortunatus Patriarcha*, ut Caroli Magni ibidem imperantis animum, enarrata sui prædecessoris occisione, adversus Venetos concitaret, qua in regione degentem amicitias cum Christophoro Episcopo junxisse, ipsumque fortasse etiam consecrasse dicendum est, cum enim post varias rerum vicissitudines, quas fuse enarrat Dandulus, de Francia reverteretur, Christophorum Episcopum secum deduxit, summoque studio apud Venetos egit, ut, Joanne invasore expulso, in sede sua restitueretur.

Non diu tamen in sua sede permansit, siquidem cum *Francorum genti adhærere* videretur, a Venetis in exilium ablegatus Constantinopolim perductus fuit, ubi e vivis excessit duodecimo sui Episcopatus, ætatis vero anno XXVIII. Hæc accuratissime exarata leguntur in vetustissimo Chronico, cujus authorem Joannem Sagorninum fuisse, vulgo traditur, ex quo multa Dandulum exscripsisse verisimile est. Ipsius Chron. fragmentum varios Christophori Episcopi eventus exhibens afferimus.

„ Mortuo Obelliebato Episcopo qui Olivolensem Episcopa-
„ tum rexerat annis XXIII. Christophorus extitit ei successor II.
„ *Enarata deinde Joannis & Mauritii Ducum fuga subdit:* Chri-
„ stophorus etiam Olivolensis Episcopus dum Obellerii Ducis
„ non auderet adventum prestolari, cum prædictis Ducibus fu-
„ ga lapsus est. Tunc idem Obellerius audacter Venetiam in-
„ travit, qui cum devote & honorifice a populo susceptus es-
„ set, suum fratrem videlicet Beatum nomine dignitate fecit
„ sibi socium. Hac etiam tempestate Civitas Nova, quæ vo-
„ catur Heracliana, a Veneticis destructa est. Deinde prædi-
„ cti Duces Navalem exercitum, ad Dalmatiarum Provinciam
„ depopulandam destinaverunt; Olivolensis namque Sedis, quæ
„ proprio pastore vacua videbatur Joanni Diacono electo a

Plebe

„ Plebe fuerat attributa. Post aliquod vero tempus Fortunatus Patriarcha, cum Christophoro Episcopo de Francia repedavit, quibus cum fas non esset Venetiam penetrare, in S. Cypriani Ecclesia, Plebe scilicet Altinatis Episcopii, quæ sita est apud Mistriam, hospitati, & aliquandiu commorati sunt. Verum postquam Dompnus Fortunatus Christophori Episcopi Sedem a Joanne Diacono injuste usurpatam didicit, prorsus doluit, & tractare studiosissime cœpit, qualiter sibi faveret, ut eum ad propriam Sedem restituere posset. Joannes siquidem prædictus Diaconus quadam die cum incautus iret, a Fortunato Patriarcha captus, & diu detentus est, sed ut excogitaret, quid de illo agere deberet; nocte fuga lapsus evasit, & instanter Obellerium Ducem adivit. Cui cum ea, quæ passus a Fortunato fuerat, ordine recitaret, potius Ducis animum adversus eumdem Patriarcham in odium, quam antea esset, excitavit. Tamen consulente Patriarcha, Christophorus sedem suam tandem recepit. Joannes vero Diaconus reversus est ad propriam domum. Igitur Fortunatus Patriarcha cum per aliquanta temporum spacia exul a propria Sede maneret, Gradensem disposuit recuperare Urbem, & quia valde Nicetæ Patricii adventum prestolari formidabat, qui tunc missus ab Imperatore, cum exercitu in partes Dalmatiarum, atque Venetiarum veniebat, relicta Sede, & propria Urbe, iterum Franciam petiit. Joannes vero Diaconus, qui electus fuerat in Episcopatu Olivolensi ordinatus est Patriarcha. Obellerius siquidem Dux per Nicetam patricium, spatarii honorem suscepit. Beatus vero Frater ejus, cum prædicto Niceta Constantinopolym ivit; secumque deferens Veneticorum obsides & Christophorum Episcopum, & Felicem tribunum, quos Augustus exilio damnavit. Gubernavit autem prædictus Christophorus Olivolensem Ecclesiam annis duodecim quem successit Christophorus Presbiter, qui Sancti Moysi Ecclesiæ extitit Plebanus.

III. Christophorus hujus nominis II. quem Tancredum agnomine vocant nonnulli ex Chronologis Venetis, circa annum Domini 810. adelectus fuit, de quo hæc Dandulus lib. 7. cap. 15. par. xix. “ Christophorus II. Olivolensis Episcopus „ natione Græcus sedit annis 16. Hic Plebanus S. Moysis fuit

„ suaque Hypocripsi decipiens populum factus est Episcopus, „ qui dum in Ecclesia S. Theodori Missarum solemnia celebraret, a Dæmone vexatus est, indignusque Episcopatus judicatus ejectus est. “ Multa de hoc Christophoro commenta vel hausit, vel concinnavit Angelus Maria in suis collectaneis, quæ cum deliramenta potius quam fabulæ videantur, consulto sicuti, & cætera ejusdem authoris prætermitto. Eo Ecclesiam Olivolensem administrante *Veneti in Concione Publica congregati sanxerunt* anno 809. *Ducalem Sedem de Mathemaucense Urbe sublatam in Rivoalto persistere; quibus peractis* Angelum Particiacum, *Ducem constituerunt Catholicus* vero Dux *ab Heraclia*, unde *originem duxerat*, corpora Sanctorum Sergii & Bacchi (ut tradunt nonnulli ex Venetarum rerum Chronologis) Venetias transtulit, & in Cathedrali Ecclesia ipsis dicata in marmoreo sepulcro reposuit in Castro Olivolensi; quæ deinde divorum Martyrum lipsana ædificato, seu potius reædificato ut mox dicemus Divi Petri Apostoli Templo, in illud per Ursum Badoarium IV. Olivolensem Episcopum translata fuerunt. Præclaram de Sancto Sergio Martyre mentionem ingerit Joannes Theupulus Patriarcha Venetiarum in libro, cui titulus: *Trattato dell' ira di Dio*, in cujus pag. 1025. Sanctissimum Martyrem Sergium asserit, a Domino facultatem obtinuisse, ut Venetiarum Urbem ab hostibus tutaretur præsidio gloriosi sui corporis, quod in Cathedrali Templo asservatur; deinde pag. 1028. subdit: “ Per quello poi che appartiene al santissimo Sergio Martire, il cui sacro corpo „ già secoli si rinvenisse nella già detta Cattedrale di S. Pietro, chi potrà negare, che egli più volte non habbi difeso, & sii per difendere questa Città, dentro di cui le sue „ sante reliquie divotamente si serbano, quando che non contento di haver del proprio nome degnato la Città di Sergiopoli nell'Asia, quella con l'istesse sue reliquie preservò, „ & difese da potente, & insuperabile esercito di Cosroe Re „ di Persia, perchè havendo quel barbaro Prencipe posto l'assedio sotto le mura di essa, & li Cittadini mandati a rendersele, & donatole ogni lor denaro, egli suspicando, che „ molto più fossero le ricchezze occultate, che le presentate, insistendo per la esibitione dell'altre, & rispondendoli „ li Cittadini, che altro di prezzo non si trovava più dentro

il

„ il recinto della Città, che un vaso d'argento, nel quale
„ si venerava il corpo di S. Sergio; Cosroe irato spinse il
„ grosso delle sue forze per occuparla; ma di subito che le
„ machine se le accostorono comparvero sopra le mura in nu-
„ mero molti Cavalieri armati in grosse schiere; il che vedu-
„ to da soldati Persiani sbigottiti riferirono al Re, che non
„ si potrebbe così facilmente prendere essendo d' improviso
„ stata munita, e presidiata da valorosi, & spaventevoli mi-
„ litie, ma Cosroe cercando diligentemente di sapere, come
„ ci fosse entrato quel soccorso, & come potesse essere che
„ dentro di Sergiopoli ove a tempo della deditione erano ri-
„ masto se non femine, li fanciulli, & li vecchi, essendo
„ morti tutti li più animosi diffensori di quella nell'obsidione
„ si ravvide queste esser state forze mandate dal Cielo col me-
„ zo del Santo Martire a diffendere quella Città, e di tal suc-
„ cesso attonito si partì da quell'impresa, & come s'intese
„ poi, non molto inanzi la sua morte ricevè l'acque salutari
„ del Battesimo. Così anco tu o Vinegia sotto il vessillo di
„ questo celeste Campione, non haverai punto a temere l'in-
„ sulto de tuoi nemici. Postosi egli alla diffesa della parte
„ principale della Città che Castello si noma, come è soli-
„ to de i Generali dell'armi di retirarsi in persona alla dif-
„ fesa della più importante, & principal parte dello Stato di
„ quel Prencipe che gli è dato a diffendere.

Sanctorum Martyrum natalitia a Clero Venetæ Urbis sub semiduplici ritu coluntur, sub duplici vero in Ducali, & Patriarchali Basilicis, quorum hæc potiorem corporum partem sub nomine corporis, in marmoreo monumento asservat, illa vero insignes reliquias ex ipsis corporibus ablatas obtinuit; Peculiare horum Offitium ex antiquo Divi Marci Passionario eductum in Breviarii reformatione utebantur D. Laurentii Venetiarum Sanctimoniales.

Subscripsit Christophorus instrumento, quo Angelus, & Justinianus Duces Venetiarum Joanni Abbati S. Servuli celebre S. Hilarii Monasterium concesserunt anno 819, quod quidem oblationis diploma a nobis exhibitum fuit Operis hujus Tom. v. pag. 103. Sub eodem Episcopo extructum fuisse Monasterium S. Zachariæ, & Templum S. Joannis Baptistæ in Bragora refert Ughel.; at (ut alibi diximus) ædificatio illustris Mona-

sterii ad Justiniani Particiaci tempus alliganda est, in quo jam Christophorus a sede ejectus fuerat, Ecclesia vero S. Joannis Baptistæ in Bragora renovari potius, quam ædificari mandavit Joanne Talonico.

IV. Ursus Joannis Particiaci Ducis filius post expulsum Christophorum in Olivolensi Sede collocatus fuit. Piissimus Præsul eo in loco, ubi primitus Divus Magnus Episcopus Ecclesiam Divo Petro Apostolo, ex revelatione sibi divinitus facta constituerat, ampliorem aliam ornatioremque inchoavit, quam & Cathedralem esse decrevit, eamque post IX. annos (ut testatur Dandulus) completam III. *Kal. Junii consecravit, & Reliquias Sanctorum Sergii, & Bacchi in ea deposuit*. Sacrarum translationem Reliquiarum refert etiam Marinus Sanutus in Chron. ubi Olivolenses Episcopos recenset: " 841.
„ Urso Particiaco, cioè Badoer Veneto; fece edificar la Chiesa
„ di S. Pietro di Castello, & era Vescovo, quando fu porta-
„ to qui il corpo di S. Marco d' Allessandria, il quale mise
„ nella detta Chiesa di S. Pietro le reliquie di SS. Sergio, e
„ Bacco ". Interea dum Ursus Episcopus Ecclesiam sibi commissam laudabiliter administrat, Carosus Tribunus seditione facta Joannem Ducem Ursonis Episcopi Patrem a patria expellit, & Ducatum invadit, sed paulo post obcœcatus, & in exilium pulsus meritas perfidiæ suæ penas luit; *Veneti vero Joannis Ducis redditus præstolantes Ursonem Olivolensem Episcopum, Basilium Transmundo, & Joannem Martirio sibi Rectores esse decreverunt, posteaque Joanne Duce reverso cum laudibus Ducatum integraliter restituerunt*.

Anno 853. suum condidit Ursus Testamentum, in quo præclara ejus pietas ex legatis ibidem statutis elucet; Ecclesiam enim Cathedralem a se ædificatam amplissimis auxit muneribus, sacras vero ædes Divis Laurentio, & Severo dicatas, quas de jure & proprietate Patris sui habuerat, Romanæ Sorori suæ, ut Monasterium ibidem fundaret, pio legato dimisit; hæc autem ad Ecclesiam S. Laurentii fusius protulimus.

His actis religiosus Præsul, qui Urbem, & multis Ecclesiis ornatam, & Divi Evangelistæ Marci sacris exuviis ditatam viderat, e vivis excessit vigesimo sexto sui Episcopatus anno.

Urso Particiaco datum fuisse successorem Zachariam Candianum, refert Chronicon Andreæ Naugerio perperam attribu-

tributum (indignum enim tanto viro est opus illud *fabulis*, *&* *anachronismis* scatens) quod publici juris fecit Muratorius Tom. XXIII. Rerum Italicarum. In eo col. 948. sic legitur :
„ E questo fu del 839. Essendo morto Messere Orso Badoer
„ Vescovo Olivolense contra la volonta del Dose fu fatto Ve-
„ scovo un Messere Zaccaria Candiano. Per la qual cosa il
„ Doge fu molto mal contento, perchè egli voleva fare Ve-
„ scovo un suo amico, e volealo fare non come Doge, ma
„ come un tiranno.

V. Maurus seu Mauritius Venetus circa annum Domini 853. ad Olivolensem Cathedram adlectus fuit ; cujus Pater Genianus Businiacus Ecclesiam S. Margharitæ ædificavit. Refert Marinus Sanutus in Chron. Maurum antequam Olivolensem Episcopatum acciperet S. Margharitæ Parœciam Plebanum administrasse, additque Ughel. Ecclesiam ipsam S. Margharitæ, a Patre constructam dedicasse. Obiit sui regiminis anno Decimo.

VI. *Dominicus natione Venetus* (ut refert Dandulus) *ex patre Joanne Apollo sedit ann. X. Hic ex suasione Ducis factus est Episcopus, quia ex cognatione sua*. Hactenus Dandulus. Ducem hunc a Dandulo connotatum Joannem Particiacum fuisse scribit Ughellus ; Ursum vero pariter Particiacum asserit eruditus Ughelli adnotator ; at cum Andreas Dandulus Dominici Episcopi electionem inter gesta Petri Trandonici recenseat, necesse est ex clarissimo authore fateri suasione ipsius Petri ad Olivolensem Sedem adlectum fuisse Dominicum ex Trandonica potius, quam ex Baduaria gente progenitum. Episcopo huic Apostolicas dedisse epistolas Joannem hujus nominis Papam VIII. tradunt Ughellus, & ejus Adnotator, hæque litteræ extant in collectione Veneta Labbeana Conciliorum Tom. XI. col. 12. datæ Kal. Decembris Indict. X. anno nempe 877. vel si Indictio numeretur a Kal. Septembris anno 876. Cum igitur ex Dandulo teneamus Dominicum electum fuisse Episcopum, Rempublicam administrante Petro Trandonico, qui extremum diem egit anno 864, & ex Joannis Papæ Epistola agnoscamus ipsum Dominicum anno 877. vel 876. in vivis degisse, profecto, ut omnia sibi cohæreant, dicendum est, numerum annorum Episcopatui Dominici a Dandulo assignatum Amanuensis errore fortasse vitiatum fuisse, atque ideo

pro

pro X. reponendus XIII. vel XIV. numerus. Nec objiciendum est, quod codices omnes in eo numero assignando concordent, siquidem ad omnes vitiandos sufficit error primi Amanuensis, qui ex autographo transcripsit. Mortalitatem itaque exuit Dominicus circa annum Domini 877.

Crassus Fatius, quem Crassum Zagum appellat Angelus Maria in Collectaneis, in serie Episcoporum Olivolensium enunciatur a Sansovino, & Ughello; ipsum tamen a Dandulo prætermissum rejicit Adnotator Ughelli. In Manuscripto Chroniculo anonymi authoris legitur a Crasso Fatio Episcopo Olivolensi ædificatam fuisse Ecclesiam Sanctæ Fuscæ, verum cum meliora non suppetant argumenta ad statuendum contra Danduli sententiam Crassi Pontificatum, Scriptoris hujusce authoritas nullam prorsus fidem promeretur; & nos propterea cum ipso Dandulo Crassum ex Olivolensium Episcoporum albo expungimus, ex eo etiam ducti, quod vetustissimum Chronicon Sagornino attributum Joannem asserat Dominico in Olivolensi Sede nullo intermedio Episcopo successisse: *Hoc tempestate Dominicus Olivolensis Episcopus mortuus est; Dompnus Joannes Archidiaconus Marini Patritii filius in loco ejus ordinatus est.*

VII. *Joannes Episcopus natione Venetus ex Patre Marino Patritio sedit ann....... Hic erat Archidiaconus Olivolensis Ecclesiæ, qui nunc electus Episcopus una cum Leone Episcopo Methamaucensi, & Joanne Civitatis Novæ a Petro Patriarcha consecrati sunt.* Annos quos in Pontificatu egit Joannes prætermissos dolemus; ex ejus Amanuensis fortasse errore, qui Dominici Episcopi breviori numero annos vitiavit, attamen cum Dandulus Laurentii Episcopi successoris electionem ante obitum Ursi Particiaci Ducis enuntiet, qui contigit anno 871. nos Adnotatori Ughelli libenter subscribimus, qui Joannem statuit tribus annis in Episcopatu sedisse.

Joannem Aventuratium Aquilejensem ex Sansovino enuntiat Ughellus, quem alto silentio prætermittunt Dandulus, & Chronicon Sagornini nuncupatum, in quo legitur Laurentium Presbyterum ad Olivolensem Sedem regendam Joannis Marini Patritii filii successorem fuisse.

VIII. Laurentius natione Venetus ex Patre Barbatautello, quem sedisse an. xxix. notat Dandulus. Hunc ex Familia Timens

Deum

Deum progenitum Monachis Albis adscribit Sansovinus, ex quo hauriens Ughellus Laurentium Monachum S. Benedicti affirmat. Num eo tempore anno scilicet 880. longe ante Camaldulensium institutum alba veste uterentur Monachi S. Benedicti, non est meum inquirere. Anno DCCCLXXXIII. Laurentius Episcopus pro Joanne Particiaco II. Duce Venetiarum Legatus ad Carolum Crassum Imperatorem Mantuæ accessit, a quo & privilegium obtinuit, quod videre est *Rerum Italicarum* Tom. XII. pag. 189. in Chron. Danduli. Ex hac luce migravit Laurentius circa annum Domini 909. Interfectum eum fuisse a populo, *quia vi decimas exigare satagebat*, refert Angelus Maria, cujus authoritati nihil omnino deferimus. De alio Venetiarum Episcopo, Ramperto scilicet, qui dum decimas exigere niteretur, populi furore periisse fertur, inferius dicendum erit.

IX. Dominicus Methamaucensis ex Patre Barbaro Mauro Vilinico juxta Danduli Chronicon Tom. XII. Rerum Italicarum col. 197. sedit annis V. in Codice autem Ambrosiano sedisse dicitur ann. II. eum vero Ecclesiæ Olivolensi præfuisse annum unicum & menses VI. ex eodem Dandulo affirmat Collettus in adnotationibus, ad Ughellum. Quænam ex iis assertionibus Autographo Danduli concordet, quis divinet? Codici Ambrosiano standum puto, cui profecto coherere videtur Collettus, si menses VI. pro anno nondum expleto numerentur. Quæ cum ita censeri debeant, Dominici obitus ad annum 911. erit alligandus.

Angelus Maria Dominicum refert ante sui electionem stetisse in Ecclesia Torcellanensi S. Mauri, & precibus Patriarchæ Gradensis devictum, coacte Episcopale opus subiisse, quem tamen *Dux Venetus noluit acceptare*. Rei fides sit apud talem authorem.

X. Dominicus hujus nominis II. cognomento David *natione Venetus ex Patre Petro Ortiano sedit annis* XVIII. *mensibus* VII. *Hic habebat uxorem, & filios, vir in Scripturis Sanctis eruditus, qui a Clero, & Populo pariter expetitus Episcopus abscissa barba sibi, invitus Episcopatum accepit, cum quo uxor, & filii in Episcopatu permanebant, castitatem servantes, & præcepta Divina custodientes. Sed denique Episcopatum renuit, & in Hierusalem peregrinando ivit.*

Ex

Ex hac peregrinatione occasionem sibi vindicant authores Augustiniani, Dominicum inter ipsius Ordinis Antistites adscribendi, non quod ipsius Ordinis institutum ante electionem ad Episcopatum, vel in Episcopatu professus fuerit, sed quia in Eremitica vita deinde, quam elegit, vestem & regulam Divi Augustini amplexatus fuerit. Verisimiles rei conjecturas, & authores idipsum affirmantes exhibet in sæculis Augustinianis Torellus Tom. III. pag. 379. & 391. qui & ejus imaginem memorat nigra Heremitici instituti veste indutam in aula Patriarchali conspicuam esse.

XI. Petrus natione Venetus ex Patre Petro Tribuno Duce in Dominici locum suffectus fuit anno 929. qui cum Olivolensi Ecclesiæ præfuisset annis octo hominem exuit anno 938. Ecclesiam S. Mariæ Formosæ Sacris Divorum lipsanis ditasse memoravimus Operis hujus Tom. III. pag. 293.

XII. *Ursus Episcopus natione Venetus ex Patre Petro Magadisio, sedit annis* VII. *Hic fuit Vicarius Ecclesiæ Sancti Cassiani vir omni bonitate & sapientia plenus, cujus progenitores etiam Darbones sunt cognominati.* Venetas Virgines a Tergestinis pyratis prope Episcopium raptas, moxque celeri Venetorum virtute eodem die receptas anno 943. citato III. Operis nostri libro diximus pag. 297. unde celebre olim Mariarum festum originem duxit. Vixit Ursus in Episcopatu ad annum usque 945.

XIII. *Dominicus Episcopus natione Venetus ex Patre Joanne Talonico sedit annis* X. *Hic fuit Capellanus Sancti Marci, & Ducis Cancellarius, qui de Provincia vocata Bragula Reliquias Sancti Joannis Baptistæ deduxit, & in Ecclesia, quam sui Progenitores sub Sancti vocabulo fabricaverant, cum devotione deposuit.* De Ecclesia & Reliquiis S. Joannis Baptistæ vide Operis hujus Tom. IV. pag. 339. Episcopatum & vitam finivit Dominicus anno 955.

XIV. *Petrus Episcopus natione Venetus ex Patre Theodosio Marturio, sedit annis* VIII. *Hic cum parentibus suis fundavit Ecclesiam Sancti Augustini Episcopi, quam in subjectione suorum Episcoporum successorum esse perpetuo per testamentum disposuit.* Decretum de Mancipiis Christianis, cui subscripsit, affertur Tom. V. Ital. Sac. pag. 1210. Extremo Petri Episcopi anno, Christi nempe 964. Petrus Candianus hujus nominis Venetiarum Dux IV. *Joannem Contareno* (ut notat Dandul. lib. VIII.

cap.

cap. XIV. par. XV.) *& Joannem Deneum Diaconum Legatos misit Ottoni Imperatori , & ab eo obtinuit Privilegium renovationis de bonis Ducatus Cleri, & populi Venetiarum in Regno Italico situatis, pacifice possidendis, quemadmodum temporibus Caroli per Decretum cum Græcis sancitum possederant.*

XV. Georgius, ut affert Dandulus, seu Gregorius *Georgius Episcopus natione Venetus ex Patre Andreadi Georgio Tribuni de Equilo sedit anno I. mensibus* VI. *diebus* XV. *Hic fuit Ducis Capellanus in sua Capella Sancti Marci.* E vivis excessit anno 965. exeunte.

XVI. Marinus Venetus Petri Cassianici filius, vir Catholicus, & omni bonitate ornatus Episcopatum suscepit anno *966.* ineunte. Hic ex Danduli Chronico sedit annis XX. mensibus II, at cum Dandulus ipse, (ut optime notat in Additionibus ad Ughellum Colettus) electionem Dominici successoris ad tempora Petri Ursæoli II. assignet, consequens est: *ab Exscriptoribus in annorum numero erratum fuisse*, adeoque ad XXVI. annum protrahendum esse Marini Episcopatum.

In Decreto Petri Candiani IV. Ducis Ven. de non ferendis armis, vel lignis ad loca Saracenorum edito anno 971, una cum Duce memoratur Vitalis filius ejus Patriarcha Gradensis cum Marino Reverendissimo Olivolensis Ecclesiæ Episcopo in subscriptione autem legitur:

Ego Marinus Episcopus mm. ss.

Decretum hoc in Ital. Sacr. Tom. v. allatum, exhibetur etiam in Codice Diplomatico Ital. Tom. IV. col. 1525. Ejus etiam *Marini Episcopi* nomen legitur in donatione Monasterii S. Georgii Majoris, quod Tribunus Memmo Dux Joanni Mauroceno obtulit, quæ quidem concessio, hujus Episcopi tempore facta, ab Ughello diebus Ursi Magaditii perperam alligatur.

XVII. Dominicus Venetus ex Patre Dominico Gradonico electus Episcopus, assistente Petro Ursiolo II. Venetiarum Duce, a Vitale Patriarcha Gradensi consecratus fuit. Anno Pontificatus sui VI. æræ nempe vulgaris 998. in Ascensionis Dominicæ festa die Dominicus Petro Duci adversus Sclavos proficiscenti triumphale vexillum in Olivolensi S. Petri Ecclesia contulit, ut refert Dandulus in ejusdem Petri Ducis historia lib. IX. c. I. par. XVII. Vixit in Episcopatu ann. XXXIV. mens. II.

 fato

fato functus anno Christi 1026. in ejusdem Petri Ducis historia lib. IX. cap. I. par. XVI. " Dalmatini Populi omnes poene simul convenientes, Petro Veneticorum Duci suis internunciis hæc demandaverunt. Quod si ipse venire, aut exercitum mittere vellet, qui eos a Sclavorum severitate liberaret, ipsi, & illorum Civitates perpetua stabilitate suæ suorumque Successorum potestati subditi manerent. Hoc audiens Petrus Dux, nulla interposita dilatione, suorum consilio munitus, navalem parare expeditionem peregit.

" Septimo quoque sui Ducatus anno Petrus Dux, nulla ut supra interposita dilatione, suorum consilio munitus, navalem paravit expeditionem, & in Ascensionis Domini festo cum suis in Sancti Petri Olivolensis Ecclesia ad Missarum mysteria percipienda convenire voluit, cui Dominicus ejusdem loci Episcopus triumphale Vexillum contulit, & una classem conscendentes illo die Equilensem Portum intraverunt.

Idipsum iisdem ferme verbis affert antiquius Chronicon Sagornino attributum, in quo hæc leguntur: " Dalmatianorum populi omnes poene simul convenientes, Petro Veneticorum Duci suis internunciis hoc demandaverunt, quod si ipse venire, aut exercitum mittere vellet, qui eos a Sclavorum severitate liberaret, ipsi, & illorum civitates perpetua stabilitate suæ suorumque successorum potestati subditi manerent. Hoc audiens Petrus Dux nulla interposita dilatione, suorum consilio munitus, navalem expeditionem præparare præcepit; Septimoque sui Ducatus anno Ascensionis Domini festo, cum suis in Sancti Petri Olivolensis Ecclesia ad Missarum ministeria percipienda convenire voluit. Cui Dominicus ejusdem loci Episcopus triumphale vexillum contulit, & una classem conscendentes illo die Equilensem Portum intraverunt.

Quum igitur felix illa Petri Ducis expeditio, ex qua Venetorum ditioni Dalmatiæ Provincia accessit, initium habuerit *in Ascensionis Domini festo*, argui potest, (si conjecturas captare licet) ex eo tempore institutam fuisse triumphalem illam pompam, qua Venetus Dux quotannis ad solemnem maris desponsationem in festo Dominicæ Ascensionis procedit, siquidem (ut ad Monasterium Sancti Nicolai de Litore satis osten-

ostendimus) annua hujus diei celebritas apud Venetos diu ante viguit, quam Alex. Papa III. Venetias ingrederetur. Pronum itaque est credere, pompam hanc sub Petro Urseolo II. exordium habuisse siquidem ejus expeditionis celebratissimæ dies perfecte congruit. Quamvis autem locus æque non conveniat, quoniam militare Ducis Vexillum in Cathedrali benedictionem accepit, quum Templum S. Nicolai necdum in litore fuisset erectum; attamen id, quod admodum verisimile videtur, attendendum est, scilicet initium pompæ solemnis in Olivolensi Cathedrali fuisse, quæ deinde ad Ecclesiam S. Nicolai de Litore, propter loci indolem magis rei opportuna, fuit translata.

Vixit Dominicus in Episcopatu ann. XXXIV. mens. II. fato functus anno Christi 1026.

XVIII. Dominicus Gradonicus II. prædecessoris ex fratre nepos in defuncti patrui locum ætatis suæ anno XVIII. subrogatus fuit, *quem Dux investire renuit*, *& sic suscitata discordia, Dux tonsa barba in exilium Constantinopolim missus fuit*. Hæc accidisse anno 1026, ex subsequenti Petri Centranici Ducis electione arguitur eodem anno peracta. Interfuit Dominicus Provinciali Synodo, quam anno 1040. in Ducali D. Marci Basilica, Ursus Ursiolus Gradensis Patriarcha coegit. Mortem Dominici Gradonici refert Dandulus inter gesta Dominici Contareni Ducis, incertus tamen est annus emortualis, quem æræ vulgaris 1044. autumat adnotator Ughelli.

XIX. Dominicus Contareno, cujus pietatem ad Monasterium S. Nicolai de Litore attulimus, ipse enim cum Dominico Contareno Duce, & Dominico Patriarcha Gradensi celeberrimi Monasterii fundationem peregit. Supra laudato Dominico Patriarchæ concessit, ut Dominicum Olivolensis Ecclesiæ Presbyterum consecrare posset Methamaucensem Episcopum, cujus concessionis epistolas refert Ughellus in Dominico Gradonico I. col. 1217. Tom. v, ubi & Apostolicas Leonis IX. litteras exhibet, quibus Olivolensi Sedi jura sua confirmavit. Utramque epistolam, & Episcopalis concessionis, & Apostolicæ confirmationis attribuit Ughellus Dominico Gradonico I, quæ ex severiore annorum calculo Dominico Contareno Episcopo sunt assignandæ. Obiit Dominicus circa annum Domini 1074.

XX. Henricus defuncti *Dominici Contareno Ducis filius defuncto Dominico Episcopo Olibolense subrogatur, qui dimisso Olibolense titulo primo Castellanus Episcopus se inscripsit*. Non tamen statim ab inito Episcopatu antiquam suæ Ecclesiæ nomenclaturam mutavit, per annos enim circiter decem, & septem veteri Olivolensis Episcopatus titulo usus est, quem deinde anno 1091. ob congruentiam loci, in quo fundata visitur Ecclesia Cathedralis, censuit *Castellanum* esse nuncupandum. Prudentia non minus, quam pietate clarus Venetæ Classi ad bellum sacrum paratæ Rector præficitur, quam laudabiliter administravit, Venetias incolumem reduxit multis auctam victoriis, & muneribus, quæ inter pretiosius fuit venerabile D. Nicolai Magni corpus, pietate, & opera piissimi Præsulis aquisitum; de quibus jam fusius diximus ad Litorense ipsius S. Nicolai Monasterium.

Multis igitur præclare actis optimus Præsul ad premia laborum evolavit anno Ordelaphi Phaledri Ducis sexto, æræ scilicet vulgaris anno 1108. die xv. Novembris, ut in veteri Necrologio legitur in Archivo S. Gregorii Venetiarum olim asservato.

XXI. Vitalis Michael eodem anno 1108. Episcopus Castellanus instituitur, cujus mentionem ingessimus ad Monasterium S. Servuli, & S. Crucis de Luprio, ipso enim assensum præbente Baduarius S. Leonis Vicarius Ecclesiam S. Crucis de Luprio Monachis Cluniacensibus obtulit, & antiquum S. Servuli Cœnobium Monialibus Methamaucensis Urbis ab Abbate S. Hilarii traditum fuit. Ejus tempore Monasterium Sanctæ Mariæ de Charitate constructum, & Divi Stephani corpus Venetias devectum fuisse alibi diximus, ejusque pium studium in exquirenda Divi Præcursoris manu jam ostendimus, ubi D. Hermagoræ Templum illustravimus.

Obiit Vitalis Episcopus anno III. Dominici Michaelis Ducis, qui æræ vulgaris est 1120, mense Decembri, cujus mensis die Veneris xvi. dum in Ecclesia Cathedrali solemnes defuncto Episcopo exequiæ celebrarentur, repente ex inconsiderantia exorto incendio *Ecclesia S. Petri de Castello, cum adjacentibus ædificiis in totum* conflagravit.

XXII. Bonifacius Faledro altera post absolutas Vitalis præcessoris exequias die, quæ fuit Sabbati xxvii. mensis Decem-

bris

bris *ordinatus fuit Presbyter*, *& die Dominico immediate sequenti Episcopus electus est*. Hunc genere *nobilem*, *sed virtute nobiliorem ex Eremita Augustiniani Ordinis*, *compellente*, *& præ* gaudio gestiente populo Episcopum licet reluctantem ordinatum fuisset tradit Ughell., cujus authoritati Torellus in sæculis Augustinianis Tom. III. pag. 545. tres alios addit illustris nominis Scriptores Leandrum Albertum, & Stephanum Lusignanum Dominicanum, atque Claudium Robertum, qui unanimi voto Bonifacium Eremitanæ Familiæ adscribunt, licet eum perperam asserant electum fuisse Episcopum anno 1132. Extat in Aula Patriarchalis Palatii Bonifacii imago nigro Augustiniani cœtus cucullo induta, atque hac inscriptione notata: *Bonifacius Faletrus Venetus Ordinis Eremitarum*. His positis anxie quærit Torellus, quo ex Monasterio eductus fuerit Bonifacius, ut ad Episcopalem sedem eveheretur, siquidem nec Divæ Annæ, nec D. Stephani Monasteria extructa fuerant, neque antiquum Divæ Mariæ de Nazareth Cœnobium in Heremiticæ Augustinianæ familiæ, jura devenerat. Monasterium hoc invenire, eorum labor sit, qui Bonifacium Eremitani Ordinis alumnum fuisse scribunt. Obiit anno Christi 1133.

XXIII. Joannes Polani, Petri Polani Ducis Venetiarum filius subrogatur Bonifacio anno 1133. *Hic* (ita Dandul.) *Ecclesiam S. Danielis Abbati Fructuariensi pro Monasterio noviter fabricando cum terris*, *& lacu coadhærentibus*, *benigne concessit*; prout fuse disseruimus Oper. hujus Tom. IV. pag. 151. & seq. Quæ a Præsule hoc acta sint circa Canonicorum Regularium Institutum a Bonfilio Zusto in Ecclesia S. Salvatoris fundatum attulimus Oper. hujus Tom. II. pag. 245. A Lucio ejus nominis Papa II. Apostolicum diploma impetravit anno 1144. die vero 21. Martii latum, quo *Olivolensem*, (quæ & Castellana dicebatur) Ecclesiam amplis privilegiis muniendam duxit. Diploma ex Archivo Patriarchali depromptum exhibet Ughel. To. V. col. 1142, qui deinde col. insequenti enuntiat privilegii renovationem ab Adriano IV. concessam die 1. Febr. anno 1155, quam ex Patriarchali Venetiarum Archivo proferimus (A). Anno sui Episcopatus XXIV. prædium quoddam de jure suæ Ecclesiæ in Clugia majori positum Dominico Gradonico in perpetuum possidendum sub annua pensione con-

concessit 1157. mense Julio (B), in quo quidem instrumento hoc notatu dignum est, quod Joannes, qui in principio cartæ se enuntiat Sanctæ Olivolensis Ecclesiæ Episcopum, in subscriptione deinde se signat Castellanum Episcopum; unde manifesto patet aliquando Olivolenses, aliquando vero Castellanos vocatos fuisse Venetiarum Episcopos, ab Henrico Contareno usque ad Joannem Polani, cujus deinde successores unico usi leguntur titulo Castellani Episcopi; licet aliquando in Apostolicis Diplomatibus Episcopi Olivolenses etiam post Joannem Polani nuncupentur, ut patet in Urbani III. epistolis Matthæo Abbati S. Nicolai de Littore datis anno 1186, quibus eum, ut debitam Episcopo Olivolensi reverentiam exhibeat, per Apostolica scripta committit. Extremum diem clausit Joannes circa annum Domini 1164.

XXIV. Vitalis Michael nominis hujus agnominisque II. post administratam S. Pauli Parœciam anno 1164. Ecclesiæ Castellanæ præfectus, ab Alexandro VIII. Venetiis anno 1177. degente confirmationem accepit sententiæ latæ ab Equilino, & Torcellano Episcopis adversus Monachos Litorenses ei obsequia debita denegantes, ut ad ipsum S. Nicolai de Litore Monasterium exposuimus. Anno 1174. more Veneto, prout ex apposita Indictione VIII. arguitur, computato, Vitalis ex animi charitate Hospitale S. Helenæ in proprietate Castellanæ Ecclesiæ suis fundavit expensis, quod in sua suorumque successorum potestate perpetuo permanere decrevit: De hoc autem hospitali, quod hodie Cœnobium est Congregationis de Monte Oliveto Ordinis S. Benedicti, jam superius actum est. Mortuus est Vitalis anno IV. Aurei Mastropetro Ducis, Christi nempe anno 1182. die 19. Januar., ut notat antiquum Sancti Gregorii Necrologium.

XXV. Philippus Casiolus electus Episcopus anno 1182. biennio nondum in Castellanæ Ecclesiæ administratione expleto viam universæ carnis ingreditur anno 1183. ad finem vergente vel anno 1184. ineunte.

XXVI. Marcus Nicolai *Sancti Silvestri Plebanus vir vita utique laudabilis* mortuo Philippo Casiolo Castellanæ Sedi præficitur circa annum Domini 1184, *cujus plura privilegia* se vidisse asserit Dandulus *bulla* plumbea communita; hæsitat tamen, quo titulo hoc ageret cum Prædecessores sui, & successores

fores ea usi non sint. Dubium hoc Chronologi Principis exponens Ughellus plures enuntiat Episcopos *hoc ævo, quo vixit Marcus, in vivis* degentes, qui plumbo diplomata sua obsignare consueverunt, quibus addo ego Joannem Gradonicum Patriarcham Gradensem, cujus epistolas ad Monachos S. Cypriani Methamaucensis datas in Patriarchali Archivo vidimus Bulla plumbea obsignatas, ejusque bullæ ectipon attulimus in Ecclesiis Torcellanis. Bullam plumbeam Henrici Patriarchæ Gradensis asservat Clar. Vir Joannes Abbas Brunatius, eique similis asservatur in Archivo S. Salvatoris Venetiarum, quarum exemplum in æs exprimi curavimus, ut inter addenda ad Ecclesias Venetas suo tempore prodeat. In divite ipsius Brunatii antiquitatum hujusmodi Musæo etiam Marci (de quo agimus) Nicolai bullam plumbeam vidimus, eamque per calchographi opus incidi fecimus, ut eruditis hoc loco exhibeatur.



Sententiam superius enuntiatam Equilensis, & Torcellani Episcoporum, quam Alex. III. approbaverat, ut etiam Clemens Papa III. confirmaret, obtinuit. Datæ fuerunt Clem. Epistolæ die ultima Octobris anno MCLXXXVIII. (C) cum alias pridem (quas superius memoravimus) & Monachis, & Mathæo Abbati S. Nicolai de Litore epistolas dedisset Urbanus III, quibus Monasterium præcipuis gratiis exornans eis præcipiebat, ut Olivolensi Episcopo consuetam reverentiam exhiberent. Eas affert Ughell. Tom. v. col. 1247. Concessionem Ecclesiæ Sancti Bartholomæi de Rivoalto, quam Marcus Episcopus Gregorio Prio-

Priori Sancti Salvatoris tradidit possidendam, resque deinde actas enuntiavimus Tom. I. & II. hujus operis, ubi Ecclesias S. Bartholomaei, & S. Salvatoris illustravimus, sicuti & religiosa ejusdem Marci Praesulis munera, tum Dominico Franco Fundatori S. Andreae de Litore, tum Alberto Priori Sancti Danielis concessa alibi ad ipsas S. Andreae, Sanctique Danielis Ecclesias attulimus.

Lucii II. Pontificis privilegia Ecclesiae Olivolensi olim indulta, novo Celestini III. diplomate iisdem omnino verbis confirmatas fuisse anno 1192. testatur Ughellus, cujus Diplomatis exemplar inter Patriarchalis Archivi schedas minime datum est invenire, cum plurima ipsius Archivi Diplomata miserando fato perierint; ejusdem tamen Celestini Pontificis epistolas deprompsi *Magistro Leoni Procuratori Constantinopolitano* datas die XIII. Augusti anno MCIIIC, quibus jura Decimarum Episcopo Castellano debita Apostolica authoritate tuetur (D). Ex eo Pontificis Decreto rationabiliter arguitur, Episcopos Castellanos etiam in Urbe Constantinopolitana, in iis scilicet Ecclesiis, quae Castellanae Ecclesiae subjectae erant, decimas emortuales exegisse; Porro, quae fuerint, & ubi positae hae Ecclesiae, quas in Urbe Constantinopolitana possidebant Episcopi Castellani, ex monumentorum inopia latet, siquidem in Patriarchali Archivo cum multa Gradensis Patriarchatus documenta reperiantur, pauca quidem, & nullius fere momenti illa sunt, quae ad Olivolenses seu Castellanos Episcopos pertinentia supersunt. Ex iis tamen colligitur Castellanam Ecclesiam in Baruto possedisse Ecclesiam Divo Marco dedicatam, quam cum a Marco Episcopo regendam suscepisset anno 1211. mense Augusto *Laurentius Presbyter, & Plebanus Ecclesiae S. Marci de Accone*, annualem censum pro ea se soluturum fore promisit anno insequenti aerae vulgaris 1212, qui in Chronicis ejusdem instrumenti notis computatur more Veneto annus 1211. Ad eamdem D. Marci de Baruto Ecclesiam pertinent, tum concessio ejusdem Ecclesiae, quam Petrus Plnus Episcopus Castellanus Marci Nicolai successor tradidit Joanni Presbytero Ecclesiae S. Trinitatis de Venetiis anno MCCVL. die XIII. Febr. tum fidejussio Stephani Plebani S. Sophiae, qui pro Joanne Presbytero *tunc habitanti in partibus ultramarinis* se Petro Episcopo sponsorem obtulit (E).

Marco

Marco Castellano Episcopo, & Gervasio Abbati S. Hilarii controversiam, quæ super quasdam decimas inter Ecclesiam Paduanam ex una, & Hospitale S. Mariæ de Mandria ex altera parte exorta erat, lata sententia decidendam demandavit Innocentius Papa III. anno MCCI. die III. Maii datis ad eosdem Iudices Delegatos epistolis, quarum hic tenor est:
„ Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri ...
„ Castellano Episcopo, & dilecto filio ... Abbati S. Hilarii de
„ Venetiis Salutem & Apostolicam benedictionem. Significa-
„ runt nobis dilecti filii Augustinus, & quidam alii Canoni-
„ ci Paduani, quod Luscus Minister, & Conversi Hospitalis
„ S. Mariæ de Mandria, licet Hospitale ipsum ad Jerosoly-
„ mitanum non pertineat Hospitale, decimas tamen de ter-
„ ris, quas propriis manibus, & sumptibus excolunt, & qui-
„ busdam aliis sitis in territorio Paduano injuste detinent, &
„ Ecclesiæ Paduanæ solvere contradicunt, ideoque discretioni
„ vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus prædictum
„ Ministrum, & Conversos hospitalis ejusdem, ut & Deci-
„ mas subtractas restituant, & solvendas de cætero cum in-
„ tegritate solvant Ecclesiæ Paduanæ, nisi ab earum præsta-
„ tione sufficienter ostenderint se immunes, monitione præ-
„ missa per censuram Ecclesiasticam compellatis.

„ Datum Laterani v. Nonas Maii Pontificatus Nostri An-
„ no Quinto.

Agente itaque in primis Thoma Mauroceno Canonico Paduano, qui deinde ad Patriarchalem Byzantinam Ecclesiam assumptus fuit, finem accepit controversia, & Luscus prædictus unanimi Judicum delegatorum voto *condemnatus fuit in restitutionem possessionis Decimarum, & in earumdem Decimarum restitutionem* Ecclesiæ Paduanæ, & *Thomæ memorato Paduanæ Canonicæ Sindico anno Domini* MCCII. *more Veneto* XIV. *die intrante mense Februario Indictione* VI.

Afferendum quoque ad usus antiqui ævi illustrandos censeo antiquum documentum, quo Benedicta Joannis Gradonici olim uxor inter cætera testatur anno MCCXXII. die XXVII. Augusti, se vidualem vestem a D. Marco Nicolai Dei gratia Castell. Epi-

scopo suscepisse, ex quo argui potest, iis temporibus in usu fuisse, ut mulieres post mariti obitum, vidualem vestem ab Episcopi manu susciperent (F). Ecclesiam itaque Castellanam cum optime per annos circiter XL. administrasset Marcus Nicolai, ad meliorem vitam transfertur 1225.

XXVII. Marcus Michael, quem perperam Vitalem appellat Sansovinus, anno 1225, ut testatur Dandulus ad Castellanam Sedem assumptus fuit, qui anno 1228. die 29. Aprilis Ecclesiam S. Georgii in Alga ritu solemni consecravit, mox anno 1229. die 6. Aprilis fidelitatis, & obedientiæ juramentum præstitit Angelo Baroccio Patriarchæ Gradensi (G); quo etiam anno Synodum Diœcesanam coegit, in qua cum sui Cleri consilium super quarta quartæ emortualium Decimarum ad pauperes Castellanæ Diœcesis pertinente postulasset, in hoc fere omnium congruere sententiæ, *ut ipse Episcopus, cum esset specialiter Pater, & Benefactor pauperum pupillorum, atque orfanorum, & viduarum sui Episcopatus, quartam quartæ* inter ipsos dividere, & distribuere deberet (H).

Pares quoque controversias pro juribus suæ Ecclesiæ tuendis contra Patriarcham Gradensem excitavit, ad quas dirimendas Delegati Apostolici, quibus Gregorius Papa IX. *quæstionem ad componendum* commiserat, ita laudabiliter *in concordia* pronuntiarunt, ut *Patriarcha & Episcopus laudantes, & sibi* judicium *placere dicentes*, illud vivis vocibus firmaverint, ipseque supralaudatus Gregorius Pontifex ei Apostolicæ confirmationis robur adjecerit, quæ omnia Ughellus retulit in Ital. Sac. Tom. v. col. 1258. Dimitrio Priori S. Helenæ ejusque successoribus anno 1233. locum S. Helenæ in Insula de proprietate Episcopatus Castellani ita concessit, ut eis liceret ibidem aggregatis Fratribus Monasterium statuere, ut videre est in Episcopali diplomate Tom. v. Ital. Sac. col. 1262.

Eodem concessionis anno 1233. compositam fuisse controversiam, quæ inter Marcum Episcopum, & Venetos exorta fuerat, refert ex Angelo Maria in collectaneis Eruditiss. Ughelli Adnotator, nos rem ipsam ex melioris notæ Chronologo exhibemus, Andrea Dandulo scilicet, qui lib. x. cap. v. part. XIII. hæc habet: " Inter Episcopum Castellanum, & Venetos exorta discordia occasione quæstionum Clericorum, quæ

exce-

„ exceptis criminalibus, & mere spiritualibus, coram secula-
„ ri Judice agitabantur, ut antiqua eorum Statuta diutius ob-
„ servata seriose dictabant, ac etiam exemptionis Capellæ S.
„ Marci, nunc correctis Statutis, ut sola judicia immobi-
„ lium Curiæ Seculari in signum Dominii, & Ecclesia San-
„ cti Marci in solita immunitate remaneant, sopita est.

Biennio deinde superstes Marcus Episcopus anno MCCXXXV. mortalitatem exuit, cujus sepulcro in Cathedrali Ecclesia insculptum fuit hoc elogium:

„ Hic o Marce pie, Pastor bonus, Arca Sophiæ
„ Vivis per merita virtutum docte polita:
„ Cum careas stella, qua fulgebas lachrimari
„ Debes Ecclesia dehinc cantura pari.
„ Non modicum flere debes, modicumque dolere.
„ Admisisse bonum cum Præsule patre patronum.
„ Hic pugnando tua pro libertate putrescit,
„ Cujus laus, & honos manifestus in orbe nitescit.
„ Cleri præsidium, via pacis, cujus honori
„ Et laudi vivit nescia fama mori.
„ Vos, qui transitis omnes hinc, atque reditis,
Dicite, quæ Christi pietas sit promptior isti.
„ Anno Domini MCCXXXV. Mensis Martii.
„ Obiit in aurora in Christo.

XXVIII. Petrus Pinus, quem perperam e Tarvisina ad Castellanam Sedem translatum fuisse, asserit Ughellus, antequam Episcopus Castellanus deligeretur inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Venetiarum Archidiaconatus munere fungebatur. Hoc ex clarissimo Viro Jacobo Cavacio addiscimus, qui lib. II. histor. S. Justinæ Patavinæ pag. 86. hæc affert: " Vertente
„ anno Jordanus Episcopus decessit, postquam annos XIII.
„ sacras res administraverat. Inde Canonici sopitam de feren-
„ dis suffragiis controversiam excitarunt. Romæ Honorio Pa-
„ pæ, Gregorius eo nomine IX. successerat. Ab eo postula-
„ tum est, ut lis peritissimi alicujus arbitrio dirimeretur. O-
„ ratoris Canonicorum solertia, adicitur judex Petrus Pinus
„ Ecclesiæ Castellanæ (ea est Patriarchalis Venetiarum) Ar-

„ chidiaconus, cui multa familiaritas cum Patavinis Canonicis intercedebat. Ipse ex officio diem dixit, ac testes aliquot recepit. Plura tamen eundem penes Arnaldum suspectum agebant, de quibus apud Pontificem quæstus, alios item æquiores judices accepit, Archidiaconum Ecclesiæ Ravennatis, Archidiaconum Vicentinum, & Archipresbyterum Atestinum. Jam ab obitu Jordani annus excesserat, & civium lamenta audiebantur, quod electorum simultates sibi desideratum Pontificem abriperent. Pessimo exemplo jam satis conflictatum esse tandem Ecclesiæ, & Urbis utilitati prospicerent, atque Antistitem designarent. Torquebatur his pia Arnaldi mens, verita pertinaciæ notam, atque totius populi indignationem subire, si diutius jura Cœnobii defendens electionem protraheret. Itaque rejecto appellationis, ac rescripti beneficio sustinuit, rem totam demandari Petro Pino, & Jordano Forzateo, in quos e condito ibant Canonici, quamvis ambos parum æquos alias expertus esset. Neque opinio fefellit. Jordanus nomine etiam absentis collegæ sententiam tulit, quam ex membranis describimus: *In nomine Domini. Ego Frater Jordanus Prior Sancti Benedicti, arbitror, laudo, & præcipio, quod Capitulum Paduæ eligat Episcopum Paduæ concorditer hodie, vel cras usque ad horam nonam sine Domino Arnaldo Abbate Sanctæ Justinæ. Quod si non fecerit, ex tunc in hac præsenti electione facienda supradictus Dominus Abbas cum eodem Capitulo eligat* “. Marco Michaeli Episcopo nullo mediante suffectum fuisse, refert Dandulus his verbis: *Marco Michaele Episcopo Castellano mortuo Petrus Pino substituitur, qui Episcopale Palatium renovavit*. Dubium omne, si quod ulterius esset, amolliuntur autographa documenta, quæ Ughelli Adnotator testatur se vidisse in Archivis S. Mariæ Formosæ, & S. Moysis, quibus Petri Episcopatus confirmatur in annis 1236, & 1242. His positis ad Petrum Pinum spectant Apostolicæ Gregorii IX. epistolæ datæ anno 1239, quibus Albricum, seu Albericum de Romano magnis laudibus elatum Patriarchæ Gradensi, atque Episcopo Castellano commendat, ut ipsum non permittant contra Apostolicæ protectionis tenorem ab aliquibus indebite molestari. (I) Episcopale Palatium vetustate ruens a fundamen-

mentis ære proprio renovavit, in cujus meriti testimonium hæc duo carmina in eodem apposita fuere.

„ Pina domus Petro fulget insignis alumno.
„ Urbs Venetum hoc gaudes Præsule clara pio.

Insulam S. Mariæ de Nazareth Episcopali jurisdictioni subjecisse, quasdam *tenutas* Episcopatui obtinuisse, & Officium Divinum ad totius anni sacras cœremonias ordinasse, refert Angelus Maria in Collectaneis, quarum tamen rerum documenta non suppetunt; Ex uno Petri documento, quod in Archivo Castellano adhuc asservatur, addiscimus, Episcopatum Castellanum in Nigroponte Ecclesiam S. Marci possedisse, decimasque *burgensium* ibidem *decedentium* exegisse, quarum quartam partem Petrus per instrumentum Vicario & Clericis S. Marci in Nigroponte assignavit, seu potius Benedicto Vicario suo in Nigroponte assignandi potestatem fecit anno 1252. die 13. Augusti, quod & ipse Benedictus Vicarius opere complevit die 1. Novembris ejusdem anni *in Nigroponte in campo Venetorum* (K). Novissimum, quod occurrat Pini documentum est syngrapha acceptæ pecuniæ pro emortuali decima cujusdam Jacobinæ defunctæ, qua ejus Sorori Mariæ Malaza Episcopus cavet anno 1253. die 27. Septembris (L). Documentum proferimus ex Torcellano S. Joannis Evangelistæ Tabulario. Obiit deinde Petrus Pinus anno 1255.

XXIX. Gualterius seu Walterius Venetus ex Familia Agnus Dei progenitus Ordinis Prædicatorum alumnus ad Tarvisinas infulas assumitur anno circiter 1245, deinde defuncto Petro Pino *a Canonicis Ecclesiæ Castellanæ postulatus* (ita Dandulus) *ab Alexandro Papa IV. subrogatus fuit*. Fidelitatis & obedientiæ juramentum Patriarchæ Gradensi obtulit anno 1255. die 9. Aprilis (M), in quo proprium institutum enuntiavit, quod professus fuerat. De ipso nihil memoriæ proditum est, obiit enim triennio in Veneto Episcopatu nondum expleto, sepultusque fuit in Choro Ecclesiæ SS. Joannis, & Pauli, ut notat epigraphe ibidem in pavimento incisa:

„ Sepulcrum Reverendissimi D. Fr. Gualterii Ordinis Præ-
„ dicatorum Episcopi Castellani.

Angelus Maria in Collectaneis asserit Gualterium Castellanum

num Episcopum, Clugiensem etiam Ecclesiam, usque ad obitum administrasse. Nullus certe hoc triennio in Italia Sacra invenitur Clugiensis Episcopus. Obiit Gualterius anno 1258.

XXX. Thomas Arimundus Venetus e Canonico Ducalis Basilicæ Episcopus Castellanus electus anno 1258. brevi Pontifex fuit, anno enim 1260. e vivis excessit.

XXXI. Thomas Franco Venetus Ecclesiam Castellanam, cui Canonicus Archidiaconus deservierat, electus Episcopus administrandam suscepit anno 1260. Cum autem ex authenticis documentis, in quibus frequens est ipsius mentio, manifesto pateat, eum fuisse Archidiaconum Castellanum, erroris arguitur Petrus Rodulphus Tossinianus, qui eum Minoriticæ familiæ adscribit. Unicum hujus Episcopi documentum superest syngrapha scilicet anno MCCLXIV. die XXVII. Novembris confecta, qua Presbytero Joanni de Baruto Vicario suo cavet de accepto argento *ratione dictæ* Vicariæ sibi misso (N). Quo anno e vivis abjerit Thomas, incompertum est, dies autem emortualis patet ex duobus Necrologiis S. Gregorii videlicet & S. Blasii de Judaica, quæ concorditer afferunt: *Nonis Augusti. Obiit D. Thomas Franco Episcopus Castellanus*. Cum vero Ducale Raynerii Geno Diploma de prodigiose asservatis Reliquiis in Divi Marci Sacrario, afferat ad annum 1265. Thomam adhuc in vivis degentem, & ex mox afferendis constet anno 1268. die 4. Aprilis Episcopalem Ecclesiam Castellanam fuisse vacantem, Thomæ obitus nec ante Augustum anni 1265. quo datæ fuerunt Raynerii Ducis Epistolæ, statui potest, neque differri post Augustum anni 1267. cum ante sequentis anni Augustum jam Ecclesia Castellana pastore viduata fuisset. Vacasse eo anno Sedem probat Ughelli Adnotator ex documento in Archivo S. Mariæ Formosæ asservato, quo Simeon Maurus effertur Ecclesiæ Castellanæ Vicarius Generalis. Fidem adstruit aliud documentum ex Tabulario Procuratorum Sancti Marci quos de supra vocant, depromptum, quodque in Actorum Codicem redegit Jacobus de Ceneta Sacri Palatii Notarius. Ex eo instrumento verba proferimus ad rem nostram attinentia.

„ In Nomine Dei Eterni Amen. Anno a Nativitate ejus-
„ dem millesimo ducentesimo sexagesimo octavo Indictione un-
„ decima die quarta mensis Maii præsente Domino Jacobo

Del-

„ Delphino Alberto Bulpino Johanne.... Tibaldo testibus Ve-
„ nerabilis Pater Dominus Paduanus Dei gratia Abbas Con-
„ ventus & Monasterii S. Felicis de Aymanis Dioces. Torcell.
„ Vid. Stephanus Prior, & Fratres Marcus Monachus ejus-
„ dem Monasterii nomine suo, & ejusdem Monasterii. Inspe-
„ cta magna necessitate, & utilitate ejusdem sui Monasterii
„ consenciente Rev. Viro Domino Simeone Mauro Plebano
„ S. Barnabæ Generali Vicario Ecclesiæ Castellanæ vacantis,
„ per se & successores suos dederunt, concesserunt, locave-
„ runt, atque transactaverunt Nobili Viro Thomæ Quirino
„ de Confinio S. Scholasticæ & suis hæredibus, & successori-
„ bus in perpetuum quemdam domum positam in predicto
„ Confinio S. Scholasticæ, quæ est de jure prædicti Monasterii
„ S. Felicis.

Defuncto itaque Thoma Episcopo, cum pro successore statuendo electores in duas factiones discessissent, quarum una Petrum Corrarium Divi Marci Primicerium, altera vero Bartholomæum Quirinum Cathedralis Ecclesiæ Canonicum, & Papæ Capellanum postulabat, Gregorius X. post diutinam utriusque partis altercationem, Bartholomæum Quirinum Episcopum Castellanum instituit die v. Aprilis anno MCCLXXIV.

XXXII. Bartholomæus Quirinus hujus nominis Primus, Romæi filius, quem Seraphicæ familiæ perperam adscribit Petrus Rodulphus Tossinianus, ex eo fortasse adductus, quod Martinus V. anno 1284. die 23. Julii ipsum Minoritis dederit privilegiorum suorum conservatorem, ut videre est in Wadingo Tom. V. pag. 486., at cum ipsum pro certo teneamus Cathedralis Ecclesiæ ante assumptionem suam fuisse Canonicum, atque Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ Plebanum, profecto ab omni regularis instituto excluditur, cui si alicui adscribendus esset, (arguit optime hoc loco Adnotator Ughelli) profecto Carmelitis potius adnumerandus videretur, ex ipsius Testamento, quo Fr. Jordano Capellano suo, & F. Jacobo Converso Ordinis Carmelitarum, qui cum eo morabantur, legavit primo quidem lib. 10. alteri vero sol. 10. grossorum; solemne enim erat (sequitur Colettus) Episcopis ex aliqua *sacra sodalitate desumptis nonnullos ex eadem familia in suum contubernium, ac famulitium advocare*. Frequens est in antiquis documentis Bartholo-

tholomæi Episcopi mentis, qui anno MCCLXXXII. die x. Januarii simul cum Nicolao Episcopo Caprulensi litteras Martini Papæ IV. publicavit, ut videre est in Archivo Monasterii SS. Joannis & Pauli de Venetiis. Anno autem MCCXIC. die x. Octobris Judicibus super publica bona Communis Venetiarum deputatis *nomine suæ Ecclesiæ Castellanæ comparuit* Bartholomæus Episcopus, eisque omnia illa instrumenta ostendit, *quæ legi poterant*, *multa enim erant adeo vetera*, *quæ legi* amplius *non poterant modo aliquo*. Quibus quidem Instrumentorum verbis, & virtute attente examinatis *paludem & aquam positam & sitam ante & retro Ecclesiam S. Petri de Castello*, *& juxta Monasterium & locum Sanctæ Mariæ in Jerusalem*, seu (ut nunc vocatur) de Virginibus, ad Ecclesiam Cathedralem S. Petri, & Episcopatum Castellanum pertinere de jure, Judices Publicorum lata sententia decreverunt anno a Nativitate Domini MCCXCII. die XXI. Martii. Judicum Publicorum sententiam, cujus non unum fragmentum attulimus Tom. VI. operis hujus ad Monasterium Sanctæ Mariæ de Virginibus, integram hic afferre opportunum censuimus, in ea namque multa contineri novimus, ad illustrandos eruendosque illorum temporum usus apprime opportuna. (O)

Bartholomæi Episcopi pietas maxime enituit in erectione Hospitalis & Oratorii, quæ propriis expensis erigenda sub titulo S. Batholomæi, redditibusque instruenda ex testamento mandavit, ut Operis hujus Tom. IV. pag. 313. fuse protulimus.

Ex eo testamento, in quo multa & præclarissima opera religionis pietatisque instituit, instruimur, Bartholomæum dum in vivis degeret, sex Mansionarios in Ecclesia Castellana instituisse, qui quotidie pro anima ejus atque pro anima pariter Episcopi Ferrariensis olim ipsius fratris salutarem hostiam litare tenerentur: Verba ex ipso testamento proferimus.

„ Item sciendum est, quod in vita nostra ordinavimus cum
„ Capitulo nostro, quod sex Mansionarii continue sint, &
„ esse debeant in dicta Ecclesia Castellana, & sint Presbyte-
„ ri, & habeant sex domos de illis, quas fieri fecimus citra
„ pontem, ita quod quilibet habeat suam domum laboratam
„ de petra, & teneantur ipsi Mansionarii continue interesse

„ ipsis

„ ipsis divinis officiis nocturnis, & diurnis, nec aliud com-
„ modum habeant in dicta Ecclesia, & quilibet ipsorum om-
„ ni die teneantur unam missam celebrare in dicta Ecclesia
„ Castellana pro anima nostra, & fratris nostri bon. mem. D.
„ Joannis Quirino quondam Episcopi Ferrariensis &c. Et de-
„ beant dicti Mansionarii eligi per Episcopum Castellanum
„ cum fiunt, & sede vacante per Capitulum Castellanum.

Extremam hanc suam voluntatem, cum in Actorum Codices redigi mandasset die XV. Februarii anno MCCXC. ad Venetorum morem computato æræ nempe vulgaris MCCXCI., e vivis excessit sequentis Martii die I. ut in veteri S. Gregorii Necrologio notatur: *Kalendis Martii Obiit Dom. Bartholomæus Quirinus Episcopus Venetiarum.*

Visebatur olim in Ecclesia Cathedrali ejus emortuale elogium, quod renovato Templo ablatum, deperditumque fuit.

„ Ecclesiæ Rector constans certamine Præsul
„ Dux juris, factis indefessus sic venerandus.
„ Inclytus, & grandis virtutum Plebis amator
„ Bartholomæus audens, Venetorum, semper & urbis
„ Quirinus genere magnorum tutor, & alto
„ Hic jacet, hic tegitur, cubat hic, silet, astra meretur,
„ Anno Domini MCCCXXXII.

Chronica anni nota (ut notat Collettus ad Ughel. Tom. V. col. 1278.) vel tempus signat, quo Divi Marci Procuratores, (quorum arbitrio *arcam* sibi construendam in Ecclesia Castellana ex testamento mandaverat,) eidem monumentum posuerunt, vel minus accurate a Sansovino transcripta fuit, qui annum MCCXCI. emortualem vetustate fortasse attritum ex arbitraria interpretatione posuit MCCCXXXII.

XXXIII. Simeon Maurus Nobilis Venetus doctrina, & prudentia Clarissimus Paræciam SS. Gervasii & Protasii primum administravit, cujus memoria bis legitur in cartulario ejusdem Ecclesiæ ad annos 1263. & 1266. Ex ea deinde Ecclesia ad aliam S. Barnabæ anno 1269. transfertur, quam cum laudatissime regeret, asserit Ughellus ad Episcopatum Torcellanum defuncto Gotifredo per Canonicos Cathedralis fuisse evocatum anno 1254. quam tamen electionem ab Innocentio IV. repro-

batam fuisse referunt Ughel. in Torcellanis, & Colettus in Venetis. Hæc autem omnia animadversione & correctione digna sunt, siquidem eo anno 1254. nondum Simeon Paræcialem S. Barnabæ Ecclesiam susceperat, ad quam translatum ex documentis novimus circa annum 1269. Vicarius Capitularis Ecclesiam Castellanam per obitum Thomæ Franci vacantem diu administravit, donec Bartholomæus Quirinus Episcopus confirmatus fuit anno 1274. Parochiali deinde S. Pantaleonis Ecclesiæ præficitur, anno 1286. nec multo post eodem anno a Bartholomæo Quirino Episcopo Castellano Delegato Apostolico, ad Episcopalem Clugiensem Sedem eligitur, cui de se factæ electioni, licet ab Honorio IV. confirmatæ, nuncium remisit. Insequenti postmodum anno 1287. Primicerius Ducalis Basilicæ creatur, quam cum administraret, librum de sacris ipsius Basilicæ cæremoniis contexuit, cui titulum præfixit. *Cæremoniale Ducalis Basilicæ S. Marci*. Librum hunc Simeonis Primicerii ob aliorum, seu rituum, seu festorum superventum auxit deinde, alioque ordine concinnavit Antonius de Faustinis Plebanus Sancti Bassi, & Ducalis Ecclesiæ Vicarius, cujus diligentiam postmodum æmulati Jacobus Grassolarius Plebanus S. Apollinaris Vicarius Primicerii, & Aloysius Bonsaver Plebanus S. Simeonis Prophetæ Vicarius Primicerii easdem constitutiones mandante Andrea Gritti Duce Venetiarum typis ediderunt primus quidem anno 1524. alter vero anno 1527. quarum omnium editionum merita Simeoni Mauro Primicerio potissimum referenda sunt, qui dispersas sacrorum rituum leges in unum Codicem coacervavit. Ducali itaque Ecclesiæ cum quadriennio præfuisset, ad Castellanam Episcopalem Sedem per Bartholomæi Episcopi obitum anno MCCIXC. vacantem assumitur, quo in munere cum nondum alterum annum explesset, mortalitatem exuit anno 1292. die III. Dec. quæ emortualis dies ex veteri S. Gregorii Necrologio innotescit IV. *Id. Dec. Obiit Simeon Maurus Episcopus Castellanus*. Mentio Simeonis ingeritur in instrumento pacis inter Venetos & Bononienses, & de eo vide Leandrum Alberti lib. III. Dec. 2. p. 39. Hist. Bonon. Mentionem Simeonis fecimus ad Ecclesias SS. Gervasii & Protasii, S. Barnabæ, S. Pantaleonis, atque S. Marci. Ecclesiam S. Hieremiæ Proph. ut testatur marmorea pigraphe consecravit.

XXXIV.

XXXIV. Bartholomæus Quirinus hujus nominis II. Bartholomæi senioris ex Fratre nepos, cum Primicerius esset Ducalis Basilicæ, electus fuit Episcopus Castellanus circa initia anni 1293. cujus mense Junio die xx. solemne juramentum subjectionis præstitit Laurentio Patriarchæ Gradensi. (P) Interfuit Synodo Provinciali Gradensi, quam Ægidius Patriarcha convocavit anno 1296. & deinde ad Novariensem Sedem a Bonifacio VIII. translatus fuit anno MCCCIII. die XXII. Aprilis.

Eum postea Benedictus XI. Pont. Max. Tridentinæ Ecclesiæ constituit Episcopum anno MCCCIV. die x. Januarii. De eo mentionem ingessimus Tom. IV. pag. 265. Diploma ipsius afferentes, quo Fratribus Ordinis Sancti Augustini remotas Divæ Annæ ædes alienandi facultatem indulsit.

XXXV. Rampertus Polus ab Antonio Senensi in Bibliotheca Lambertus de Primaticiis appellatus, ab aliis vero Albertus, Xambertus, Calbertus, & Cambertus Bononiæ natus adolescens institutum Prædicatorum amplexus est, in quo cum multiplici doctrinæ laude floreret, Bartholomæo Quirino ad Sedem Novariensem translato successor datus fuit a Bonifacio IX. anno 1303. die xx. Februarii. Electionem viri licet ex extero genere procreati haud molestam Veneto Senatui accidisse testatur Majoris Consilii Decretum, quo insequentis Martii die XXIV. statutum fuit, ut Fratri Alberto Castellano Episcopo certa pecuniæ summa mutui titulo concederetur.

1303. *Die* XXIV. *Martii*.

„ Quod Fratri Alberto Episcopo Castellano fiat gratia de
„ mutuando florenos a mile, usque ad mile & ducentos facien-
„ do bonam securitatem de ipsis restituendis nostro communi.

Suscepto Ecclesiæ sibi commissæ regimine Rambertus controversiam, quam Ecclesia Castellana adversus Monachos S. Trinitatis de Brundulo moverat super institutione & destitutione Rectoris Ecclesiæ S. Benedicti Venetiarum, inita conventione coram Ægidio Patriarcha Gradensi die XIX. Julii superius ennuntiati anni composuit. Memoratur Ramberti nomen in Archivo SS. Joannis & Pauli, Autographo enim cujusdam constitutionis Benedicti XI. quæ incipit *super Cathedram* in Bullario Ord. Prædicatorum relatæ Tom. II. pag. 88. se subscripserunt

runt *Ambrosius Maronus & Bonifacius de Mercato novo Notarii, & Episcopalis Curiæ Castellanæ Scribæ de mandato Ramberti Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Castellani*, cujus etiam sigillum apposuerunt. Inter illustres Ordinis Prædicatorum viros, Rampertum afferunt Fontana Theatro Domin. par. 1. cap. v. tit. 195. Cavallerius Tom. I. pag. 69. n. 219. Bull. Ord. Præd. Tom. II. pag. 75. fusius vero Echardius Tom. I. pag. 504. ad ann. 1308. Ex his scriptoribus nullus, nullusque ex Venetis Historicis enuntiant, quo fato extremum diem expleverit Rampertus, quem vulgaris quædam traditio refert violenta morte a furente populo sublatum fuisse.

Ex populari itaque tradione, cui concordant contemptibiles aliquæ chroniculæ, acceptum est, Episcopum quemdam Castellanum Paræciæ S. Pantaleonis, cujus fuerat Plebanus, (Simeon Maurus indicatur) emortuales decimas condonasse, quam antecessoris sui concessionem, utpote juri successorum injuriam, minus attendens Rampertus, dum occasione funeris decimas vi exigere conatur, irrumpentis turbæ violentia oppressus miserabiliter expiravit. Ex eo facinore (asserunt) exordium habuit antiqua Venetæ Plebis divisio, quæ in duas factiones partita est, quarum una ab ea regione, in qua positæ sunt Episcopales ædes *Castellana* vocatur, altera vero a Parochiali Divi Nicolai Templo nomen trahens *Nicolotta* Veneto vernaculo nuncupatur. Castellani itaque dum Præsulis sui interitum ulcisci conantur, perpetuas adversus S. Nicolai, S. Pantaleonis vicinarumque, & adhærentium Parœciarum habitatores inimicitias subierunt.

Cum vero rem tanti momenti alto silentio prætermittant potioris notæ Chronologi, enarrationem hanc inter commenta reiiciendam esse puto, præsertim cum hæc ipsa Laurentio Barbataurelli filio VIII. Episcopo Olivolensi evenisse scribat Angelus Maria Canonicus Regularis in suis Collectaneis, quæ fabulis & erroribus undique scatere cognoscimus. Catasticum Episcopale Rampertus concinnavit in quo jura, & redditus Ecclesiæ Castellanæ recensentur. Illud ex Archivo Patriarchali exhibemus (Q).

XXXVI. Galassus Subdiaconus Apostolicus, quem ex Comitibus Albertis seu de Albertinis Etruscum, & Jacobi successoris germanum fratrem fuisse tradit Ughellus ex ejusdem fami-

familiæ notis, a Clemente V. anno MCCCXI. die ultima Episcopus Castellanus renuntiatus fuit. Obiit sequente mense Junio ante consecrationem.

XXXVII. Jacobus Alberti de Albertinis filius ex Comitibus Albertis originem trahens Etruscus ex Urbe Prati Nicolai Cardinalis Pratensis nepos Plebanus Burgi S. Laurentii Diœcesis Florentinæ Galasso Germano Fratri defuncto a Clemente V. in Episcopatu Castellano suffectus fuit anno MCCCXI. die XIX. Junii.

Adnumerat hoc loco Sansovinus inter Episcopos Castellanos Jacobum Contarenum, Bartholomæum Quirinum, & Michaelem Calergum Eremitanæ familiæ alumnum, quorum primum & tertium, ut Autographa documenta evincunt, ex albo Episcoporum omnino expungendos ducimus, Bartholomæum vero superius suo loco reposuimus. Diu absens Jacobus Ecclesiæ huic præfuit, cujus regimini *Accursium Præpositum Pistoriensem Vicarium* suum *in spiritualibus, & temporalibus Generalem* destinavit, ut patet ex documento Archivi Servorum B. M. V. quo Accursius Vicarius *Jacobi electi Castellani* facultatem concessit Fr. Francisco Ordinis Servorum construendi Oratorium, & Divina Officia celebrandi in Diœcesi Castellana prout videre est Operis hujus Tom. II. pag. 71. Jacobus Episcopus, quem electum enuntiavit anno 1316. Accursius Vicarius, anno insequenti 1317. Malausane Vasionensis Diæcesis oppido degens se in Epistolis ad Fratres Venetos Ordinis Servorum datis Episcopum Castellanum nominat, ex quibus fortasse arguendum est anno 1316. ad finem vergente, vel anno 1317. ineunte consecrationis munus suscepisse.

Ut ut de ipsius consecrationis tempore res se habeat, hoc certum exploratumque est Jacobum anno MCCCXVIII. Venetias accessisse mense Octobris, cui usque ad Mestrense oppidum uterque Clerus obviavit, ut patet ex sæpecitatis Monasterii S. Mariæ Servorum Diariis, in quibus hæc exarata leguntur.

1318. *Ottobre. Item per le spese de Frati, che andarono incontro al Vescovo a Mestri, tra le spese della barca sol.* x.

Item al barchariuolo, che portò li Frati a Chastello quando andarono a visitare lo Veschovo sol. I. *d.* VIII.

Item a Frate Mateo dal Borgo gli quali ci avea prestati per le spese di quattro Frati, che veneno da Bologna per la processio-

cessione del Vescovo, quando vene in Vinesia, bolognini grossi quarantanove.

Item a Frate Giovani Todeschò Prete gli quali ci aveva prestati per la chasione de la processione sopradetta bolognini grossi dieci.

Item a colui, che portò gli Frati a la processione a S. Secondo quando so fado incontro a lo Veschovo sol. XIV.

Item al Barcharuolo, che portò gli Frati a Chastello, quando Messer lo Veschovo disse Messa novella sol. I. *d.* VIII. Quod intelligendum est de Missa solemni in die initæ dignitatis.

Anno MCCCXXI. Parœcialem S. Agnetis Ecclesiam consecrationis munere insignivit, anno autem MCCCXXIV. Violam Monasterii Sanctorum Blasii & Cataldi Priorissam, cum in ipsum Sanctimoniales dissidentes compromisissent, ejusdem Cœnobii Abbatissam instituit, atque deinde anno MCCCXXVI. conventionem Monachorum S. Danielis cum Duce, & Communi Venetiarum peractam Episcopali Diplomatæ ratam habuit, quæ omnia jam suis locis fusius exhibui. Verisimiliter itaque ex allatis arguitur ab anno 1318. ad annum usque 1326. Jacobum Venetiis resedisse, ex qua deinde Urbe recessit, quia Ludovici Bavari partibus adhærens a Joanne XXII. exauctoratus fuerat. Apostolicas Joannis Papæ litteras, quibus Jacobus Episcopali deiiciebatur dignitate, missas fuisse Venetias circa finem anni MCCCXXVII. arguimus ex superius enuntiatis Monasterii Servorum Diariis, quæ hæc afferunt:

1327. *Decembris die* VI. *dedi uno barcarolo*, qui duxit ad Episcopatum, *& reduxit domum cum littere Domini Papæ fuerunt lecte, & pronunciate sol.* III. *den.* 119.

Romam itaque appulsus Jacobus Ludovicum Bavarum Imperiali corona per quatuor sindicos populi Romani redimitum, *in unctione augustali cum uxore linivit.* Indignum Jacobi facinus æque indigno præmio compensavit Petrus de Corbaria, quem nefarie Pseudo Pontificem sub Nicolai V. nomine constitui jusserat Ludovicus, die enim XV. Maii ejusdem anni, quarta videlicet post turpem suam electionem die Jacobum de Albertis pseudo Cardinalem, & Episcopum Ostiensem atque Velletrensem creavit, quibus falsæ dignitatis ornamentis diu frui nequivit, Joanne enim vero Pontifice, ad suam Sedem restituto, ipse Ludovicum in Germania sequutus ibidem

dem infeliciter decessit. Plura de Jacobo referunt Raynaldus in Annal. Ciaconius, Villanius in Hist. Florentina & plures alii.

Exauctorato Jacobo de Albertis, Sedes Castellana Pastore vidua per annum remansit, siquidem Jacobi successor Angelus Delphino circa anni 1329. initia, ut mox videbimus, electus fuit, num igitur hoc loco fortasse reponendus Michael Calerghus Augustiniani Ordinis alumnus, quem Sansovinus, Leander Albertus & Ughellus Episcopum statuunt Castellanum anno 1232. quis pro certo asserere audeat, nisi clariora suppetant documenta. Certe si Michael in Cathedra Castellana sedit, non utique eo anno, quem assignant supracitati Scriptores.

XXXVIII. Angelus Delphino Canonicus Patriarchalis primum, mox Episcopus Castellanus ad eam sedem evectus fuit ineunte anno MCCCXXIX. cujus forsitan electio diu dilata fuit, ut si Jacobus Schismaticus resipuisset, suæ Ecclesiæ restitueretur. Tempora electionis & consecrationis novimus ex Diariis Servorum hæc exhibentibus.

1329. *Januarii die 7. In una barca quum Fratres iverunt, ad Episcopum sol.* 1.

Februarii die X. *Dedi uno Barcharolo, qui portavit Fratres ad Chastellum in consecratione Episcopi sol.* 1. *d.* X.

Die XXV. *dedi Barcharolis, qui portaverunt, & reduxerunt Fratres, qui iverunt ad missam novam Episcopi sol.* 2. *den.* VII.

Multa attulimus Operis hujus Tom. I. ad Monasterium S. Andreæ documenta Angeli Delphino I. sui Episcopatus anno Christi videlicet 1329. edita, in quibus illud præcipue notandum est, quod in eorum pluribus enuntietur Angeli Episcopi Vicarius ille ipse Accursius Præpositus Pistoriensis, quem superius attulimus Jacobi Episcopi absentis Vicarium Generalem, ex quo ostenditur virum dignissimum Præsulis, & Domini sui neque fortunam sequutum fuisse, neque exemplum.

Eo ipso anno, quo Angelus Castellanam Sedem ascendit, Aimericus Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus, ac Provinciæ Romandiolæ pro Sancta Romana Ecclesia Rector Apostolicas Joannis XXII. Papæ Epistolas Avinioni pro Canonicis Ecclesiæ Castellanæ die v. Junii anno Christi MCCCXXV. datas debitæ exequutioni demandavit; Earum tenore Pontifex Aimerico Episcopo demandavit, ut præhabito diligenti examine, si redditus Castellanæ Ecclesiæ invenisset pro Canonicorum, qui

duo

duo supra viginti numerabantur substentatione minores, eos ad duodenarium numerum redigeret. Id autem cum justum, & veritati consonum esse reperisset Archiepiscopus, ne plures quam duodecim in Castellana Ecclesia Canonici numerarentur, Apostolica authoritate decrevit, numerumque ipsum in eadem Ecclesia deinceps fore perpetuo observandum statuit amplo diplomate Cesenæ dato die IV. Novembris superius enuntiati anni MCCCXXIX. (R). Mentionem Angeli Delphino fecimus pariter ad Ecclesiam S. Geminiani Tom. V. pag. 353. ubi Instrumentum attulimus, quo Angelus Episcopus Judex Compromissarius litem inter Costantinum Lauretano Primicerium, & Petrum Scutarium S. Geminiani Plebanum super emortuales decimas vertentem composuit. Ecclesiæ Cathedralis Canonicis medietatem decimarum eorum, qui extra Urbem Venetam obiissent, perpetuo concessit, ut affert Ughelli Adnotator, qui & Episcopale Angeli Diploma ex Archivo Patriarchali depromptum exhibet. Ital. Sac. Tom. V. col. 1277. Obiit anno MCCCXXXVI. mense Augusti, ut manifeste produnt Codices introituum Monasterii S. Mariæ Servorum hæc afferentes:

1336. *Augusti. Dedi nautis quum apportaverunt Fratres, ad Episcopatum die* XIX. *mensis in obsequio Domini Angeli Episcopi Castellani sol.* VIII. *In lib. Int. Item habuimus aput Episcopatum in sepultura Domini Episcopi qui sepultus fuit* XX. *die mensis t.* IV.

XXXIX. Nicolaus Mauroceno plenis S. C. suffragiis Angelo Delphino suffectus fuit die XXVII. Aug. anno MCCCXXXVI. cujus anni die VI. Octobris a Guidone Concordiensi Episcopo consecrationis munus accepit. Hæc quæ ab Ugheli Adnotatore afferuntur, confirmant etiam Ephemerides Æconomicæ Monasterii S. Mariæ Servorum:

1336. 30. *Septemb. Item redidi Fratri Laurentio de Venetiis quos solverat eundo, & redeundo de Episcopatu cum ivimus, ad Dominum Episcopum sol.* II. *den.* VIII.

..... *Octob. Item reddidi Macellario nostro f. Christophoro pro* XVI. *libris carnium, quas habuimus die Dominico ante transacto* VI. *die meusis in die qua Dominus Episcopus Castellanus fuit consecratus sol.* XXI. *den.* VI.

Narrant Cortusii lib. VII. cap. XV. Nicolaum Episcopum Vene-

Venetorum anno MCCCXXXVIII. Benedicti Papæ XII. mandato Paduam ab interdicto solvisse:

„ Tempore Dominii illorum de la Scala. Officium in Padua Summus Pontifex interdixit. Hac de causa Dominus „ Ubertinus suos Legatos misit Avinionem. Eorum præcibus „ Benedictus Papa Episcopo Venetorum injunxit, ut Paduam „ accederet festinanter; Qui, receptis litteris Papalibus, die „ XVII. Septembris Paduam venit: qui inveniens Paduanos „ insontes, & interdictos propter inobedientiam illorum de „ la Scala, ab interdicto Paduam liberavit. " Memoratur deinde Nicolaus Episcopus ad annum 1343. quo scilicet anno Ecclesia S. Leonardi, eo permittente, consecrata fuit, uti diximus, ubi eamdem Ecclesiam illustravimus.

Anno deinde MCCCXLVI. die III. Septembris lato Episcopali Diplomate concessit, ut Hospitale S. Andreæ, quod tunc temporis a piis mulieribus institutum fuerat, in Monasterium erigeretur, remanente tamen ipso Hospitali; utraque autem ab Episcopi Castellani jurisdictione exempta esse declaravit, nt videre est Operis hujus Tom. I. pag. 205. ejusdem etiam anni die XXXI. Octobris Episcopale decretum protulit, quo facultatem Zoto de Abbatibus indulsit Hospitale & Ecclesiam, sub Divi Antonii Abbatis titulo construendi, quod quidem decretum in Opere hoc relatum est Tom. IV. pag. 307.

Nicolao Episcopatum administrante legem tulit S. C. super partitione emortualium Decimarum anno MCCCIIL. die XIV. Maii, quam ex Archivo Patriarchali inter documenta proferimus signatam littera (S).

Ab Ecclesia sua circa hæc tempora recessisse, ut in remotas partes se conferret, compertum habemus ex quoddam Indulgentiarum Diplomate a nonnullis Episcopis Avenione degentibus concesso Ecclesiæ S. Salvatoris Venetiarum, cui Vicarius Castellanus anno 1349. die 26. Novembris subscripsit his verbis: *Nos Michael de Salomone Archidiaconus Tarvisinus Rev. in Christo Patris, & Dom. D. Nicolai Mauroceni Dei gratia Episcopi Castellani Vicarius Generalis ipso D. Episcopo in remotis agente prædictas Indulgentias &c.* Nec diu post in patriam rediit, siquidem anno insequenti MCCCL. duobus Episcopis facultatem indulsit, ut Parochialem S. Barnabæ Apostoli Ecclesiam consecrarent, memoriam rei referente marmo-

rea epigraphe, quam dedimus Operis hujus Tom. V. pag. 380. Per Clementis VI. Epiſtolas anno MCCCLI. apud Villanovam Avenionenſis Diæceſis datas mandatum habuit, ut Ducem & Commune Venetiarum ad ineundam cum Januenſibus pacem omni ſtudio evocare teneretur, quæ quidem Pontificiæ epiſtolæ, ab Ughello in Ital. Sac. Tom. V. col. 1279. relatæ ſunt, ſicut & aliæ, quibus Innocentius Papa VI. *confirmationem antiquæ & approbatæ conſuetudinis decimarum diviſionum, quæ inter Caſtellanos Epiſcopos Plebanosque Civitatis atque alios diſtribuebantur, deprecante Nicolao perpetuo valituram aſſeruit*.

Datas fuiſſe Innocentii VI. Epiſtolas anno 1354. aſſerit Ughellus, quæ tamen Chronica nota corrigenda videtur, cum enim Innocentius VI. electus fuerit die XVIII. Decembris anno 1352. annus ejus tertius, ad menſem Auguſti computandus erit annus 1355.

Nicolaum Mauroceno Eccleſiam Caſtellanam adminiſtraſſe, usque ad annum 1349. referunt Marinus Sanutus in principio Chronici & Sanſovinus, qui Joannem Barbo ſtatuunt in Epiſcopatu Caſtellano Nicolai ſucceſſorem. Horum tamen aſſertio ex ſuperius allatis documentis omnino refellitur, ex quibus inter vivos degentem novimus anno 1355. Multo igitur melius Nicolai Epiſcopatum protrahunt Ughellus, & ejus Adnotator, quorum tamen iſte ex Angelo Maria in Collectaneis emortualem ipſius diem ſtatuit penultimam Februarii anni 1467. Quum autem ad Eccleſiam Caſtellanam regendam translatus fuerit ex Epiſcopatu Coronenſi Paulus Foſcarus anno ipſo 1467. die v. Aprilis, nullum profecto remaneret temporis ſpatium, in quo prædictus Joannes Barbo collocari poſſit.

Aliquam tamen nec exiguam temporis intercapedinem innuere videntur æconomica Monaſterii Servorum ſæpecitata Diaria in quibus hæc leguntur:

1366. *Jul. die* XIII. *In carnibus pro Conventu, quum ivimus obviam Epiſcopo l.* II.

...... XVII. *In Barcis quum Dominus Generalis ivit ad viſitandum Dominum Epiſcopum ſol.* XII.

Quum ergo talis expenſarum enuntiatio in hujusmodi Diariis fieri ſolum in novi Epiſcopi adventu ſolita ſit, profecto (ſi tamen hujusmodi conjecturis in re alicujus momenti indulgendum ſit) ex ea argui poſſet, novum Urbi Venetiarum

datum

datum fuisse antistitem anno 1366, qui deinde mortem anno insequenti 1367 oppetiit, ut ex ipsis Diariis ostenditur.

1367. *Februar. die* 19. *Quum fratres Judecæ venerunt ad sepeliendum Episcopum in Barcis l.* 1.

...... XXVIII. *recepi pro sepultura Domini Episcopi Castellani lib.* III. *sol.* XIIII.

Hæc autem cum ita se habeant, locus nobis septem mensium suppeteret, in quo Joannes Barbo Episcopus Castellanus collocaretur. Authoritatem quidem Ughelli ejusque adnotatoris plurimi facio, quorum primus luce clarius esse asserit, quod Nicolao Mauroceno (nemine mediante) successerit Paulus Foscari, alter vero, ut diximus, emortualem Nicolai Mauroceno diem statuit 27. Febr. anni 1467; At cum laudatus adnotator ex Angelo Maria in Collectaneis, quæ plurimis fabulis mendisque undequaque scatent, mortem Nicolai Episcopi hauserit, Chronico Sanuti potius adhærendum censeo, cui ad statuendum Episcopatui Joannis Barbi locum citata Monasterii Servorum Diaria omnino suffragare videntur.

Nec tamen certum est Nicolaum Maurocenum vel anno 1366. vel anno 1367 e vivis excessisse, quod enim potius Episcopatum dimiserit, (ut notat Ughellus) jure arguere possumus ex sæpecitatis Diariis, in quibus ad annum 1395. hæc scripta leguntur:

1395. *Madii* XXVII. *Pro salute animæ Domini Episcopi Mauroceno, & pro salute Sororis suæ ab ipso Domino Episcopo l.* III.

Neque id de Nicolao Mauroceno hujus nominis II. (de quo mox dicemus) enuntiatum fuisse putandum est, siquidem ipse jam antea anno 1379. e vivis excesserat. Argui itaque potest ex simplici veracis codicis enuntiatione Nicolaum Maurocenum Primum Episcopatu abdicato ad privatæ vitæ quietem se reduxisse, in qua senio confectus, ut Fratrum precibus juvaretur, eleemosinæ titulo pecuniam obtulit. Id pro conjectura statuendum ducimus, nisi nobis constet, aliud ex ipsa Maurocena gente virum alicui Ecclesiæ extra Venetias præfuisse.

XL. Joannes Barbo ex Sanuto in Chronico, & ex superius allatis.

XLI. Paulus Foscari Decretorum Doctor Parœciæ primum Sancti Pantaleonis per septem dies præfuit, deinde ad Coronen-

nensem Episcopatum deductus fuit, a quo deinde P. C. suffragiis ad Castellanam Sedem evocatur anno 1367. die v. Aprilis; Venetias ad suscipiendam sibi commissam Ecclesiam accessit die vii. Maii, ut ex ipsis Monasterii Servorum Diariis addiscimus.

Maii die vii. *In barcis quum ivimus obviam Domino Episcopo l.* vi. *sol.* iiii.

Die xxix. *In barca, quæ portavit Magistrum, & alios fratres, quum iverunt ad visitandum Episcopum l.* ii. *sol.* ii.

Junii xix. *Expendidi, quos Prior expendidit, quum Magister, & ipse Prior iverunt ad visitandum Episcopum in piscibus sol.* x.

Ecclesias S. Cassiani, & S. Joannis de Judaica a Paulo consecratas fuisse, refert Adnotator Ughelli illam anno 1367. hanc vero anno 1371; Primam ex marmorea inscriptione enuntiavimus, alteram vero unde hauserit eruditus Scriptor ignoramus, cum & se ignorare, a quo Episcopo consecrata fuerit, mihi sciscitanti retulerint Monachi habitatores loci. In ipsa Judaicæ insula Sacras Divæ Euphemiæ, & Divi Jacobi ædes consecravit Lucas de Venetiis Episcopus Cardicensis ipsius Pauli Foleri absentis Vicesgerens. Aberat Paulus, quia (ut prudenter scripsit Ughelli Adnotator) *nimis rigidus Ecclesiæ suæ jurium propugnator multiplici contentione, gravissimisque litigiis Rempublicam exagitavit. Caverat ista ad tollenda, quæ frequenter oriebantur, scandala, publico Decreto, ne imposterum a defunctorum hæredibus exigerentur decimæ, nisi quas illi morientes sponte, ac libere legassent. Quod cum ægerrime Paulus ferret, saluberrimæ sanctioni adversari cœpit, totisque viribus obluctari: atque jamdiu ante diremptam de primigenia Capellæ D. Marci exemptione ab Ordinarii jurisdictione litem redintegrare summa ope conatus est, impetratis litteris Apostolicis de subjectione ejusdem Capellæ Episcopatui Castellano. Cumque propriis viribus nihil proficeret, ad summum Pontificem Avenionem se contulit, ut geminatis veluti armis Rempublicam dirius impeteret, quam nullis precibus, nullis minis deterritus oppugnare non destitit, donec corpore prius, quam animo fractus ultimum spiritum a patria, & Ecclesia sua remotus exhalarit Romæ, ut ajunt anno ad summum* 1376.

XLII. *Joannes de Placentinis* Parmensis, qui Ecclesias Cerviensem, Patavinam, & Urbevetanam successisse rexerat, Castel-

stellanæ Sedi a Gregorio XI. præficitur anno 1376. Marmorea epigraphe, quam dedimus Operis hujus Tom. 11. pag. 67. nos docet, Joannem de Placentinis Episcopum Venetiarum anno 1376. sui Episcopatus primo, Sacellum *Vultus Sancti* prope Ecclesiam S. Mariæ Servorum erectum solemni ritu consecrasse. Cum autem adversum Urbanum VI. ad Petri Sedem die 7. Aprilis anno 1378. canonice evectum stetisset Robertus Gebenensis Cardinalis Pseudo-Pontifex Clemens VI. nuncupatus; Joannes Episcopus Castellanus seu errore deceptus, seu spe amplioris dignitatis allectus, ad Antipapæ partes se transtulit ipso anno 1378, vel circa initia anni insequentis; quapropter Episcopatu ab Urbano Pontifice privatus fuit, & ex Urbe Venetiarum, (quæ sub ipsius Urbani obedientia permanserat,) seu recessit, seu (quod probabilius videtur) ejectus fuit. Ejus a sua Sede expulsionem, jam procedenre anno 1379, evenisse dicendum est, siquidem anno Christi 1378. die penultima Decembris in Episcopali Palatio Castellano in Camera Audientiæ degens litteras Urbani Papæ VI, cujus se nominat Commissarium, datas Fr. Nicolao de S. Juliano Priori Monasterii Sanctorum Joannis & Pauli, exequutioni mandavit, cujus quidem Episcopalium litterarum autographum in eodem SS. Martyrum Cœnobio asservatur. Aliquam etiam anni 1379. partem in Castellano Episcopatu egisse, constat ex antiqua scheda Patriarchalis Archivi, in qua legitur: *Rev. P. D. Joannem Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Castellanum cartam securitatis Procuratoribus S. Marci fecisse de recepta Decima, qui Joannis de Arpin* de confinio S. Augustini &c. Circa igitur hæc tempora Joannes schismatico spiritu agitatus Venetias reliquit, ut ad Pseudopontificis aulam commigraret. Nec tamen quamvis a Sede expulsus titulum suæ Ecclesiæ dimisit: etenim ad falsam, & spuriam Anticardinalatus dignitatem tit. S. Cyriaci in Termis a Clemente assumptus, *Cardinalis Venetiarum* nuncupari voluit. In libro obligationum Sacri Collegii sub Antipapa Clemente die 12. Julii anno 1385. (ita Ughellus) cum illius creationis omnes Cardinales recenseantur, inter illos septimo loco numeratur Joannes his verbis: *Joannes de Placentinis Episcopus Castellanus absens à Curia*. Ciacconius vero pag. 798. in Cardinal. a Cl. 7. Pseudop. creatis anno 1385. num. 22. hæc affert: Joannes de Placenti-

nis Gallus Episcopus Castellanus Presb. Anticard. tit. S. Cyriaci in Termis. Moritur in Benedicti XIII. obedientia. Addit ad hæc Adnotator Ciacconii: Joannes de Placentinis, quem Ciacconius natione Gallum facit, Frizonius tamen illum inter Gallos non nominat. Ludovicus Morerius in suo Magno Dictionario, dum seriem texit Cardinalium Clementis VII. Antipapæ Joannem de Placentinis Episcopum Castellanum alto silentio prætermittit, septimo autem loco promotionis superius enuntiatæ alium Joannem de Neocomo seu de Novo Castro *Neuf Chastel* Gallum Episcopum Nivernensem, & Cardinalem tit. Sanctorum quatuor Coronatorum affert, eumque alibi asserit cum magna sanctimoniæ fama Avenione defunctum; mox ipse Scriptor dum numerum 22. a Ciacconio relatum attingit, Joannem de Murol affert Gallum Episcopum de Saint Paul trois Chateaux Presbyterum Cardinalem tit. S. Cyriaci, qui quidem Joannes cum Veneto seu Castellano Episcopo in nomine convenit, & in titulo Cardinalatus, non vero in natione, neque in Episcopatus nomine. Quum autem superiusenuntiati Scriptores concordare videantur omnes in hoc, quod Joannes de Placentinis Anticardinalatus titulo a Clemente VII. Pseudopontifice indutus fuerit, attamen Andreas Gatarus, qui circa initia sæculi XV. Chronicon Patavinum Italice concinnavit, Joannem de Placentinis Cardinalem Venetiarum enuntiat sub Urbano VI, antequam Robertus Cardinalis Gebenensis Clementi VII. nomen, & Pontificiam sibi dignitatem arrogaret. Gatari Chronicon relatum est a Muratorio Tom. 17. Rerum Italicarum, cujus lege pag. 262. Utilius vero consulenda sunt, quæ diligentiori opera protulit Baluzius ad vitas Paparum Avenionensium.

Marinus Sanutus in Chronico, & Sansovinus in suo Veneto chroniculo Joannem de Amadeis Venetum Episcopum Castellanum, & deinde Cardinalem reponunt inter Paulum Foscarum, & Angelum Corrarium Episcopos Castellanos rejectis omnino, & prætermissis Joanne de Placentinis, & Nicolao Mauroceno hujus nominis secundo, quos tamen certum exploratumque est Castellanam Sedem obtinuisse. Ex quo fonte Episcopalem, & Cardinalitiam Joannis Amadei dignitates hauserint Sanutus, & Sansovinus me latet, illorum enim temporum gesta ex acerbitate schismatis, & hominum incuria, errori-

roribus, & confusione undique redundant. Superius enuntiatum Gatari chronicon asserit ab Urbano VI. in ipsis sui Pontificatus exordiis tres natione Venetos Viros inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuisse cooptatos, num ex iis fuerit Joannes Amadeus, quis asserere ausit, cum præcipue ex Scriptorum consensu innotescat solum Ludovicum Donatum ex Venetis ab Urbano VI. in prima sua electione ad Cardinalatum evectum fuisse.

XLIII. Nicolaus Maurocenus hujus nominis, & agnominis II. Decretorum Doctor, Joanni expulso suffectus, brevi Pontifex fuit: eodem enim anno 1379. mense Novembris obiit, ut innuunt ephemerides Monasterii Servorum, quæ Nicolai Mauroceni suppresso ejus dignitatis titulo depositionem diei 25. Novembris assignant.

1379. 29. *Novembis. Habui pro parte Domini Michaelis Mauroceno Procurat. Divi Marci, pro missis dicendis Ducat.* IIII.

. . . . 29. *Nov. Pro anima Domini Nicolai Mauroceno sepulti in Ecclesia Castellana in die Sanctæ Catharinæ l.* 1. *sol.* VI. *d.* VIII.

Emortualem epigraphen, quæ olim (ut testatur Ughellus) *in veteri Cathedrali spectabatur* ad sepulcrum Nicolai Mauroceni apposita, hanc ad Nicolaum Maurocenum hujus nominis I. Episcopum Castellanum spectasse asserit ipse Ughellus Italiæ Sacræ Venetæ edit. Tom. V. col. 1281; accuratius tamen rem perscrutatus Clariss. Colettus in addit. epitaphium ab Ughello allatum assignat Nicolao Mauroceno II. Episcopo Castellano, qui *deposito Joanni datus est successor anno* 1379, & deinde *eodem anno decessit die* 24. *Novembris*, ut ex ipsa epigraphe colligimus, cujus hæc sunt carmina:

„ Doctor opus decreta legens egi, eligor Urbe
„ Hac Præsul Papæ jam Protonotator, acerbi
„ Dum belli ad finem pœnes hostes oro superbos,
„ Evocor ad superos cum fastibus ossa relinquens.
„ Bis decima, & quarta Nicolaus luce Novembris
„ Mauroceno auras liquit, tunc mille trecentis;
„ Atque novem, & septem decies labentibus annis.

Porro

Porro ex iis, quæ epigraphe ipsa exhibet, jure debemus de ipsius veritate ambigere, tria enim ibidem notantur inter se dissona, in quorum inquisitione est diligentius versandum; Nicolaum nempe Maurocenum jurisprudentiæ operam dedisse, Prothonotariatus Apostolici dignitatem obtinuisse, atque publica solemnique legatione apud hostes Reipublicæ functum fuisse ad finem acerbi belli, Clodiensis scilicet, ex cujus angustiis ipsa Reipublicæ libertas in discrimen adducta fuit. Nicolaum Maurocenum Doctorem anno *1379.* a Veneto Senatu missum fuisse Oratorem ad Ludovicum Hungariæ Regem, qui cum Januensibus, & Patavinis adversus Rempublicam Venetam fædus inierat, testatur Marinus Sanutus in Chronico, ut videre est Tom. XXII. Rerum Italicarum col. *686.* Hæc sunt Chronologi verba.

„ Pel Consiglio de Pregati fu preso (anno *1379.* Mense Ju-
„ lio) di trattar pace col Re d'Ungheria, e pareva ch'e' fos-
„ se inclinato a farla, e così i suoi Capitani etiam, co' Ge-
„ novesi e gli altri. E furono eletti cinque Ambasciadori pro
„ pace tractanda, i quali furono questi Oratori al Re d'Un-
„ gheria per trattar la pace in Trivigiana, ser Niccolò Mo-
„ rosini Dottore in Legge, ser Jacoppo de Priuli, ser Zacca-
„ ria Contarini, ser Giovanni Gradenigo, ser Michiel Moro-
„ sini Procuratore.

De his deinde legatis iterum sermonem astruit col. *693.*
" A *16.* di Settembre venne a Venezia uno de cinque Am-
„ basciatori predetti, il qual fu Zaccaria Contarini perochè
„ di cinque ch'erano, due ritornarono a casa.

Unus ex his duobus, qui ex credita sibi legatione domum redierunt fortasse fuit Nicolaus Maurocenus Doctor superius memoratus, qui ex legatione (si emortuali ipsius elogio fides habenda sit) ad Ecclesiasticam dignitatem assumptus, sæculare munus, quod agebat, dimisit. Verum aliquam nec levem ambigendi occasionem afferunt ea, quæ in ipso Sanuti Chronico paulo post col. *698.* leguntur, scilicet: " Adi *26.* di No-
„ vembre fu rimandato in Trivigiana Lionardo Dandolo, Mi-
„ chiele Morosini Procuratore, e Nicolò . . . . . Dottore
„ Ambasciatori nostri per entrare di nuovo sulla prattica del-
„ la pace. " Num intervallum punctis signatum ab authore vel potius ab exscriptore prodierit, quis pro certo affirmare au-

sit,

ſit, attamen cum & nomen, & tituli ornamentum optime ſuperius enuntiato Mauroceno Legato congruant, non immerito dicendum erit ex Librarii vitio Nicolai agnomen ommiſſum fuiſſe, quod quidem inveriſimile eſt Sanutum latuiſſe. Inextricabilem itaque affert difficultatem Epigraphe, quæ in uno Nicolao Mauroceno & Eccleſiaſticam Prothonotariatus Apoſtolici dignitatem & ſæculare Legationis munus copulat, quæ quidem inter ſe diverſa officia numquam poſſunt in homine laico, & Venetæ Reipublicæ miniſteriis addicto conciliari.

Nicolaum Maurocenum Archidiaconum Caſtellanum, & Doctorem non uno ex documento habemus, ab anno 1367. ad annum 1377. ejusque nomen inter eos qui anno 1367. *ſe fecerunt ſcribi ad probam ad Epiſcopatum* Caſtellanenſem in publicis regeſtis legimus ſcriptum hoc modo: *Venerabilis Vir Dominus Nicolaus Maurocenus Archidiaconus Caſtellanus Decretorum Doctor poſtulatus per Cauonicos Caſtellanos*.

Quum igitur ex antiqnis authenticisque documentis Nicolaum Maurocenum habeamus Doctorem, & Archidiaconum Caſtellanum, atque ex Hiſtoriis Marini Sanuti, cui adhæret Caroldus in Chronico, Nicolaus Maurocenus enuntietur Doctor, & ad hoſtes Reipublicæ Legatus, veriſimile eſt in allata Cathedralis Eccleſiæ ſeu vera, ſeu aſſerta epigraphe utrumque Nicolaum unitum fuiſſe, atque indiſtincte confuſum. Hæc de Nicolao Mauroceno II. in maxima rerum obſcuritate afferenda cenſui, donec rei veritas ex documentis, ſi tamen inveniri poterunt, eluceſcat.

Quod autem in Diariis Servorum Nicolaus Maurocenus retento dignitatis nomine recenſeatur, id fortaſſe in cauſa fuit, quod ad Epiſcopale munus aſſumptus, nondum conſecrationis honorem excepiſſet.

XLIV. Angelus ex Patritia Corraria gente, Nicolao patre, Polixena matre, Venetiis progenitus anno 1335. ab infantia adeo morum gravitate, litterarum ſtudio, & pietate excelluit ut jam inde eas virtutes oſtenderet, quæ maximum aliquando futurum Pontificem decebant; cujus quidem adhuc pueri pietatem, & ſapientiam teſtatur S. Antoninus in Chron. par. III. tit. XXII. cap. V. his verbis: *fuit vir iſte* (Gregorius XII.) *a pueritia magnæ ſanctimoniæ, & ſapientiæ* Doctrina itaque, & animi ſanctitate conſpicuus a Bonifacio Papa IX. primum

inter Referendarios Apostolicos relatus est, mox Apostolicæ Sedis Nuntius ad Regem Ladislaum Neapolim missus, civium animos Ludovico Andegavensi addictos in Regis Ladislai fidem authoritate, & mira dexteritate reduxit: eamque Ecclesiam, (ut refert Ughellus,) pastore destitutam aliquandiu administravit. Picenam deinde Legationem dum ageret, defuncto Nicolao Mauroceno hujus nominis II. Episcopo Castellano patriæ Sedi præficitur anno 1379. exeunte, Ecclesiæ sibi commissæ administrationem capessivit anno insequenti 1380. ad finem vergente, ut ex Diariis sæpe enuntiatis Monasterii Servorum addiscimus:

1380. *Octobris. Item spendidi die* xv. *in carnibus pro Lectore, & pro Fratribus qui visitaverunt Dominum Episcopum sol.* xvii.

Novemb. Item dedi die xxii. *nautæ, qui portavit Fratres, ad Castellum quum Magister Antonius Cera* (da Fiorenza Lettore, e Vicario del Monasterio) *fecit ibi sermonem.*

Ecclesiasticæ disciplinæ, & regularis observantiæ eximius zelator, ut Venetas Sanctimoniales, quarum fervor refrigueerat, ad officium revocaret, quasdam constitutiones generales edidit anno MCCCLXXXIII. quas etiam in Ecclesia Cathedrali in prima Dominica quadragesimæ publicari mandavit (Operis hujus Tom. I. pag. 171.) Laudabilem ipsius vitæ rationem, quam in Episcopatu egit, affert Mozzagrugnius in lib. cui titulus *Narratio Rerum Gestarum Canon. Regul.* l. v. pag. 3.
" In Episcopatu morum, & vitæ severitatem pariter, cum
" dignitate augendam esse putavit. Talem itaque deinceps in
" utroque hominem se exhibuit, ut exemplo sui cogeret,
" quos prece, aut imperio flectere nequivisset. Utramque enim
" vitam ita complexus est, ut nunquam a Divinorum con-
" templatione negotium, aut a negotio contemplatio læderetur.
" Semper etiam quoad vixit voluntariam paupertatem
" ita cunctis antetulit divitiis, ut præter necessaria corporis
" indumenta, & illa quidem vilia, ac supellectilem tenui
" vitæ peropportunam, nihil ei reliquum esset; quin etiam
" quandoque, quos legebat, mutuo petebantur libri. Talibus
" itaque intentus operibus, ejus sanctæ vitæ odor longe la-
" teque per totam Italiam in dies diffundebatur, cujus cum
" fama ad Bonifacii IX. aures fuisset allata, ad se accersitum

" ab

„ ab suo discedere latere noluit, eumque ad Patriarchalem
„ Bysantinæ Sedis titulum promovit.

Anonymus quidam Scriptor, qui vitam Gregorii XII. effrenato calamo concinnavit, affert Angelum Veneto Dominio potissimum urgente, cui minimum acceptus erat, e Castellana Sede abductum fuisse, quod alto silentio prætereunt universi tam ms. quam typis editi rerum Venetarum historici, qui tamen controversias memorant a Nicolao Mauroceno hujus nominis primo, a Paulo Foscaro, a Leonardo Delphino, aliisque, tum Episcopis, tum Patriarchis Venetiarum excitatas, nec afferre prætermittunt, quanto studio egerit Senatus, ut Paulus Foscarus a Castellana Sede alio deduceretur. Cum autem anonymus author, quem nomen suum prodere puduit, ne falsitatibus fidem minueret, in Gregorii nomen & gesta venenum pleno ore evomat, nec Episcopatui ipsius callide pepercit, ut ex eo ad Pontificiam famam lacerandam, viam sibi faciliorem astrueret. Bonifacio IX. itaque, cui Angeli Episcopi virtutes innotuerant, ad majora evocante Angelus Episcopalem Sedem dimisit, de cujus discessu (quod notatu dignum est) hæc scripsit: B. Thomas Antonius Senensis in suo Tractatu Ordinis de Pœnitentia S. Dominici ut videre est Operis hujus Tom. VII. pag. 101. “ Occurrit mihi, quod;
„ cum dictus Dominus Patriarcha erat in Venetiis, iturus
„ Romam, in tantam perplexitatem se recepit erga dictum
„ accessum, quod nesciens, quid eligeret, an inibi accedere,
„ vel ne; tandem elegit tres, quorum ego fui unus, dicens
„ nobis: ego finaliter sic deliberavi, videlicet, quod, ubi
„ dicatis mihi, quod ego non vadam Romam, ego non ibo.
„ Si autem, quod vadam, ibo. Et deliberantes, quod iret
„ Romam, tunc se determinavit ad eundum, & ita executio-
„ ni mandavit.

Romam itaque ex obedientia accedens a Bonifacio IX., qui eum advocaverat, libentissime acceptus Constantinopolitano Patriarchatui *cum Chalcidensis in Insula Euboea Ecclesiæ commendatione* anno MCCCXC. præficitur: mox ab Innocentio VII. sibi in amicitia familiarissime juncto Legatus Marchiæ, & S. R. E. titulo S. Marci Presbyter Cardinalis creatur anno Domini MCCCCV. die VII. mensis Junii Statuenda hæc delati Cardinalatus dies ex superius laudati Thomæ Senensis tracta-

tu mihi est, in quo Angelum Corrarium lego *de mense Junii in festo Pentecostes ab eodem Innocentio, cum octo aliis factum* fuisse Cardinalem, & Legatum in Marchia. Cum itaque annus 1405. aureo numero XIX. & littera Dominicali D notatus sit, Pascha eo anno incidit in diem XIX. Aprilis, festum autem Pentecostes in diem VII. Junii.

Integerrimo Angeli animo testimonium non semel perhibetur in citato tractatu, dum vir *conscientiosus* dicitur, atque in expediendis negotiis *astrictus*, *tardus*, *atque remissus propter arctam conscientiam*, *quam habere consuevit*, *in omnibus*, ex quo propterea Ubertinus de Albizis Procurator Ord. Prædicatorum Angelum vocat *nimis conscientiosum*, *& frigidum*. Nec ad integritatem ejus comprobandam alii desunt Synchroni Scriptores, S. Antoninus nempe Archiepiscopus Florentinus, & Sozomenus Presbyter Pistoriensis, qui in libro, cui titulus *Specimen Historiæ* in collectione Rerum Italic. Tom. XVI. col. 1189. Gregorium laudat his verbis: *In sacra pagina peritissimus*, *& homo justus reputatus*, & paulo post: *Vir prisca severitate & sanctimonia reverendus*.

Contigit interea Innocentium VII. apoplexiæ morbo correptum Romæ e vivis excedere, quapropter Cardinales pro deligendo successore congregati, virum quærere decreverunt *peritia rerum agendarum* (ut ait Spondanus) *fide & integritate idoneum*, cui agitatæ Ecclesiæ gubernacula committerent. Antequam vero ad electionem accederent Cardinales se se solemni jurejurando adstrinxerunt, *quod si quis eorum ad apicem summi Apostolatus assumptus fuerit pro redintegratione unitatis Christianorum renuntiabit effectualiter juri suo*, *& Papatui*, *si & quando antipapa*, *qui est*, *& qui pro tempore fuerit consimiliter renuntiabit prætensis juri suo*, *& Papatui*, *vel decedat*; multa etiam eo tempore voverunt, quæ ad unionem Ecclesiæ, vel necessaria, vel opportuna fore cognoverunt. *Ea* (inquit Leonardus Aretinus in Hist. Rer. Italic.) *multis solemnibusque verbis*, *cum in unum redegissent*, *& Chirographa singulorum confecta essent*, *agitare post hæc de electione cœperunt*. *Vir quærebatur non tam peritia*, *quam fide*, *integritateque idoneus*, *quippe ad bene agendum in ea quidem re non calliditate consilii*, *neque profundo arcanoque pectore*, *sed bona voluntate tandem in Angelum Corrarinm natione Venetum mentem consensumque omnes*

nes

nes verterunt. Is fuerat paulo ante opera Innocentii Pontificis inter Patres adscitus, cum antea titulo tenus Patriarcha Constantinopolitanus haberetur; Vir prisca severitate, & sanctimonia reverendus.

Angelum S. R. E. titulo S. Marci Cardinalem Corrarium Constantinopolit. nuncupatum, ad Petri Sedem evectum fuisse die II. Decembris refert Raynaldus in Annalibus ad annum 1406. at cum in Venetæ Reipublicæ registis extent ipsius Angeli jam ad Pontificatum evecti, & Gregorii XII. nomine nuncupati Epistolæ Micheli Steno Duci, & Consilio Venetiarum datæ *Kalendis Decembris secundo post assumptionem nostram* (ut in Epistolis) *die*, certum compertumque est ad Pontificiam dignitatem non die II. Decembris, sed XXX. Novembris assumptum fuisse.

Concordant Pontificio scripto aliæ Epistole, quas iisdem Duci & Consilio in lætitiæ argumentum miserunt S. R. E. Cardinales, quorum unanimi voto Gregorius ad Apostolicum culmen evectus fuit. In iis Epistolis Senatui denuntiant Cardinales, se *Angelum tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem nemine discrepante die ultimo Novembris in Dominum* elegisse, *atque Patrem*, ipsumque *post reluctationem*, & *condescensum* Pontificio diademate redimisse.

Creatus itaque Pontifex Gregorius Duci, & Consilio Patriæ suæ Venetiarum eas, quas enuntiavimus, epistolas misit amoris plenas *Kalendis Decembris secundo post assumptionem* suam die, quibus Divinæ Clementiæ opus in exaltatione sua magnificat, & manifestat, seque *pro statu & honore Venetorum, ut pro filiis prædilectis, potentiam, & paternalem diligentiam casu quolibet* exponere promittit. Has itaque, (quas dixerim privatas) litteras, quum Venetis suis quasi in Civicæ dilectionis testimonium dedisset Gregorius, alias deinde ipsis *Duci & Consilio Venetiarum* utpote uni ex fidelissimis Christianæ Reipublicæ Principibus misit, electionem suam, & juramentum de deponendo, ad Ecclesiæ utilitatem Pontificatu denuntians, ipsasque epistolas inserens, quas Petro de Luna in sua obedientia Benedictus XIII. nuncupato eadem die direxerat. Epistolæ ad Pseudopontificem missæ afferuntur etiam a Raynaldo in quibus Chronica mensis nota legitur X. die ab assumptione nostra XI. vero Decembris; ex qua utique nota perperam apposita,

sita, electionem Gregorii alligavit Clar. Historicus ad diem II. Decembris. Corrigendi itaque ex mox afferendis Epistolis erunt Raynaldus & alii, qui electionem Gregorii seu ad diem XXXI. Octobris, ut Platina, seu ad diem XXIII. Novembris, ut Calmetius, assignarunt. Geminas Gregorii Pontificis epistolas ex integro exhibemus, eique adjicimus tum eas, quæ Veneto Duci direxit Sacrum Cardinalium Collegium, tum tres alias, quas Summo Pontifici, Cardinalibus, atque Senatori Urbis, populoque Romano dederunt Dux, & Dominium Venetiarum.

„ Gregorius Episcopus Servum Servorum Dei. Dilectis fi-
„ liis Nobilibus Viris Michaeli Steno Duci, ac Consilio Ve-
„ netiarum Salutem & Apostolicam benedictionem. Regnans
„ in secula unigenitus Dei filius Jesus Christus, qui prodi-
„ gia facit in Cœlo sursum, & terra deorsum sacrosanctam
„ Romanam Ecclesiam suo pretiosissimo fundatam sanguine,
„ ad cujus regimen licet insufficientibus humeris assumpti fui-
„ mus, super Petram fidei indefficienti soliditate firmavit, ita
„ ut ipsam nec procella turbinis avertere, nec in eam pre-
„ valere possit spiritus tempestatis. Sic igitur ante paucos hos
„ dies emergente transitu felicis recordationis Innocentii Pa-
„ pe Septimi Predecessoris nostri ad Dominum, prout de Di-
„ vine pietatis miseratione confidimus, statum ejus in unita-
„ tem Sancti Spiritus, & pacis vinculo Divina Providentia
„ conservavit. Defuncto siquidem die sexta mensis Novembr.
„ proxime preteriti Rome apud Sanctum Petrum eodem pre-
„ decessore nostro, solemnibusque celebratis exequiis pro eo-
„ dem, & ejus corpore in Basilica Principis Apostolorum de
„ Urbe honorifice deposito, habitus est a fratribus nostris S.
„ R. Ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus,
„ exquisitissime, prout tanta rerum sublimitas exposcebat, de
„ successoris electione tractatus, in quo tanta fuit unitas om-
„ nium, tamquam ad invicem uniformiter concordantium, ut
„ intelligatur in eis operatum existere per eum, in cujus ma-
„ nu non solum hominum corda, sed Celum & terra consi-
„ stunt, ad fragilitatem nostram, qui tunc tituli Sancti Mar-
„ ci Presbyteri Cardinalis eramus, oculos industrie sue cir-
„ cumspectionis intenderunt, & factum est, sicut Altissimo
„ placuit, ut nos ad Apostolice dignitatis fastigium in Patrem

ele-

„ elegerint, & Pastorem. Sollicitudine igitur administratio-
„ nis universalis Ecclesie nunc assumpta Divine propitiationis
„ misericordiam imploramus, ut per sue voluntatis benepla-
„ cita in viam pacis dirigat gressus nostros, & favorem no-
„ bis celestis pietatis inspiret, ut eo per hanc procellosi ma-
„ ris altitudinem nobis portum salutis desuper largiente sub
„ Sacerdotio nostro in militanti Ecclesia proveniat desiderabi-
„ lis unionis tranquillitas cunctis exoptanda fidelibus, ad quod
„ omnia desideria nostra tendunt, & quoniam ad incrementa
„ status honoris, & nominis vestrorum, & Urbis, unde origi-
„ nem ducimus, & ad natalis soli dulcedinem omnis nostra
„ declinat intentio, hujusmodi assumptionem nostram devo-
„ tioni vestre ad letitiam tenore presentium intimamus. Sci-
„ mus enim, & experientia in omnibus comprobata clarissi-
„ me demonstravit, nobilitatem vestram semper de cunctis
„ nostris successibus exultasse quamplurimum. Nosque ex
„ vestris cordi nostro semper insidentibus velut de propriis
„ jucunditatem suscepimus. Et dum hac vitali luce fruemur,
„ ab intimis nostris precordiis non immerito capiemus. Ce-
„ terum exhortari eandem devotionem vestram ad solite fi-
„ delitatis, & devotionis constantiam erga statum, & hono-
„ rem prefate Ecclesie atque nostrum, necessarium non puta-
„ mus, nam certissimi reddimur integritatem ejusdem vestre
„ devotionis, & fidei eam indesinentibus studiis, & continua-
„ tis semper affectibus impleturam. Nos enim pro Statu, &
„ honore vestris omnem nostram, & prefate Ecclesie poten
„ tiam, & paternalem diligentiam casu quolibet jugiter ex-
„ ponemus, ut pro filiis predilectis.

„ Data Rome apud Sanctum Petrum sub signeto nostro,
„ quo utebamur, dum eramus in minoribus constitu-
„ ti, Kalendis Decembris, secundo post assumptionem
„ nostram.

„ Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis
„ Nobilibus Viris Michaelis Steno Duci, & Consilio Vene-
„ tiarum salutem & Apostolicam benedictionem. Eo celerius
„ dilecti filii litteras nostras ad universitatem Vestram scribe-
„ re properavimus, quo majorem letitiam, & eisdem litteris

cum

„ cum ſtudia, & deſideria Noſtra circa Pacem, ac redintegrationem Chriſtianorum cognoveritis, vos credimus ſuſcepturos. Etenim felicis recordationis Innocentio Papa Septimo Predeceſſore noſtro octavo Idus Novembris ab hujus ſeculi mortalitate ſublato, cum poſt exequias, ut moris eſt ſolemniter celebratas, Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, invocata Spiritus Sancti gratia in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum, pro electione futuri Romani Pontificis Conclave intraviſſent, multis, ac variis tractatibus per plures dies habitis, tandem in nos tunc tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem unanimiter oculos direxerunt, nos in Romanum Pontificem concorditer eligentes. Nos vero quamquam pro imbecillitate noſtra tantum onus ſubire formidabamus, tamen in eo, qui mirabilia facit, ſpe concepta, ſubmiſſimus humeros non de noſtra virtute, ſed de Summi Dei, cujus proculdubio res agitur, benignitate confiſi, cura igitur Paſtoralis officii, non pro nobis, ſed pro Dei honore, & publice utilitatis commodo ſuſcepti ad illud ante omnia convertimus animum, ut cum effectu hanc peſtiferam, & exitialem ſciſſuram, que per tot annorum curricula populum Chriſtianum pervaſit, ad redintegrationem, & unitatem reducamus, ſuper quo tantam gratiam ſperamus nobis ex alto preſtari, ut jam nobis ſuaſerimus brevi temporis ſpatio hoc, quod cupimus, ad effectum perducere, atque ut omnibus notum ſit animi noſtri propoſitum, decrevimus non juri noſtro, quod veriſſimum eſt, innitentes tollere omnem affectum, & effectum tam juris, quam facti, quantum in nobis rationabiliter eſſe poterit, quo impediri valeat gratiſſima Chriſtianorum unio, ne tantis calamitatibus ſubjiciatur Sacroſancta Eccleſia. Sed quo validiora, firmiora, & certiora ſunt jura noſtra, & quanto magis de illis nullatenus dubitamus, tanto laudabilius eſſe ducimus, pro pace Chriſtianorum illa deponere. Non enim ſemper juri inherendum eſt, ſepe utilitas, & temporis habenda eſt ratio. Itaque omni contentione ſepoſita ad adverſarium noſtrum jam ſcripſimus, ipſum ad pacem, & unionem benigne invitantes, atque offerentes nos paratos ad juris noſtri ceſſionem, & ad Papatus renuntiationem efficaciter per nos facien-

„ ciendam si; & quando ipse adversarius, vel ejus successor
„ quicumque hoc idem faciat, renuntians scilicet pretenso ju-
„ ri, & Papatui suo vel decedat. Dummodo illi, qui apud
„ dictum adversarium pro Cardinalibus se gerunt, sic conveni-
„ re, & concordare cum ipsis fratribus nostris velint cum ef-
„ fectu, ut exinde canonica unici Romani Pontificis sequatur
„ electio. Nec non offerimus omnem aliam viam per quam
„ scisma tollatur, & unionis sequatur integritas. Quam ela-
„ tionem, ut strictiori vinculo fieret, juravimus, vovimus,
„ & promissimus ante assumptionem nostram eodem vinculo
„ efficaciter implendam, cum singulis ex ipsis Fratribus in ca-
„ su, in quo aliquis nostrum ad Apicem Summi Apostolatus esset
„ assumptus post ipsam assumptionem id ipsum ad firmiorem
„ constantiam denuo jurantes, voventes, promittentes, ac ra-
„ tificantes. Oratores etiam nostros celeriter missuri sumus
„ de loco idoneo, ut dicti cum eisdem disponant, ad hujus-
„ modi unionem faciendam. His igitur cognitis de pace, &
„ unitate Ecclesie bonam spem suscipere debet vestra dilectio.
„ Nam profecto confidimus tempus advenisse, in quo anxia
„ christianorum complebuntur vota. In ceteris autem rebus,
„ que ad universitatem vestram attinent, quam specialis affe-
„ ctionis prerogativa complectimur, gratiam, & benevolentiam
„ nostram promptissime offerentes. Tenor autem litterarum,
„ quas circa premissa dirigimus prefato nostro adversario se-
„ quitur; & est talis: Gregorius &c. Petro de Luna, quem
„ nonnulle gentes in hoc miserabili Schismate Benedictum
„ Decimum Tertium appellant, pacis, & unionis affectum.
„ Qui se humiliat, inquit veritas, exaltabitur, & qui se exal-
„ tat, humiliabitur, cujus saluberrimam admonitionem, quan-
„ tum nobis ex alto permittitur, obedienter secuti, decrevi-
„ mus per Litteras nostras omni contentione seposita benigne
„ te affari, & ad reintegrationem Ecclesie cohortari, imo te
„ invitare ad id consilium capescendum, quod nos ipsi pro
„ pace Christianorum accepimus. Vides quanta mala, quan-
„ ta pericula, quanta denique Christiane Religionis infamia
„ jam per triginta annos ex hac pestilenti, & nefaria seditio-
„ ne in populo Dei pervenerint, quantaque, nisi provideatur,
„ sint quotidie prosequutura: horum omnium malorum, qui
„ causa ab initio fuerint, certum videtur, quibus rigor justi-

„ tie non cessit, nec forsan equitas persuasit. Nihilominus tamen graves molestias Christianam Religionem perpesam non dubitat. Si ergo nunc quoque eodem modo fiat, dubius est remedii locus, quominus Ecclesia in solitis remaneat angustiis. In qua re tu de te ipso, ac de conscientia tua videris, nos mentem, atque intentionem nostram apertissime profitemur. Non est Consilii Nostri, tempus aliquo modo terrere, sed quo validiora, certiora, & firmiora sunt jura nostra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace, & redintegratione Christianorum relinquere. Non enim semper de summo jure disputandum est, sepe rigor ipse utilitati, & tempori cedit. Nam si mulier illa, & jure suo renuntiare, & proprio filio spoliare se voluit, ne sectionem unius pueri videret, quanto magis, nos si malitia operante ad optare unionem venire non possumus, per justitie vias pie cedendum videtur. Quare exurgamus ambo, in unum unionis affectum concurramus, feramus salutem Ecclesie jam hoc diuturno morbo afflicte. Ad hoc te hortamur, ad hoc te invitamus, paratique sumus, & offerimus modo verissimo juri, & Papatui cedere, & renunciare, & efficaciter faciemus, si, & quando tu renuntiabis, & cedes pretensis juri, & Papatui tuo, vel decedes, vel quicumque Successor Tuus renuntiabit, & cedet pretensis Juri, & Papatui suo, vel decedet, dummodo illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus se gerunt, sic convenire & concordare cum Venerabilibus Cardinalibus velint cum effectu, ut exinde Canonica unici Romani Pontificis sequatur electio, & ut predictam expeditionem consequatur effectus, celeriter mittimus Oratores nostros, qui tecum de loco habili, & decenti ad hujus rei confectionem disponant. Et insuper pendente hujusmodi unionis tractatu non faciemus, neque creabimus aliquem Cardinalem, nisi forte causa adequandi numerum fratrum nostrorum cum numero illorum, qui apud te pro Cardinalibus se gerunt, ut sic pares ab utraque parte ad solemnem, & Canonicam electionem unici Romani Pontificis deveniri possit. Extra hunc autem coequationis casum, nullum, ut dictum est, creare decrevimus, nisi ex defectu tuo, vel partis tue steterit, quominus unionis prefate conclusio infra annum, & tres menses a die intronizationis

„ tionis nostre computandos, fuerit subsequuta. Hoc autem, „ quod de non creandis Cardinalibus tractatu hujusmodi pendente diximus, ita locum habere intendimus, si tu quoque „ idem observabis. Hanc vero oblationem, & insinuationem „ de Cardinalibus non fiendis, ac superiorem oblationis renuntiationis modo predicto, ut strictiori vinculo fierent, „ juravimus, vovimus, & promisimus ante electionem nostram eodem vinculo effectualiter implendas, cum singuli „ ex nostris fratribus antedictis in casu, in quo aliquis nostrum ad apicem Apostolatus esset assumptus post ipsam assumptionem idipsum ad firmiorem constantiam denuo jurantes, voventes, promittentes, atque ratificantes. De hoc „ autem, quod bulla sine impressione nostri nominis in appensa presentibus nullus debeat admirari. Nam ante nostre „ Coronationis solemnia usus perfecte bulle cum hujusmodi „ impressione nominis non habetur.

„ Data Rome apud Sanctum Petrum XI. die ab assumptione nostra x. vero Decembris a Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo sexto.

Littere misse Dominio Venetiarum per Sacrum Collegium Cardinalium.

„ Miseratione Divina Episcopi, Presbyteri & Diaconi Sancte Romane Ecclesie Cardinales. Magnifico Domino Michaeli Steno Duci Venetiarum salutem in Domino sempiternam. Tenentes indubie magnificentie Vestre tota cordis affectione desiderabiliter acceptare, ut miserabile Christifidelibus, ac pestiferum Scisma tollatur de medio, & in „ Sacrosancta Ecclesia subsequatur desiderabilis unionis integritas, que post obitum, & solemnes exequias felicis recordationis Domini Innocentii Pape Septimi ab hujus Vite „ mortalitate subtracti die sexta Novembris proxime preteriti „ per nos circa premissa ac electione Summi, ac futuri Pontificis ejusdem Innocentii Successoris celebrata fuerunt, „ quamvis Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XII. „ etiam ea notificet, nihilominus sub compendio decrevimus „ intimare. Defuncto siquidem eodem Innocentio, celebratis

 de

„ de more exequiis, ac illius Corpore in Basilica Principis „ Apostolorum, de Urbe deposito implorata Spiritus Sancti „ gratia Conclave in Palatio Apostolico mox omnes intravi- „ mus, & ante omnia de Divine Pietatis Omnipotentia con- „ fidentes, ac exoptantes innumeris calamitatibus, & pres- „ suris Christianitatis tam lacrimabiliter ex diucturno dicti „ Scismatis morbo afflicte, quantum in nobis esset, finem „ imponere unanimiter, & concorditer nonnulla vovimus, ac „ nos jurando, & obligando promisimus; & maxime si quis „ nostrum assumptus esset ad apicem Summi Apostolatus pro in- „ tegratione unitatis Christianorum renunciaret effectualiter „ juri suo, & Papatui, pure, libere, & simpliciter, si, & „ quando assumpti adversarius, qui est, & pro tempore esset „ consimiliter renuntiaret, & cederet pretensis juri suo, & Pa- „ patui, sive decederet, dummodo illi, qui apud dictum ad- „ versarium nostrum pro Cardinalibus se gerunt, effectualiter „ vellent in Collegio nostro sic convenire, ac concordare, „ quod ex hoc Collegio, & ipsis sequatur juste Canonica ele- „ ctio unici Summi Romani Pontificis, ac etiam promitteret „ similiter, ut prefertur, quod pendente tractatu unionis hu- „ jusmodi effectualiter, & realiter ex utraque parte non crea- „ ret, nec faceret aliquem Cardinalem, nisi causa coequandi „ numerum sui Collegii, cum numero illorum gerentium se „ pro Cardinalibus adversarii supradicti nisi ex defectu steterit „ adverse partis, quod unionis prefacte conclusio infra annum, „ & tres menses a die sue intronizationis computandum non „ fuerit subsecuta, quo casu eidem liceret Cardinales elige- „ re, ac creare pro ut, pro statu Sancte Matris Ecclesie ei- „ dem videretur convenire, prout de premissis, & aliis con- „ ventis latius patet in publicis documentis manu cujuslibet „ nostrum etiam subscriptis ad majorem validitatem premis- „ sorum. Quibus solemniter celebratis, post solemnes de fu- „ turi Pontificis electione tractatus illó divinitus inspirante, „ qui cuncta perpetua ratione gubernat vota nostra in Reve- „ rendissimum tunc in Christo Patrem, & Dominum ex no- „ stro Collegio Dominum Angelum tituli Sancti Marci Pres- „ biterum Cardinalem, confratremque nostrum ad Culmen „ dignitatis Apostolice post Divine gratie munera universis ejus „ exigentibus Meritis, nec immerito ascensurum, nemine di- screpante

„ ſcrepante direximus, ipſumque confratrem noſtrum die ul-
„ timo Novembris in Dominum Noſtrum elegimus, atque
„ Patrem. Tandem poſt reluctationem, & condeſcenſum ad
„ vota noſtra eligentem ſe Gregorium Duodecimum appella-
„ ri, quem cum adoraviſſemus intronizavimus, & mox Co-
„ ronationis inſigniis inſignire curavimus juxta morem, qui
„ poſt intronizationem ipſam omnia, & ſingula per nos, &
„ ipſum tunc fratrem noſtrum conventa, & firmata confir-
„ mavit, ac denuo vovit promiſit conſimiliter, & juravit,
„ propriaque manu ſubſcripſit inde confecta publica documen-
„ ta pro ut in ipſis ſuſiſſime continetur. Que ideo prefate Ma-
„ gnificentie Veſtre intimare decrevimus, ut his cognitis de
„ pace, & unitate prefate Eccleſie bonam ſpem poſſitis ſu-
„ ſcipere, ad de promotione hujuſmodi colletari. Nam pro-
„ fecto confidimus tempus adveniſſe acceptabile, in quo an-
„ xia Chriſtianorum vota complebuntur. In ceteris autem re-
„ bus, que ad eamdem veſtram Magnificentiam, ac veſtros
„ attinent nos offerimus ſemper pronos.

„ Datum Rome in Palatio Apoſtolico XI. die Aſſum-
„ ptionis prefati Domini noſtri. Decimo vero Decem-
„ bris MCCCCVI.

Litteræ miſſæ Summo Pontifici Gregorio XII. per Ducale Dominium Venetiarum.

„ Egredimini, & videte filie Syon Regem Salomonem in
„ diademate, quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſa-
„ tionis illius, & in die letitie cordis ejus. Egreſſi ſumus
„ Beatiſſime Pater ego, meaque communitas prime veſtre ori-
„ ginis Parens ſacrum imitantes canticum, cum Crucibus &
„ Sanctuariis erectis coram Altaribus in foribus Eccleſie, &
„ in plateis laudantes, & benedicentes uno ore Dominum
„ Deum noſtrum, qui dignatus eſt Eccleſie ſue Sancte tam
„ utiliter, & tam mirabiliter providere, ac una voce canen-
„ tes Eccleſiaſtici XLIV. Capitulum. Ecce Sacerdos magnus, qui
„ in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus, & in tempo-
„ re iracundie factus eſt reconciliatio, quem Patrem noſtrum
„ Summum Pontificem univerſe Patrie noſtre decus, & gloria

„ de-

„ devoto affectu videre cupientes, & sue Sanctitati precordia „ nostra pandere, ac opere demonstrare, quanto gaudio quantaque letitia jubilamus generaliter omnes, & singulariter „ singuli confestim nostros solemnes Oratores elegimus, (1) „ qui iter suum ad vestram presentiam festinabunt, quanta „ fuerit, & sit exinde nostra consolatio, & spes uberius, quam „ scripto notari possit, vive vocis oraculo narraturi. Sed ad- „ duxit gaudium nostrum, & letitiam germinavit considera- „ tio primi ortus vestri, quem traxistis ex nobili Patriæ no- „ stre prosapia, multoque magis Paterne Charitatis affectus, „ quem ad nos Apostolice littere presentate benignius detu- „ lerunt, in quibus Vestra Sanctitas dignata est nos con- „ scios, & participes predicte vestre felicis creationis efficere, ac more Patris piissimi vestram in eis nobis gra- „ tiam clementius polliceri, pro quo si dignas grates exol- „ vere non valemus, non fuerit utique nostri voti defectio, „ sed vestre charitatis clementie magnitudo, cui pares inve- „ nire difficillimum quippe sit. Agimus tam humiliter, & re- „ verenter, quas possumus, Omnipotentem Deum exorantes „ suppliciter, ut vestram personam conservet, & dirigat, fe- „ licesque sibi successus accumulet, quibus fides Catholica, „ & Ecclesia sua sancta unita, & reconciliata sub vestrorum „ beatitudine temporum optata possit tranquillitate gaudere, „ & honoribus, ac incrementis continuis exaltari. Equidem „ hoc sperandum, immo firmiter credendum, cum evidens „ satis sit creationem vestram celesti provisione, ex deo imme- „ diate fuisse nullis hominum adjutam favoribus, nullis tem- „ poralibus suffultam presidiis, nullis externis aliis, quam spi- „ ritualibus & divinis adminiculis redimitam, sicut vestre lit- „ tere nimium plene divinorum affectuum referentes quid- „ quid factum est, & fieri speraretur, ad summe providentiam „ Trinitatis. Nec mirum si eo ductore, quo auctore in vobis, „ & ex vobis magne spei, & ingentium operum orbis capiat „ fundamenta. Novissimum est, ut ego, meaque communitas „ Civitatem nostram Venetiarum, que ex innata sibi devotione,

(1) Majoris Consilii decretum, quo ad Gregorium XII. solemnes Legati, ut sibi de summä dignitate suscepta gratularentur, mox post publicas Ducalis Dominii Epistolas afferemus.

„ ne, gestisque preteritis Ecclesie filia dici potest, cum toto
„ nostro Dominio nunc ob reverentiam vestre Sanctitatis, cui
„ intendimus esse devotissimi filii, ardentioribus votis offeri-
„ mus ad cuncta vestre Beatitudinis, & ipsius Ecclesie bene-
„ placita, & honores, qui nos, & statum nostrum, ut plenis-
„ sima spe confidimus, vestre Clementie nunc, & semper hu-
„ militer commendamus. Data XXIV. Decembris XV. Indictione.

Littera Sacro Cardinalium Collegio missa per Ducale Dominium in Creatione Summi Pontificis Gregorii XII.

„ Stetit in medio unigenitus Dei filius, juxta illud Evange-
„ licum, insuflavit, & dixit vobis: Accipite Spiritum San-
„ ctum, cujus gratia Romanam Ecclesiam meo pretioso funda-
„ tam sanguine solidius super Petram fidei firmavistis. Hoc
„ evidenter demonstrat sacra, & unita conventio pro extirpa-
„ tione scismatis in conclavi juramento vallata, hoc manife-
„ stat Summi Pontificis concors electio, tam mirabilis, tam-
„ que utilis Ecclesie Sancte Dei, hoc approbat letitia grandis,
„ qua orbis universus exultat, quibus clare comprehenditur
„ Divino nutu creatum, nullis hominum suffultum favoribus,
„ nullisque temporalibus adjutum presidiis, sed delibutum ro-
„ re superno, & solis divinis adminiculis decoratum. Ideo
„ cum Psalmista canamus dicentes: A Domino factum est istud,
„ & est mirabile in oculis nostris. Hec est dies, quam fecit
„ Dominus exultemus & letemur in ea. Quem nostrum Pa-
„ trem summum Antistitem, immensum Patrie nostre, unde
„ primam traxit originem, decus, & gloria sacrumque Colle-
„ gium Reverendissimarum Vestrarum Paternitatum videre cu-
„ pientes, & eidem, ac vobis exarare mentem nostram sole-
„ mnes nostros Oratores elegimus acceleraturos ad Romanam
„ Curiam gressus suos, & eadem ac quanta fuerit, & sit exin-
„ de nostra consolatio, & spes latius quam calamo scribi pos-
„ sit, oretenus narraturos. Scimus enim, & a certo tenemus
„ Reverendissimum Cetum vestrarum Paternitatum universa-
„ liter omnes, & singulariter singulos, tum reverentia Sedis
„ Apostolice, tum cordiali affectione, quam geritis Dominio
„ nostro, & Patrie nostre, grandi gaudio jubilare, & ad con-
„ servationem honoris, & status sue Sanctitatis fore vigili ani-

„ mo

„ mo promptos, & sincera mente dispositos. Ex quo si dignas
„ grates exolvere non valemus, agimus tamen, quas possumus,
„ Altissimo supplicantes, ut dictum Summum Pontificem, ve-
„ strasque Reverendissimas Paternitates conservet, & dirigat,
„ sibique felices successus accumulet, quibus fides Catholica,
„ & Ecclesia sua sancta unita, & reconciliata sub ejusdem, &
„ vestrorum beatitudine temporum optata possit tranquillitate
„ gaudere, & honoribus, ac incrementis continuis exaltari.
„ Nos vero antiqui Sacrosancte R. E. filii nunc ob devotio-
„ nem Sedis Apostolice, & reverentiam vestram sincero corde
„ offerimus nos ad cuncta Beatitudinis sue, & ipsius Ecclesie,
„ ac vestrarum Reverendissimarum Paternitatum beneplacita
„ pariter, & honores. Data xxiv. Decembris xv. Indictione.

Littere missæ Senatori Urbis, Populoque Romano super creatio-ne Summi Pontificis.

„ Meminimus Excelsi Fratres, & Amici Charissimi majo-
„ rum nostrorum documentis imbuti, quod temporibus re-
„ troactis vera experientia comprobavimus, Excelsam Urbem,
„ nostramque Rempublicam quadam naturali convenientia di-
„ lectionis vinculo fore conjunctas, nimirum pretermitamus
„ antiquorum Romanorum Veneranda gesta, urbs illa justi-
„ tiam colit, libertatem tuetur, & Sacram Religionem ma-
„ xime Veneratur. Patet tot seculis bellicis discriminibus agi-
„ tata, tot livoribus stimulata, tot immensis laboribus con-
„ quassata, in ea manet Religio, in ipsa libertas, in illa
„ Christi Vicarii consistit Cathedra principalis. O virtutem
„ magnam, o constantiam ineffabilem, o dignissimam Sedem
„ Summi Apostolatus. Que quidem collenda vestigia Proge-
„ nitores nostri, nosque conati sumus, conamurque quantum
„ possumus immitari. Constat enim antiquos nostros pro Ec-
„ clesia Sancta Dei, & pro fide Catholica peractis tempori-
„ bus exposuisse personas, ac facultates suas, nulla expave-
„ scentes bellorum discrimina, nullosque labores. Quid vero
„ pro tuenda Republica, & collenda justitia fecerimus, est om-
„ nibus satis notum. Igitur quid aliud credendum quid cen-
„ sendum, quam inter vos, & nos, uti est, vera sit frater-
„ nitas, & intrinseca charitas: Cum juxta Ciceronem disertis-

„ simum

„ simum virum Romani nominis cultorem eximium, nihil est
„ amabilius neque copulacius, quam morum similitudo bono-
„ rum. Hanc benevolentiam sensimus, ac cognovimus, hanc
„ nuper experti sumus in electione Summi Pontificis ex no-
„ bili prosapia Patrie nostre orti, de qua jubilastis gaudio ma-
„ gno valde, & merito, quia fuit divino nutu creatus, & de-
„ libutus rore superno, ac divinis amminiculis decoratus, a
„ quo certe vestra sublimis Patria, vosque generaliter omnes,
„ & singulariter singuli plene sperare potestis gratiam, & Cle-
„ mentiam affluentem in exaltationem vestri status, & vestre
„ Reipublice augmentationem gratam pariter, & condignam.
„ Et quia primum illud est in officio, ut ei plurimum de-
„ beatur, a quo plurimum diligimur, per solemnes Ora-
„ tores nostros, quos celeriter destinabimus ad Sedem Apo-
„ stolicam, & vestram Excellentiam, licet non foret expe-
„ diens, tamen, ut non videamur ingrati, suppliciter exora-
„ bimus sanctitatem suam, ut urbem illam Illustrem, & quem-
„ libet vestrum dignetur suscipere, etiam consideratione, &
„ amore nostri, nostreque Patrie, que fuit sue prime Originis
„ Parens, favorabiliter recommissos. Denique Creatori nostro
„ humiliter supplicamus, ut prefatum Summum Pontificem
„ Ecclesie sue sancte conservare dignetur, & vestram magni-
„ ficam urbem, vosque omnes protegere in statu prospero, &
„ tranquillo, quibus leta, & prompta mente offerimus nos ad
„ cuncta concernentia honores, & beneplacita vestre magni-
„ ficentie, quam ampliori affectu, quo possumus, rogitamus,
„ quatenus sicut plene speramus, immo confidimus, placeat
„ cum plena devotione honorem, & conservationem Status di-
„ cti Summi Pontificis habere favoribus propitiis, & auxiliis
„ opportunis cordibus vestris infixos. Quicquid enim honoris,
„ favoris, & auxilii sue sanctitati impenderitis, in singula-
„ rissimum donum, & complacentiam ascribemus, immo no-
„ bis propriis reputabimus fore factum.

„ Datum vigesima quarta Decembris: decima quinta Indict.

Nec Epistolas tantum Concivi suo ad tantam dignitatem assumpto Senatus misit, sed & solemnem legationem juxta illorum temporum consuetudinem destinavit ejusdem mensis Decembris die XIX. cujus quidem institute legationis hoc est decretum.

Mccccvi. die xix. Decembris.

In Majori Consilio.

„ Quod pro congaudendo de creatione Domini Pape, qui no-
„ bis paternaliter scripsit de ipsa sua creatione, sequendo ve-
„ stigia progenitorum nostrorum eligantur sex Ambasciatores
„ solemnes per duas manus electionum in Majori Consilio si-
„ cut est solitum fieri in simili casu. Qui Ambasciatores de-
„ beant habere tres domicellos pro singulo quolibet, unum No-
„ tarium, cum uno famulo, unum expensatorem, unum ma-
„ rescalcum, & unum coquum inter omnes, & duos ragatios,
„ & unam saurnam (1) pro quolibet, & possint expendere
„ in omnibus expensis tam oris, quam negotiorum quorum-
„ cumque occurentium pro se, & familia sua ducatos sex in
„ die pro quolibet. Et respondeant die qua fuerint electi, vel
„ aliquid ...... recedere ad beneplacitum Dominii. Et possint
„ accipi secundum usum de illis locis, qui non sunt duodecim
„ regimina, & debent habere pro ista ambasciata ducatos cen-
„ tum pro quolibet, & teneantur facere sibi unam pulcram
„ robam pro quolibet pro honore nostri Dominii, & insuper
„ teneatur quilibet dictorum ambasciatorum ducere secum unum
„ nostrum nobilem juvenem ultra famulum superius limita-
„ tum, possendo expendere ducatum dimidium pro quolibet
„ de pluri ista de causa.

Quum autem sex Oratorum numerus nonnullis minor videretur habito tantæ dignitatis in Reipublicæ filium collatæ respectu, propositum fuit in majori Consilio, quod sex Legati essent *bene sufficientes ad faciendum facta Reipublicæ*.

(1) Sauma idem quod Sagma, de quo vocabulo Rhenanus lib. 2. Rerum German. pag. 95. Saumarum nomine clitellaria jumenta intelliguntur. Consule Dusfresnium in Glossario littera S.

Mccccvi.

MCCCCVI. die XXVIII. Decembris.

In Majori Consilio.

„ Quia multum est considerandum, ad honorem nostri Do-
„ minii in facto nostre Ambaxiate, ad Summum Pontificem,
„ & habere respectum, quod nostra Ambaxiata non sit ulti-
„ ma aliarum ad eamdem presentiam Sancti Patris, & sicut
„ videtis hucusque facti sunt sex Ambaxiatores, qui conside-
„ ratis his omnibus, que considerari possunt, sunt bene suf-
„ ficientes ad faciendum facta nostra, & representandum ho-
„ norem nostri Dominii.

„ Vadit Pars, quod isti Ambaxiatores electi sufficiant pro
„ dicta Ambaxiata, & ponant se in ordinem, & prosequantur
„ viam suam in bona gratia.

Latis itaque suffragiis, cum potior Consilii pars proposito Decreto adhærere renuisset, electis Oratoribus alii additi sunt, quorum electio etsi ex documenti defectu nos lateat, attamen duo fuisse ex Chronico Marini Sanuti Tom. XXII. Rerum Italicarum col. 836. addiscimus, in quo hæc leguntur:

„ A' 19. di Decembre fu presa parte nel gran Consiglio
„ d'eleggere otto Ambasciadori al predetto Papa Gregorio
„ XII. a rallegrarsi e a dargli ubidienza; e che vadano a spe-
„ se della Signoria Nostra con tre fanti, tre ragazzi per uno,
„ e uno Scalco. E che possano menare otto Nobili per uno
„ e spendere Ducati 6. e mezzo al giorno per cadauno Am-
„ basciadore, e che abbiano in dono Ducati 100. per uno,
„ per farsi una veste, e che vadano con 100. Cavalli colla
„ commessione, che sarà data loro per Pregadi i quali furo-
„ no questi:

„ Ser Benedetto Capello.
„ Ser Jacopo Gussoni.
„ Ser Ruggieri Morosini.
„ Ser Marco Trivisano.
„ Ser Andrea Contarini.
„ Ser Marco Giustiniani.
„ Ser Paolo Zane.
„ Ser Nicolò Loredano.

Mccccvi. Die xxiv. Februarii.

In Majori Consilio.

„ Quod pro honore, & fama nostri Dominii, ac etiam pro
„ honore, & commodo Ambaxiatorum nostrorum, qui ire
„ debent ad Summum Pontificem, dicti Ambaxiatores ultra
„ familiam sibi limitatam possint ducere secum unum seneschal-
„ chum, & unum subtus mareschalcum possendo expendere
„ unum ducatum de pluri eo, quod est eis concessum. Et
„ possint accipere quatuor saumas pro illis octo juvenibus ad
„ agozium non computando dictam expensam in numero ex-
„ pensę, quam facere possunt. Et possint etiam recipere illas
„ octo saumas, quas ducere debent pro se ad Agozium extra
„ Venetias computando expensam dictarum octo Saumarum
„ in numero illius expensę, que est eis limitata.

„ Item cuilibet dictorum octo Jurenum Nobilium ducere
„ secum Fantulum ad expensas (oris solummodo) Nostri
„ Comunis, quia dicti Jurenes sunt contenti emere equum
„ pro dicto Fantulo, & solvere salarium Fantuli de suis pro-
„ priis pecuniis; de scortis (1) autem servetur, secundum quod
„ est solitum observari.

(1) Scortæ hic intelliguntur ductores, & præmonstratores viæ, Italice *Scorte*.

Suscepto itaque itineris labore, ut munus sibi commissum exequerentur Oratores, significatum fuit Domino viam, quæ Perusio Romam ducit, multis obnoxiam esse periculis, quapropter, ut tutius ad Pontificem accedere possent, vel in patriam reverti, publica prudentia unum, atque alterum diversis diebus protulit Decretum, quæ exhibemus.

Mccccvii. Die xix. Martii.

In Majori Consilio.

„ Cum facta sit conscientia nostro Dominio per Dominum
„ Philippum Corrario propter informationes per eum habitas
„ de versus Romam, quod a Perusio ultra nostri Ambaxiato-
„ res ituri Romam ponant mentem qualiter vadant, & in qui-

bus

„ bus se confidant, & specialiter, quod nullo modo vadant
„ sine salvo Conductu Pauli Ursini & gentium suarum, quia
„ de eo est dubitandum, quia non habent pagas suas, & bo-
„ num, imo necessarium sit, providere, quod toti nostri Nobi-
„ les non vadant sub tanto periculo, quia non est dubium,
„ quod scitur eorum accessus, & iter suum, & ipsos esse di-
„ vites.

„ Vadit Pars, quod scribatur, & mandetur dictis nostris
„ Oratoribus, quod licentiari debeant octo juvenes Nobiles
„ secum existentes, & similiter scribatur, & mandentur eis,
„ quod omnino debeant repatriare, & non ire ultra locum,
„ in quo presens nostrum mandatum ipsos reperiret sub pena
„ Ducatorum mille pro quolibet Contrafaciente, de qua pe-
„ na non possit fieri gratia sub pena supradicta, pro quo-
„ libet ponente, vel consentiente partem in contrarium, &
„ ultra hoc Collegium habeat facultatem faciendi ire Amba-
„ xiatores ad partem ad partem Romam, quia cum minori pe-
„ riculo ibunt ad partem ad partem, quam omnes simul, &
„ debeant obedire, prout eis scribetur, & mandabitur per no-
„ strum Dominium, cum libertate Collegii predicti.

MCCCCVII. Die Decimo septimo Aprilis.

In Majori Consilio.

„ Cum manifeste divulgetur, quod Ambaxiatores nostri ituri
„ Romam sint in quodam loco vocato Aquapendente, immo
„ creditur; quod potius reversi sint Senas; pro securitate eo-
„ rum, & pro honore nostri Dominii, ac etiam quod non
„ facit pro Statu nostro, quod stent in illis partibus cum
„ tanta expensa, & periculo, si transirent ulterius; quia ex-
„ presse dicitur, quod Paulus de Ursinis non est in concor-
„ dio cum Domino Papa, & omni die currunt gentes sue
„ super portas Rome, immo consulitur, quod non est con-
„ fidendum de salvoconductu suo, nec aliquorum Castella-
„ norum guerizantium Romana, quia sunt in eis Bricenenses
„ obedientes Antipape.

„ Vadit Pars, quod scribatur, & mandetur expresse Amba-
„ xiatoribus nostris, quod si in receptione hujus nostri presen-
tis

„ tis mandati non habent viam, & modum, & talem scortam,
„ & salvoconductus, quod expresse videant, & certe cognoscant posse ire securos Romam, debeant omnino redire Venetias, quam prestius esse potest, vel omnes simul, vel ad partem ad partem prout melius, & securius poterunt. Et occurrente dicto casu quod revertantur, & non vadant Romam, debeant scribere Domino Pape causam, propterquam non prosequuntur iter suum Romam, cum illis pertinentibus verbis, & excusationibus, que eis videbuntur opportuna. 391-28-12

Ad unionem Ecclesiæ universæ, quam opera Gregorii perfici posse confidebant boni omnes, pervenire non valuit probatissimus Pontifex. Per ipsum stetisse, quin demum Ecclesia frueretur optatissima pace, scripsere plures aut Benedicti XIII. partibus adhærentes, aut Pontificum, qui Romæ sedebant aperti adversarii, aut schismatis horrore nimium concussi, aut aliis demum causis commoti. Inter istos nominare satius fuerit Theodoricum Niemum, & superius enuntiatum Vitæ Gregorii authorem inter Rerum Italicarum Scriptores a Muratorio relatum, ex quorum impurissimo fonte odii, & livoris luto nimium polluto hauserunt recentiores. Probatissimam ab infantia Pontificis vitam commendant alii: cumque nihil de ejusdem recta intentione, firmoque tollendi schismatis proposito dubitare se fateantur, deceptum attamen propinquorum, & adulantium artibus censent, qui bona ejus indole fortasse justo faciliori abusi sunt, ac ipsi utpote nimium credulo, pavidique animi timorem incussere, ubi nulla erat gravis ratio trepidandi. Ita sentire videtur Leonardus Aretinus licet Pontifici, cui a secretis erat, addictus; quem deinde secutus est Sozomenus in specimine Historiæ Pistoriensis apud Muratorium Tom. VI. Scriptorum Italiæ. Nihil tamen aut perversæ mentis, aut levitatis in Gregorio, aut certe perfidiæ in nepotibus ejus notavit celeberrimus ejus ævi Chronologus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui propterea ad tuendam Gregorius famam nobiles validasque contexuit in Historia sua vindicias. Quanta autem synchrono huic, & veritatis amantissimo Historico fides adhibenda sit, nemo est, qui nesciat, scriptis enim ipsius fidem astruunt, & rerum gestarum præsens notitia, & insignis vitæ sanctimonia, ob quam, mendacium scribere,

bere, seu verum fucatis verbis abdere nequaquam potuit. Antonini judicium comprobant, gravibusque argumentis firmant Abrohamus Bzovius, & Odoricus Raynaldus in Annalibus, ac Ludovicus Donius de Attichii Episcopus Ædvensis in Floribus Historiæ Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium, qui Gregorii Apologiam fuse contexunt.

His ego, non patriæ aut Concivis studio, sed virtutis, justitiæque amore adductus; adhærendum putaverim, præstoque mihi sunt nova hujusce rei argumenta, insignia nempe testimonia B. Thomæ Antonii Senensis, atque Bartholomææ Riccobonæ Virginis Sanctimonialis in Chronico, quod de Veneto *Corporis Domini* Monasterio concinnavit. Vindiciarum ergo Gregorii XII. ita specimen edere liceat, ut primum locum, obtineat paulo prolixum Divi Antonini testimonium, qui historica rerum enarratione Pontificis innocentiam, atque optimam agendi fidem ostendit. Huic deinde addenda erunt, quæ in Gregorii laudem scripto reliquit Thomas Antonii; postremo loco Riccobonæ fragmentum ad Gregorii historiam attinens notulis illustratum afferam.

Audiamus itaque S. Antoninum Chronic. par. 3. tit. 22. c. 5.
„ Anno Domini MCCCCVI. Innocentius VII. migravit ad Do-
„ minum, post cujus exequias Cardinales convenientes se om-
„ nes obligaverunt sub gravissimis juramentis, & solemnibus,
„ quod quicumque eorum esset electus, laboraret ad tollen-
„ dum schisma, & unionem Ecclesiæ procurandam. Et in-
„ gressi conclave intra paucos dies elegerunt in Pontificem
„ Summum, Patriarcham Constantinopolitanum natione Vene-
„ tum, & Nobilem secundum seculum jam septuagenarium,
„ qui ex Angeli priori vocabulo assumpsit sibi in Papatu Gre-
„ gorii nomen XII.

„ Fuit vir iste a pueritia magnæ sanctimoniæ, & sapien-
„ tiæ. Hi electus iterum, & denuo fecit juramentum, & vo-
„ tum omnia facere sibi possibilia ad unionem Ecclesiæ dan-
„ dam". Deinde paulo post subdit. " *Statim ergo Gregorius*
„ *adversario scripsit Benedicto nuncupato benigne ad pacem il-*
„ *lum invitans, & se ad abdicationem mutuam offerens. Ad-*
„ *versarius totidem fere syllabis rescripsit. Eadem invitatio fuit,*
„ *eadem cohortatio. Tractatur de loco, ubi simul habeant con-*
„ *venire: Et post conveniunt de Civitate Savona, quasi in me-*

dio

„ *dio constituta: & ad quam per mare, & terram esset acces-*
„ *sus. Ut ut sequi videatur effectus, incipiunt appropinquare.*
„ *Recedit ab urbe Gregorius Senas pergens, & exinde Lucam,*
„ *Benedictus vero Genuam. Inter ea patefactæ sunt Gregorio a*
„ *fide dignis insidiæ sibi paratæ Savonæ a Benedicto: quod ci-*
„ *vitas illa pro se, scil. Benedicto erat munita. Erat enim ille*
„ *Benedictus (etsi literatus) callidissimus hominum, versipel-*
„ *lis, & suis astutiis, ut anguilla, de manibus stringentis ela-*
„ *psa, lubricus, & versatilis: Gregorius autem, ut agnus in-*
„ *nocens, & sine felle columba. Percipiens ergo Gregorius ad-*
„ *versarium non vere quærere unionem, sed sui subversionem,*
„ *ut solus remaneret in sede Petri, mutavit, ut sapiens, propo-*
„ *situm suum in eundo Savonam. Et quamvis quidam dixerint,*
„ *quod trepidavit timore, ubi non erat timor, & has suspicio-*
„ *nes immitterent sui, vel ipse simularet, ne Papatum dimit-*
„ *teret, non sic alii viri timorati, non sic, sed quod justam*
„ *causam timoris, & deceptionis habuerat. Miserunt nihilomi-*
„ *nus nuncios, & litteras alter ad alterum tractantes de alio*
„ *loco, & nunquam convenire potuerunt. Benedictus, ut magis*
„ *simularet intentionem suam, & votum ad unionem efficien-*
„ *dam adhuc ad Gregorium magis appropinquavit, ad portum*
„ *Venereum veniens. Gregorius autem Lucæ permansit per plu-*
„ *res menses, ibique creavit quatuor Cardinales:* Deinde sub-
„ dit: *Dictam tamen promotionem Cardinalatus aliqui multum*
„ *ægre tulerunt. Oratores plurium principum Lucæ existentes*
„ *suadebant Gregorio, ut iret Savonam, & præcipue regis Fran-*
„ *ciæ: qui merito habebantur suspecti, quia adversario adhæ-*
„ *rebant. Alii contrarium consulebant, quia non esset tutus ac-*
„ *cessus Gregorii, ut Ladislaus Rex Apuliæ, & alii intimi ami-*
„ *ci, & timorati viri. Et cum post multam practicam de loco*
„ *convenire non possent, & jam res desperata esset de unione,*
„ *creavit Gregorius, & alios plures Cardinales,* viros pruden-
„ tes, probos, & peritos, quod etiam magis conturbavit Car-
„ dinales antiquos.

Sublata igitur spe omnino conveniendi simul, . . . Gregorius cum paucis reversus est Romam, & alter (Benedictus) cum paucioribus in Franciam.

„ Super ea re Florentiæ diutius est disputatum per Lauren-
„ tium de Ridolfis utriusque juris egregium, & famosum Do-
ctorem.

„ ctorem. Utrum præsuposito pro constanti, quod ambo Pon-
„ tifices scandalizarent totam Ecclesiam ex violatione mani-
„ festa juramenti faciendæ unionis Ecclesiæ, cum non darent
„ ad hoc operam, sed simulabant, colludentes adinvicem,
„ sicque pessimum schisma valde Ecclesiæ nocivum jam inve-
„ teratum permanebat, possent Cardinales convocare conci-
„ lium, & citato utroque ad veniendum ad ipsum non pa-
„ rentes, sed in contumacia persistentes possent deponi, & ad
„ alterius electionem procedi. Ubi post longam disputatio-
„ nem, pro & contra per triduum factam in præsentia plu-
„ rimorum doctorum in Theologia, & jure utroque, nullo
„ contradicente, sed omnibus annuentibus, determinatum
„ fuit per illum licite, & canonice fieri posse. Sed proban-
„ dum erat præsuppositum in quæstione esse verum. Nam etsi
„ verum judicari, vel credi posset ex parte Benedicti viri cal-
„ lidi, & ambitiosi, quod postmodum declaravit rei eventus
„ (nam post Concilium Constantiense, in quo tota Christia-
„ nitas convenit, etiam qui erant de obedientia Gregorii, il-
„ le solus pertinax fuit, nec comparere, nec mittere voluit,
„ nec renunciare, sed in suo schismate solus permanens de-
„ cessit) tamen de Gregorio non idem apparuit, licet vulgus
„ ex divulgatione Cardinalium, & aliquorum, hoc sentiret
„ scilicet quod colluderet, vel simularet, quinimmo contra-
„ rium ostensum est. Nam Concilium Constantiæ celebran-
„ dum ipse approbavit, suos Cardinales misit, & quia decre-
„ pitus erat, ire non valens procuratorem misit Carolum Ma-
„ latestam ad renunciandum. Nec transgressor juramenti, ut
„ voti judicari debuit, si non debito modo agere potuit, quod
„ promisit, alio ei insidiante, ut nondum clarificatus de ju-
„ re suo, id sibi soli usurparet.

„ Quia vero urbs Romana erat in magnis seditionibus, &
„ rixis, Gregorius cum curia sua de beneplacito regis Ladis-
„ lai profectus est Cajetam, ubi aliquandiu moram traxit.
„ Sed quia in collatione beneficiorum, & Episcopatuum Gre-
„ gorius, ut justus, & timoratus, nolebat regi obedire fre-
„ quenter injusta petenti, rex nil regalis conditionis habens,
„ aut divini timoris privatus omni pietate & fide, ut castra
„ continue sequens, ambitione submersus, ad dilatandum im-
„ perium per fas & nefas, demum anno 1409. vel 1410. li-

„ centiavit eum a regno, qui per mare transivit cum curia
„ ad Ariminum, ubi a Carolo Domino Ariminensi cum om-
„ ni honore, & gaudio receptus est, qui solus perseveravit
„ cum suis in obedientia Gregorii, usque ad renunciationem
„ ejus". *Multis deinde enarratis sequitur:*

„ Legati (Joannis XXIII. ad Sigismundum Imperatorem)
„ Constantiam pro loco Concilii delegerunt, ubi accessit Car-
„ dinalis Ragusinus Joannes Dominici pro obedientia, & par-
„ te Gregorii, qui a multis Deum timentibus, & peritis ad-
„ huc reputabatur Pontifex Summus, quamvis ab extra soli
„ Malatestæ eum venerarentur. Destinavitque Gregorius ipse
„ jam decrepitus Arimini residens Carolum Malatestam ad
„ Concilium instituens eum suum Procuratorem ad renun-
„ tiandum.

„ Lentum deinde concilii negotium fuit: cum & corrige-
„ re in Ecclesia permulta, ac tollere penitus schisma nitere-
„ tur, quæ tempore non brevi egebant. Vivebant enim ad-
„ huc Gregorius & Benedictus, ambo & si in Concilio nu-
„ per Pisano, damnati tamen Pontifices se nuncupabant. Sed
„ Gregorius vir sanctus, utpote qui Ecclesiæ & unionem &
„ reformationem semper optaverat per Carolum Malatestam
„ Procuratorem ad hoc suum omni jure suo, quod in papa-
„ tu haberet, renuntiavit, solemniter hoc petentibus congre-
„ gatis, in Concilio & expedire unioni faciendæ judicanti-
„ bus. Qua recepta cum magna jucunditate, patres nihilo-
„ minus venerandum illum, & omni laude dignissimum, an-
„ tiquum dierum ex Gregorio Angelum primum suum nomen
„ reversum, legatum illum instituerunt in Picentibus consi-
„ stentem. Qui durante concilio non multo post renunciatio-
„ nem obdormivit in Domino plenus dierum.

Prolatis iis, quæ ad Gregorii Apologiam edidit Historicus sanctissimus, ea quoque exhibere placet, quæ in Tractatu B. Thomæ Antonii de Senis Tom. VII. hujus operis per me vulgato leguntur, quæ miram Angeli Corrarii pietatem non solum, sed etiam pavidum ejus animum manifestaret, atque testantur. Commiserat Angelo Innocentius VII, ut Regulas Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici a se deinde approbandas, examinaret. Quanta autem, quamque cauta circumspectione, ne conscientiam suam læderet, opus sibi injunctum admini-

ministraverit, Angelus ex epistolis Ubertini de Albizis Procuratoris Ordinis Prædicatorum in eo Tractatu insertis satis patet, ubi hæc leguntur in una earum: *Credo, quod Reverendus Provincialis noster scripsit vobis, quomodo examinatio præsentis negotii erat commissa de novo Domino Angelo Patriarchæ Constantinopolitano; & hoc, quia voluistis, ut facerem ad modum vestrum. Ipse dicit, se velle expedire; & est magis astrictus, & tardus, & magis laborat in conscientia, quam Papa præsens, qui primo habuit commissionem. Ipse in principio volebat videre omnia privilegia, de quibus fit mentio in Tractatu vestro cum bulla. Promisi, quod videret privilegia Bonifacii IX. Dixit, quod de illis modicum curabat. Finaliter vult videre privilegium Johannis XXII, & volebat tamen cum Bulla. Dixi, quod, si vellet, facerem eum venire; sed rogavi, ut esset contentus, quod videret insinuatum, ne forte Bullatum perderetur, & cum magna difficultate remansit contentus.* Et deinde in altera: *Voluistis, quod de materia loquerer Domino Patriarchæ Constantinopolitano; quod etiam non feci libenter: cognoscebam hominem, nimis conscientiosum, & frigidum. Papa commisit sibi, & postquam habuit commissionem, fui ad eum pluries, & sollicitavi: Ipse semper dicebat mihi: non multum festinemus, quia volo facere; & fecit mihi communicationes, quod volebat videre privilegia insinuata, vel publica, de quibus fit mentio in vestro Tractatu. Respondi, quod erat difficile, quod ad Curiam portarentur propter discrimina viarum. Istam quæstionem nunquam fecit mihi Papa, quando erat Cardinalis, & habebat commissionem: sed iste propter conscientiam suam fecit, non credens litteris vestris, & verbis meis. Finaliter remansimus, quod facerem insinuari privilegium Johannis XXII. cum omnibus solemnitatibus juris; quod & feci fieri in Florentia; in Curia Episcopi Fesulani de pecunia vestra, & istis diebus habui, utpote jam sunt octo dies. Et quando sibi portavi, inveni, quod ipse est factus Legatus in Marchia, & accelerat recessum suum, & respondet, se non credere, posse expedire ante recessum. E così aremo fatto assai. Item faciebat difficultatem, quia in supplicatione isti Fratres appellantur de Pœnitentia B. Dominici; & dicit, quod non habet certitudinem de isto verbo, sive nomine. Et dixit: vis tu, poni in Bulla, quod ipsi sic appellentur; ita quod Papa non appellet eos sic; sed quod dicat Papa, quod*

sic appellantur? Respondi, quod sic, & quod non curabam. Tunc dixit: Facias ergo reformari supplicationem. Feci ipsam reformari ad modum suum: nescio, quid faciet. E a dirvi il vero, Io so come che stomacato e satio de facti suoi. Tanta conscientia: a che sarebbe meglio n' avesse la metà. Si ego non fuissem locutus sibi, Dominus de Brancatiis adhuc habuisset commissionem, & transisset solum cum necessaria conscientia. Subdit post hæc ipse Thomas Antonii: *Sciendum; quod sicut apparet ex duabus, seu tribus litteris supradictis, supradictus Dominus Patriarcha in supradicto negotio videtur, quod fuerit longus, atque remissus propter arctam conscientiam, quam habere consuevit in omnibus. Nam cum ego contulissem cum aliquibus sibi domesticis Venetis, qualiter videbatur protrahere causam supradictam, responderunt mihi, quomodo in omnibus agibilibus semper fuit longus, & tardus, & ita non mirum, si etiam in materia supradicta suo more consueto processit. Sed tamen reputo me certum, quod, ubi supradicta Legatio non intervenisset, se taliter declarasset, & declaratus fuisset, quod dictam causam ad intentum finem infallibiliter perduxisset.* Et paulo post: *De Mense Junii in festo Pentecostes ab Innocentio factus est Cardinalis, & Legatus ibidem scilicet in Marchia. Et consequenter eodem anno, defuncto Innocentio VII. factus est Papa, & Gregorius XII. appellatus. Qui etiam propter conscientiam singularem, quam semper habuit, disposuit se ad obligandum renunciare efficaciter Papatui, ut quodammodo foret in eo unio Ecclesiæ, & totius Christianitatis succederet.*

Fusiorem modo Bartholomeæ Venetæ Sanctimonialis enarrationem proferimus, quam notulis etiam illustramus, ut dictorum veritate, cum majoris nominis Scriptoribus comparata, potior exinde sincerissimæ Chronologæ fides astruatur.

In quel medesimo anno (1406.) Fu facto Papa Misier Anzolo Correr Zentilomo de Veniexia, el qual fo nominato Papa Gregorio XII. homo de gran Sanctità, (1) Doctor, & adornato de grandissime virtù.

Eodem anno (1406) Pontificatum obtinuit Dominus Angelus Corrarius Patritius Venetus, qui nomen Gregorii XII. assumpsit, Vir insignis sanctimoniæ (1), Doctor, & summis virtutibus præditus. Præde-

tù. Morto che fo el Papa de Roma de concordia de tutti fo electo esso chome homo zelator del honor de Dio, e della S. Giexia, (2) & esso humelmente acceptò con pacto de far la Sancta Giexia in paxe: (3) come esso spesso manifestava el suo affecto alla Giexia. Una volta a esso Veschovo de Castello uno servo de Dio le dixe, che lui aveva vexuto el suo nome scripto de tre colori negro, rosso, e doro; e come per lo negro significava chel jera Veschovo; per lo rosso chel sarave Gardenal; e per l'oro chel sarà Papa. Aldendo questo lo respoxe, e disse: se Misier Domenedio permetterà, che questo sia, me forzerò de far, che la union se faxa; io manderò lantipapa, e sel bisognerà renuncierò el Papato. (4) E come el dixe cusì el fese. Dodese dì possa chel fo incoronato con consentimento di suo Gardenali mandò Messo all' antipapa da Vignone, (5) dizendoli, chome lui era apariado de renonciar el Papato, se ancor lui Antipapa renunciasse, azò che la Giexia foxe sotto un Pastor. Questo Sanctissimo homo mandato da Dio humele, e mansueto chome un altro Moises, el qual se forzava de tirar el populo Cristiano

decessori suffectus est ex unanimi omnium consensu quippe, qui zelum divinæ gloriæ, & Sanctæ Christi Ecclesiæ præseferet (2), ipse vero collatum honorem humilime acceptavit cum hac conditione, (3) ut pacem Ecclesiæ sanctæ restitueret, quandoquidem sæpe amorem suum erga Ecclesiam aperiebat. Dum illi Castellano Episcopo quidam Dei servus dixit, se vidisse ejus nomen triplici colore descriptum nigro videlicet, rubro, atque aureo, & ut Episcopatus per nigrum designabatur, Cardinalatus per rubrum, ita se non dubitare, quin per aureum Pontificatus protenderetur. Quod cum audivit, ita respondens ait: Si Dominus Deus id permittet dabo operam, ut unio pacis sequatur, Pseudopontifici scribam, & si opus erit Pontificatu me abdicabo (4). Uti dixit ita fecit. Duodecim elapsis diebus ab incoronatione peracta cum suorum Cardinalium assensu misit Legatum ad Pseudopontificem Avenione degentem (5) significans se paratum ad Pontificatum dimittendum, dummodo & ipse dimitteret, ut Ecclesia unicum Pastorem haberet. Vir hic Sanctissimus missus est a Deo humilis, & mansuetus velut alius Moyses, qui

stiano delle man de Faraone comenzando dalla Chieresia, e specialmente li Chardenali el voleva, che li vivesse zustamente senza Simonia, (6) & esso chome vero Pastore non vendeva li beneficii per danari, ma dispensava abundamente la gracia del Spirito Sancto a persone degne e zuste; e cussi armò la sua Navezella de boni Pastori. Fece Chardenali, e Veschovi, e molti Prelati, tutti homeni de bona vita, e fama. (7) E cussi la Sancta Giexia comenzava a fiorir nella libertà del Spirito; el Glorioso Dio li mandò Nostro Padre Misier Fra Zandomenici per suo conforto, & adjutorio, (8) quasi chome uno altro Aaron a Moises, e sempre el confortava nel ben comenzato, e nella Sancta unione. Vojando el Sancto Padre far quello, che lui aveva promesso de mandar l'Antipapa, non trovava chi volesse andar per paura della morte, perchè nel tempo passato molti ne fo fumamente maltratati. Nostro Padre Misier Fra Zandomenici chome homo, che amava l'honor divino dexideroso de veder la union con tutto l'affecto, voleva esser quello, che andasse all'Antipapa. Ma Gregorio Papa vedando aver bexogno del suo ajutorio

nol

qui nitebatur aducere populum Christianum e manibus Pharaonis. Incipiens ab Ecclesia, & præsertim a Cardinalibus volebat eos vivere pie, ac juste sine Simoniæ labe (6). Ipse vero, ut Pastor Beneficia cum pecunia non commutabat, sed abunde gratiam Spiritus Sancti distribuebat Viris merito, & justitia insignibus; & hoc pacto naviculam Petri optimis Pastoribus communivit. Multos Cardinales, Episcopos, ac Prælatos creavit, sed optimæ famæ (7) & vitæ homines. Sic Sancta Christi Ecclesia in Spiritus libertate incipiebat florescere, quum Deus Optimus Maximus misit ei Domnum Fratrem Joannem Dominici Cœnobii nostri Patrem, ut illi solatio esset, & adjutorio (8) quemadmodum Aaron Moysi, & hic ad bene cœpta prosequenda sanctamque unionem procurandam semper illum adhortabatur. Quum Sanctus Pater vellet illud præstare, quod promiserat, scilicet Legatum ad Pseudopontificem mittere, neminem, qui id oneris susciperet, inveniebat, quia antea multi pessime accepti fuerant. Joannes Dominici, quippe qui Dei gloriam quæreret & pacem Ecclesiæ, quam qui maxime exoptaret, se paratum obtulit

tulit

nol volse mandar, e mandò el suo compagno, che nomeva Fra Mathia Converso, (9) el qual se partì con nostro Padre da San Zanepolo, e fo suo fidelissimo compagno in tutte le sue fadighe. Costui jera vero Servo de Dio, e con gran fervor lassò la sua sposa Monacha nel nostro Monestier, e lui per humiltà volse esser Converso nel ordene de Misier Sancto Domenego sotto la obedientia del nostro Padre, che in quel tempo regeva el Convento de Misier San Zanepolo.

Chome el Papa mandò all' antipapa, ed el tractato che fece li Fiorentini per invidia contra Gregorio vero, e bon Pastore.

Facto che fo Papa Gregorio in Roma con tutti quelli ordeni, che comanda la Sancta Madre Giexia, & acceptato da tutti (10) per vero Papa, el mandò el dicto Fra Mathia con la lettera della renonciacion all' antipapa, dicendo, che lui era aparechiato de renon-

tulit pro legatione obeunda apud Pseudopontificem. Sed Gregorius intelligens, quam ejus adjutorio indigeret eundem mittere recusavit, ejusque socium misit, cui nomen Frater Mathias Conversus (9), qui cum P. Joanne nostro e Cœnobio Sanctorum Joannis, & Pauli discessit, eique fidissimus comes in cunctis laboribus adfuit. Erat iste verus Dei servus, & magno cum fervore reliquit conjugem suam in nostro Monasterio Monialem, & ad humilitatis exercitium esse voluit Conversus in familia Domini Sancti Dominici sub obedientia Patris nostri, qui per illud tempus præerat Conventui SS. Joannis & Pauli.

Quomodo Pontifex Legatum misit ad Pseudopontificem, & de Tractatu Florentinorum propter invidiam adversus Gregorium verum, & optimum Pastorem.

Assumpto ad Pontificatum Gregorio Romæ servatis cunctis illis ritibus, quos S. Mater Ecclesia exigit, eodemque ab omnibus (10) tanquam vero Pontifice acceptato misit ille prædictum Fr. Mathiam cum Epistola dimissionis ad Pseudopontificem dicens se esse paratum

nonciar, se esso renonciasse, e fosse facto uno solo Papa, e che se trovasse uno locho, azò se fosse insieme a far questa unione infra el termene di xv. mexi. Andando el dicto Frate Mathia el portò le lettere a tutte le terre, dove el passava, anunciando chome Misier Anzolo Correr jera facto Papa de Roma dicto Gregorio XII. e da tutti fo acceptato per vero pastore (11) Solo i Fiorentini fo mal contenti, perchè l'era Veneciano, li se moxe per propria invidia, (12) & dixe: se nui averemo uno Veneciano per Papa, sapiati, chel el non de' star a uno anno. E questo disseli in presencia de F. Mathia: E questo feva lì, perchè li dexiderava uno Fiorentin, perochè quando fo facto Innocentio Papa, loro mandò molti danari a Corte per haver uno Fiorentin. (13) Ma Misier Domenedio nol permesse per la loro superbia. Zonto Frate Mathia a Vignone, el fece la sua ambassata all' antipapa, che nomeva Benedetto, al dito questo el fece retegnir Frate Mathia, e messelo in una Torre, con la custodia atorno de quattro Chavalieri: e in chao de quatordeci zorni questo Frate Mathia fo appresentà in conspecto dell' antipa-

ratum ad abdicationem dummodo, & ipse se abdicaret, ut unius Pontifex eligeretur, & locus aliquis statueretur, ubi una convenirent ad hanc unionem habendam intra quindecim menses. Fr. Mathias in itinere litteras ad urbes omnes, per quas transibat, attulit annuncians Dominum Angelum Correrium ad Pontificatum assumptum sub Gregorii XII. nomine, omnesque eum tanquam verum, & legitimum Ecclesiæ caput agnoverunt (11). Florentini soli ægre tulerunt (12), eo quia Venetus esset, & invidiæ stimulis acti dixerunt. Si Venetum hominem habebimus Pontificem, scitote per integrum annum non duraturum, & hoc coram F. Mathia dixerunt: Ita autem se gerebant, quia Concivem suum fieri Pontificem exoptabant; cum enim Innocentius creatus fuit Pontifex ipsi vim pecuniæ ingentem ad aulam submiserunt, ut Florentinus Papa eligeretur (13). Sed Deus Optimus Maximus hoc non permisit ad depressionem illorum superbiæ. Cum Fr. Mathias Avenionem venisset suum munus obivit apud Pseudopontificem Benedictum, qui cum audisset, jussit eum comprehendi, & in Turris carcerem conjici sub custodia quatuor Equitum; & elapsis

tipapa, el qual li prometteva de gran beneficii, & anche el manazo de tuorli la vita. Ma Fra Mathia constante, e forte jera disposto a mille morte per la Santa Giexia. Vedando l'antipapa la virtù de Fra Mathia, e la fedeltà chel servava a colui che lo aveva mandato, ricevete bonissimo esempio, & remandollo a Gregorio con consentimento di suo Gardenali, dicendo, chel era contento de vegnir in quella terra, che se chiama Savona, (14) e li tutti duo se trovasse insieme per tractar la unione. Tornato Fra Mathia con le lettere dell' Antipapa, Gregorio insieme con queli che dexiderava la paxe, sentite suma consolazione. Gregorio mandò la Reverencia de Nostro Padre a Veniexia, azoche la Illustrissima Signoria li desse una Gallia armata per scorger Gregorio allo locho predicto, quando fosse el tempo, e così li fo promesso. (15) Tornato che fo Nostro Padre a Roma, el fo facto Veschovo de Ragusi, e quattro Veneciani con do Fiorentini, el Veschovo della Città de Chastella fo facti Gardenali, tutti jera homeni sancti, e de bona fama in uno anno. (16) El Santissimo Papa Gregorio semenò nel champo della Santa Ghiexia

elapsis quatuordecim diebus idem F. Mathias adductus est in conspectu Pseudopontificis, qui ei ingentes beneficiorum opes promisit, & minas etiam interficiendi adjunxit; Sed Fr. Mathias constans ac fortis paratus erat pro Sancta Ecclesia millies mori. Videns Pseudopontifex virtutem F. Mathiæ, fidemque erga eum, a quo missus fuerat, bonum hoc exemplum admiratus est, & assentientibus Cardinalibus suis illum ad Gregorium remisit, dicens sibi placere ad urbem illam accedere, quæ vocatur Savona (14), ut ibi uterque conveniret ad peragendam unionem. Reverso Fratre Mathia cum litteris Antipapæ, Gregorius una cum iis, qui pacem desiderabant magnopere gavisus est. Gregorius misit Reverendum Patrem nostrum Venetias, ut Illustriss. Dominium triremem concederet, quæ tuto Gregorium ad prædictum locum adduceret, cum opportunum tempus advenisset, & hoc illi promissum fuit (15). Redux Romam noster Pater renunciatus est Episcopus Ragusinus, & quatuor Veneti cum duobus Florentinis, & Episcopus Civitatis Castellanæ creati fuerunt Cardinales intra anni spatium, & erant omnes sanctitate, & fama pro-

xia de bone semenze azo le fructificasse, e forzosse de chavar le male usanze, e de piantar le bone nella vigna del Signor: E chome ho dicto el voleva, che tutti li Prelati vivesse honestamente, e senza tirania, perochè lera tal Gardenal, che aveva de intrà xx. millia Duchati all' anno: e Gregorio li diceva; Non se tante pompe, ma partecipè con li poveri Sacerdoti. Alguni Gardenali di primi jera che mai non aveva dicto Messa, e de quelli ne jera, che aveva vivesto XIV. anni senza confessarse, li qual Nostro Padre Missier Fra Zandomenici fece tanto, che li se confessò. Habiando el Padre della Fameglia semenato el bon seme nel suo champo vene la nocte el nemicho del homo, e sopra se menò la ginzania, e partisse; e quando el fo tempo de nascer el fructo aparse anche la ginzania; imperochè quelli che sera usati nell' Egipto a manzar le zevole de la duplicità, e falsità lo invene in fastidio la Manna. Non podeva abitar li lupi con li Agnelli, el Padre Sancto andava a bona fede, e li insidiatori el tradiva in ascoso, imperochè i Fiorentini, (17) e uno Gardenal di primi, el qual nomeva Baldisara (18) per la sua malignità, e cupidità

batissimi. (16) Sanctiss. Papa Gregorius bonum semen in agro Ecclesiæ seminavit, ut fructum daret, & incubuit ad malas consuetudines evellendas, bonosque mores in vinea Domini statuendos. Et quemadmodum dixi, volebat Prælatos omnes honeste vivere, & sine Tyrannide, quandoquidem aliquis erat ex Cardinalibus, cujus redditus annui ascendebant ad viginti millia Ducatorum, & Gregorius ei dicebat: abstine a tot pompis, & de tuo participa cum Sacerdotibus, quos præmit egestas. Aliqui ex primoribus Cardinalibus erant, qui nunquam Missam celebraverant, & aliqui, qui per annos quatuordecim nunquam ad Pœnitentiæ Sacramentum accesserant, apud quos Fr. Jo. Dominici nostri Cœnobii Pater, usque adeo institit, dum peccata sua confiterentur. Cum Paterfamilias bonum semen in agro suo seminasset, venit nocte inimicus hominis, & superseminavit zizania, & discessit, & cum venit tempus fructus, apparuerunt zizania. Siquidem, qui consueverant in Ægypto comedere cæpas duplicitatis, & falsitatis, fastidiverunt Manna. Non poterant Lupi familiariter esse cum Agnis. Pater Sanctus agebat sincera fide, & insidia-

dità tractono che quando Gregorio fosse a Savona per far la unione, chel fosse insidiato, e morto; (19) e questo fevali, perchè li temeva de perder li suo honori, e Beneficii, se la unione se fesse; e pensava, sel fosse morto, de farne uno simel a essì. Ma chome Dio permesse, le lettere del tradimento vene nelle man de Gregorio, (20) el qual jera partito da Roma per andare a Savona, e per lo simel l'antipapa jera partito dal suo luogo più seguro. Questi malvasi insidiatori fece retegnir el messo, azò el passasse el termene, che jera messo per far la unione, azochè Gregorio paresse da sprezuro. Vedando Gregorio, chel termene se aprosimava, e resposta non vegniva, el mando dui Ambaxadori, fidandose d'essi azò loro fesse lo acordo dela paxe, & unione. Costoro non avè quella prudencia che bexognava, e tornò con più discordia che prima: perochè l'antipapa dixe, che lui non voleva andar alla morte: intendando Gregorio questo, fo facto in agonia per la promessa facta, chel termene se approximava. El remandò el suo fidelissimo Frate Mathia, dichando, che lui se elegesse qual terra li piacesse più proxima a lui, purchè se fesse que-

sidiatores clanculum illi proditionem struebant; siquidem Florentini, (17) & unus ex primis Cardinalibus, cui nomen Balthassar (18) ex propria malitia, & cupiditate egerunt, ut quando Gregorius Savonæ esset ad unionem conciliandam per insidias interficeretur. (19) Et hoc illi volebant timentes amissionem honorum, & Beneficiorum, si ad exitum unio perduceretur, & mortuo Gregorio de alio sibi ipsis simili sufficiendo cogitabant. Sed ut Deo placuit, litteræ proditionis devenerunt in manus Gregorii, (20) qui Roma discesserat, Savonam iturus, & pari modo Pseudopontifex e suo loco tutiori discesserat. Pessimi isti insidiatores operam dederunt, ut nuncius retardaretur, ut elapso tempore ad unionem condicto Gregorius perjurii reus videretur. Videns Gregorius terminum adventare, nec sibi responsum fieri, duos Legatos misit fidens ipsis, ut fœdus pacis & unionis inirent. Non usi fuerunt isti prudentia, qua opus erat, & reversi sunt accensa magis, quam antea discordia; siquidem Antipapa dixit se nolle ad mortem ire. Hæc Gregorius intelligens summo mœrore affectus est propter fidem datam termino appropinquante. Iterum misit fi-

questa unione, l'era disposto a metterse a mille morte, e quando Frate Mathia zonse, l'Antipapa era mutato d'animo, e dixe, chel non se voleva meter in custion, de che Frate Mathia tornò molto desconsolato a Gregorio. Vedando li Gardenali, chel termene jera passato, e che la union non jera facta, parseli aver licita chaxon contra Gregorio. El Demonio che intro in Juda, intrò in do Gardenali, li quali era Gardenali, avanti che Gregorio fosse Papa, e come Juda tradì Misier Jesu Christo, cusì questi tradì el Papa: (21) Imperochè con sui falsi argumenti mandò lettere alli Gardenali dell' antipapa, e a molti altri Prelati, e Signori delle Città, dicendo chome Gregorio jera spregiuro, e chel termene, chei doveva far la union jera passato, e che non jera facta la paxe, e molte altre infamie contra la verità. Questi duo traditori stando in Corte non andava a visitar el Sancto Padre, chome e usanza; e cusi malignava li altri Gardenali, maravegliandose el Sancto Padre, che li mandò a dir chelli fesse la sua obediencia, e loro chome rebelli mostrò la sua iniquità, e non volse obedir al Sancto Padre. El Sancto Padre benigna-

dissimum suum Fratrem Mathiam dicens per se non stare, quin ipse eligeret, quam Urbem vellet sibi proximiorem, dummodo hæc unio haberetur, se paratum vitam millies exhibere, & cum Fr. Mathias ad Antipapam pervenit, hic animum mutaverat, & dixit se nolle armis immiscere, qua de causa Fr. Mathias admodum dolens ad Gregorium reversus est. Videntes Cardinales terminum affluxisse unione non sequuta, visi sibi sunt habere justas causas insurgendi contra Gregorium. Dœmon, qui in Judam olim intraverat, duos etiam ex Cardinalibus invasit, qui ante Pontificatum Gregorii hanc dignitatem obtinuerant, & quemadmodum Judas prodidit Christum Dominum, ita illi Pontificem prodiderunt.(21) Siquidem falsis argumentis innixi scripserant litteras ad Cardinales Antipapæ, multosque alios Prælatos, & Urbium Dominos asserentes Gregorium perjurii reum, & terminum unionis faciendæ effluxisse, nec tamen initam esse pacem, & multa alia scelera contra veritatem addentes. Hi duo proditores in aula degentes non invisebant Sanctum Patrem, ut moris est, & erga alios Cardinales maligni erant. Id videns

gnamente aspettava, che li se corregesse, e non li volse dar la pena che zustamente li meritava per la sua inobediente falsità. Costoro pur dubitando, chel non se discovrise el suo tradimento, e chel Papa non li fesse amazar secretamente li se partì da Corte, e acompagnose con li Gardenali dell' Antipapa, e con el subsidio di Fiorentini li chiamò el concilio in Pixa (22) dicendo, che questi due Papi era Sismatici, e sperzuri, e che li non aveva facta la unione. Per la qual cosa molti credendo questo, andò a quel Concilio, e cusi chome li Prencipi, e Sacerdoti pervertì el Populo contro Christo, cusi questi contra Gregorio: intanto che molti cridava Crucifige, Crucifige eum. E cusi con le sue false raxon li condenò Gregorio per Sismatico insieme con l' antipapa, e depenseli suso una carta, e brusolla in segno de justicia, dando ad intender, chel non jera più Papa, e che loro ne voleva eleger uno altro. Intendando questo el fo molto tristo, chel non aveva facto retegnir quelli do Traditori, e dixe: da può che son stato facto Papa, mai non feci cosa, che tanto me rimorda la conscienza, quanto questa, che non feci ju-

videns Sanctus Pater cum admiratione significavit illis, ut ad obedientiam suam accederent, & ipsi tanquam rebelles iniquitatem suam ostenderunt, & Sancto Patri morem' gerere recusarunt. Ipse vero benigne expectabat eorum resipiscentiam, nec pœnam infligere voluit, quæ propter inobedientiam, & falsitatem juste erat illis debita, suam etiam proditionem in lucem exire timentes, mortemque sibi a Pontifice imminere, clanculum ab aula evaserunt, seque cum Antipapæ Cardinalibus conjunxerunt, & ope Florentinorum eos ad Concilium Pisanum convocarunt (22) dicentes: hos duos Pontifices esse Schismaticos, & perjurios, eo quia unionem non peregissent. Qua de causa multi fidem adhibentes ad illud Concilium se contulerunt, atque hoc pacto quemadmodum Principes Sacerdotum seduxerunt populum contra Christum, ita isti contra Gregorium, adeo, ut multi exclamarent Crucifige, Crucifige eum. Hisce falsis rationibus adducti Gregorium, tanquam Schismaticum una cum Antipapa condemnaverunt, & utriusque imaginem in charta depictam in signum veræ executionis combusserunt, dissemínantes Gregorium non esse amplius

justicia de quelli do Traditori. Vedando Gregorio, chel se sunava quel Concilio a Pixa, el vene per più sigurtà a Siena: e li fo molto ben recento per la devocion, che loro aveva in la sua Santità. Stando el Sancto Padre in Siena, quasi chome uno altro Mosies, orando, e deprecando per la Sancta Giexia, el Concilio de Pixa stete quattro mexi, e possa el zorno de Misier San Zuane Battista li publicha uno Papa Alexandro (23) e in quel tempo compiva do anni, e sete mexi, che Gregorio jera Papa. (24) Aldo questo tutti i Rectori delle Terre, tolse la obediencia da Gregorio, e della ad Alessandro. El comun de Siena sapeva el tradimento, che aveva facto li Florentini contro la verità, e tigniva Gregorio vero Papa; ma per compiacencia li deta la obediencia ad Alessandro: e Gregorio se convene partir da Siena, mo avanti, che Siena li tolesse la obediencia. El fo abandonato da la mazor parte di Gardenali, li quali andò a Pisa vedandose Gregorio solo el fece nostro Padre, e quattro Veneciani Gardenali, (25) li quali jera homeni devotissimi, e de sancta vita. Vedando Gregorio, che quelli da Siena li ave-

plius Pontificem, & alium a se electum iri. Hæc cum audisset, pœnituit Gregorium, quod duos illos proditores comprehendi non jussisset, & dixit: ex quo Pontifex creatus sum, nihil feci, de quo me adeo conscientia reprehendat, ut de hoc quod proditores illos justa pœna non affeci. Videns Gregorius Concilium illud Pisis cogi, Senas se contulit tutiorem ad locum, ibique bene admodum exceptus est propter devotam reverentiam, quam erga Suam Sanctitatem Cives profitebantur. Cum esset Senis Sanctus Pater velut alter Moyses orans, & deprecans pro Sancta Ecclesia, Concilium Pisanum post quatuor mens die Sancto Joanni Baptistæ sacra Pontificem Alexandrum creavit, (23) quo tempore Gregorius annos duos, & menses septem Pontificatus sui numerabat. (24) Hæc audientes Urbium Domini se a Gregorii obedientia subduxerunt, & ad Alexandrum accesserunt. Senenses noverant proditionem a Florentinis factam contra veritatem, & Gregorium esse verum Pontificem existimabant, sed indulgendo adhæserunt Alexandro. Gregorio autem necesse fuit Senis abire, sed antequam Cives ab ejus obedientia recederent. Plerique Cardina-

aveva tolto la obediencia, el se partì de lì, e vene a Lucha. Sapiando Baldisera Gardenal, che Gregorio se partiva da Siena, el sacordò con Fiorentini, promettandoli molti doni, se loro li dava Gregorio nelle mani: (26) e questo sevalo per portarlo ad Alessandro, chel fesse brusar chome heretego. Li Fiorentini mandò molta gente per tegnirlo in posta; Ma chome a Dio piacque Gregorio non sapiando el tradimento, el se aveva partito meza hora inanti che quello exercito zonsesse al passo, e zonse a Lucha con otto Gardenali, e molti Veschovi, e Prelati de bona vita, li qual insieme con el Signor de Lucha consejò Gregorio, che chiamasse Concilio, e scrisse all' antipapa, e a molti principi, e Signori, dicendo, che lui jera stà sempre disposto alla unione, e chel voleva, che tutti fosse insieme la verità ad examinar. E chome quel Concilio da Pixa non se podeva far, imperochè vivando el Papa el non è lecito, che altri faza Concilio. (27) Quelli che aveva chiamati Alessandro Papa, li non cessava de mandar ambaxarie per tutto el Mondo con sue false raxon contra Gregorio, e contra l'antipapa; e che questo suo Alessan-

dinalium illum deseruerunt, qui Pisas profecti sunt. Gregorius videns se derelictum creavit Cardinalem Joannem Dominici nostrum Patrem, & alios quatuor Venetos (25) homines devotissimos, & vitæ sanctæ. Propter Senensium a se defectionem inde abiit, & Lucam venit. Intelligens Balthassar Cardinalis Gregorium Senis recedere, pactum iniit cum Florentinis promittens dona multa, si Gregorium in ejus manus tradidissent (26), eo consilio, ut illum in Alexandri potestatem conjiceret, a quo velut hæreticus combustione puniretur. Florentini multos homines miserant, qui in insidiis essent. Sed ex Dei beneplacito Gregorius ignorans proditionem discesserat semihora, antequam armati illi ad locum insidiarum pervenirent, & Lucam attigit cum octo Cardinalibus, Episcopis multis & Prælatis vitæ laudabilis, qui simul cum Lucæ Domino hortati sunt Gregorium, ut Concilium indiceret, & litteras dedit ad Antipapam multosque Principes, & urbium Dominos significans se fuisse semper ad unionem paratum, & optare, ut omnes ad examen veritatis convenirent, nec Pisanum Concilium celebrari posse, siquidem vivente Pontifice non

ſandro meterave la Giexia in paxe. Aldando queſte raxon li Signori Chai della Città, quaſi tutti dete la obediencia a Aleſſandro, (28) e pochi andò al Concilio de Gregorio. Stando Gregorio nel ſuo Conciſtoro con alguni Signori, tra li quali ne era li Ambaxadori dell' antipapa, e deſputando inſieme el chazete uno grandiſſimo travo apreſſo le ſpalle de Gregorio, el qual era uſcito del tecto; per tal che tutti credete morir: e quando li Ambaxadori dell' antipapa vedete, che eſſo Gregorio non jera morto, ne non aveva noſeſto ad algun de loro, li reputa queſto miracolo alla Sanctità de Gregorio, & adorollo come vero Vichario de Chriſto. Paſſando alguni zorni, li fece chome fano li Marinari, che paſſata la fortuna non ſe arecorda più de Dio. Or vedando Gregorio, che niun non andava al ſuo Concilio, e che tutti andava a Pixa, e chel Signor de Lucha nol podeva più tegnir per paura de Fiorentini el ſe partì, e venne a Rimano; el Signor de Rimano (29) amava Gregorio, e jera ſuo fedeliſſimo ſivollo, e molto el defendeva la verità. E per queſto li Fiorentini, e Bologneſi con Baldiſera Coſſa, che jera Gardenal de Bologna (30) moſ-

ſe

non licet, cuiquam congregare Concilium (27). Illi, quos Alexander convocaverat, non ceſſabant, quaquaverſus per totum orbem litteras mittere cum falſis argumentis contra Gregorium, & contra Antipapam aſſerentes hunc ſuum Alexandrum pacem univerſæ Eccleſiæ daturum. Hæc cum audirent Urbium Dominatores Alexandro ferme omnes paruerunt (28), & pauci admodum ad Gregorii Concilium acceſſerunt. Cum ſederet Gregorius in ſuo Conſiſtorio una cum ſpectabilibus viris, inter quos erant Legati Antipapæ, cumque inter ſe diſceptarent, cecidit trabs ingens prope humeros Gregorii ab utraque tecto, adeo ut omnes obrui ſe ruinis formidaverint, & quum Legati Antipapæ viderunt Gregorium incolumen, nihilque detrimenti cuiquam eorum accidiſſe, hoc miraculum tribuerunt Sanctitati Gregorii, eumque, ut verum Chriſti Vicarium proni agnoverunt. Transactis autem aliquot diebus, egerunt ut nautæ, qui diſſipata procella Dei non amplius recordantur. Videns Gregorius neminem ad ſuum Concilium accedere, omneſque Piſas adire, & Lucæ Dominum non poſſe amplius apud ſe illum retinere ob Florentinorum metum, deceſſit, &

ſe

se guerra al Signor Charlo de Rimano, per tale, chel non potè più tignir Gregorio, & axò el non fosse preso lol mandò a Cividal, e li fo receuto con gran charità dal Signor de Cividal (31).

Come Gregorio passò per Chioza, e per Torcello, e vene a Cividal, e chome li Veneciani, el tratò.

Quando el Sancto Padre fo per partirse da Rimano, el fesse domandar el passo a Veneciani, e volentiera el saria vegnudo a Veniexia: Ma la Signoria vedando, che tutto el Mondo dava la obediencia a Alesandro, non volse el vignisse a Veniexia, e delli el passo de Chioza, e de Torcello. Quando el Sancto Padre zonse a Chioza quasi meza Veniexia andò a vederlo, quando el vete tanta moltitudine de Veneciani, tutto se alegrò, e a tutti dete la benedicion, e mol-

se Ariminum contulit, cujus Dominus (29) Gregorius eum diligebat ejusque Filius fidissimus erat, & acerrimus Veritatis defensor. Eaque de caussa Florentini, & Bononienses cum Balthassare Cossa, qui erat Cardinalis Bononiæ (30) arma moverunt contra Carolum Arimini Dominum, adeo ut Gregorium tueri amplius non potuerit, & ne in hostium manus deveniret, illum misit ad Forum Julii, ubi ab Urbis Domino magna cum benevolentia exceptus fuit (31).

Quomodo Gregorius per Clodiam & Torcellum transiit, & Forum Julii pervenit, & quomodo erga illum Veneti se gesserunt.

Discessurus Arimino S. Pater Venetos rogavit, ut transitum concederent, & libenter Venetias venisset. Sed Dominium videns Christianas omnes urbes obedire Alexandro, noluit, eique per Clodiam, & Torcellum transire concessit. Simul ac S. Pater Clodiæ fuit, dimidia ferme pars Venetorum Civium ad illum invisendum properavit, ille autem hanc hominum frequentiam videns gaudio cumulatus est, & omnibus benedictionem, & veniam multam impertivit, & sub-

e molta perdonanza, e ſtete li do zorni, e vene poſſa a Torcello, (32) e per lo ſimel molta moltitudine li andò incontra, & eſſo benignamente receveva tutti per tal che tutti quelli lo amava, ne ricevete grandiſſima conſolacion, e ancora de quelli, che aveva data fede all' infamie, e detraction facte contra di lui, quando li vete el ſuo aſpecto tutto gracioxo, e humile, tutti ſe moſe a devucion. Uno Zentilomo de principali me dixe, che ſel Doxe (33) lo aveſe vezuto, lo i averia dato gran favor, imperochè lui aveva tanto gracioxo aſpecto, chel vedeva, diſeva: coſtui è uno Sancto: El ſtete cinque zorni in Torcello, e può el ſe partì per vignir a Cividal. Quando el fo appreſſo a Veniexia el guardò pietoxamente, e con lacrime dixe: O Veniexia, Veniexia, che non accepti la viſitacion, che Dio te manda. E zonto chel fo a Cividal el Chapo dela Città, con tutto el Populo lo recevete con grande charità. Stando in Cividal el feva el ſuo poder de redur le Pegorelle, che le non vedeva la verità. (34) Et el Signor, che rezeva la Città per paura de guerra, li comenzò eſſer contrario: Ma tutti i Religioſi, (35) e tut-

ſubſtitit ibi biduum, & venit Torcellum (32) eodemque modo copioſa hominum multitudo obviam illi facta eſt, & ipſe benigne excipiebat omnes, adeo, ut illi, qui ei favebant, ſolatio magno affecti fuerint, & ex illis etiam multi, qui crediderant diffamationibus, & calumniis contra illum, ſimul ac aſpectum ejus urbanitate, & modeſtia plenum viderunt, ad devotionem omnes ſe excitari ſenſerunt. Unus ex præcipuis noſtris Patritiis mihi affirmavit, futurum fuiſſe, ut Dux (33), illum videns magno ſtudio ejus partes amplecteretur; Siquidem tanta inerat in vultu gratia, ut qui viderent, confeſtim dicerent: Homo hic eſt Sanctus. Dies omnino quinque Torcelli fuit, & deinde verſus Civitatem Auſtriæ perrexit. Cum prætergrederetur Venetias pio intuitu urbem aſpiciens hæc lachrymis obortis dixit. Venetiæ Venetiæ cur Domini viſitatio, quæ mittitur, non acceptatur. Ad Civitatem Auſtriæ adventavit, & Urbis caput cum Civibus ſummo cum amore eum ſuſceperunt. Ibi degens totis viribus nitebatur, ut oves contra veritatis lucem cœcutientes ad verum ovile revocaret (34). Et Urbis Dominus ſibi bellum timens cœpit illi adver-

e tutti li Populi dela Città, credeva, che Gregorio fosse el vero Papa. E tutti li Religioxi, e tutte le Città, e terre jera divixe insieme, e specialmente in Veniexia tutta era in Sisma; e nel Consejo el se aldiva remor, imperochè molti dava la obediencia a Alessandro, e molti a Gregorio, e per questo jera grandissima divixion in Consejo. Ma sopra tutti misier Michiel Stem Doxe de Veniexia jera contra Gregorio, perchè el voleva, che un suo Nevodo foxe Veschovo: ma el Sancto Padre non volse farlo perchè el non era acto a quel officio. (36) E questo Doxe con alguni altri potè più che la maxor parte, che voleva Gregorio; e cusì si fece molti consej con gran discordia, e al ultimo, che fo la nocte de mis. S. Agustin, li tolse la obediencia a Gregorio. (37) Alguni Zentilomeni, che temeva Dio, non consentì, e molti cridava Crucifige Crucifige eum; e cusì la parte aversa avense. Or vojando el Signor liberar li suo Servi dela bocha de Lioni, lo i mandò lanzolo suo, el qual fo lo Re de Puia, (38) solo esso, che non dete obediencia ab Alessandro. Costui mandò sie Galie armate al porto de Cividal per levar el Sancto Pa-

versari. Sed Religiosi omnes (35), & universus Urbis populus existimabant Gregorium esse verum Pontificem. Et religiosi omnes, omnesque urbes & oppida in discordia versabantur, præsertim ingens ubique Venetiis Schisma erat, & in Consilio audiebantur strepitus, quia multi obedientiam Alexandro dari volebant, multi Gregorio, eaque de causa ingens erat in Concilio dissensio. Sed præ omnibus Dominus Michael Steno Dux Venetiarum adversabatur Gregorio, quia volebat nepotem suum ad Episcopatum promoveri, sed Sanctus Pater renuit, quia ad illud munus non erat idoneus (36). Et Dux iste cum aliquibus aliis prævaluit, plerisque Gregorium volentibus, & multis vicibus factum est Consilium cum magna dissensione, & denique nocte Domini S. Augustini subducta est obedientia Gregorio (37). Quidam Patricii timentes Deum non consenserunt, & multi clamabant Crucifige Crucifige eum, & hoc pacto Adversarii vicerunt. Interim volens Dominus liberare servos suos ab ore Leonum misit Angelum suum, qui fuit Rex Apuliæ (38). Ipse solus Alexandro se non submisit. Iste misit sex Triremes armis, & militibus instructas ad

Padre con tutti li sui. Intendando quel malvaso Gardenal de Bologna, el qual nomeva Baldisera Cossa, che quelle Galie jera andate per portar el Sancto Padre in una terra delo Re, el mandò molti soldati a tignir in posta el Sancto Padre, quando el montava in Galia; (39) El Signor de Cividal, che amava el Sancto Padre, el fece avezuto de quello exercito: e tutti so facti in agonia, vedando chi non podeva andar per altra via al Porto, dove era le Galie. Ma chome Sancto Jacobo Patriarcha partì la sua fameja in due parte per paura del suo fradelo, chel perseguitava, cusi el Sancto illuminato del Spirito Sancto partì la sua fameja, esso, e li sui Gardenali se vestì in habito de Chapellani, e Misier Polo Arcivescovo (40) se vestì in habito de Papa, e, a questo modo stravestiti li uscite da Cividal per montar in Galia, e cusi li nemixi tene tanto li ochi a Misier Polo, che era in habito Papal, chel Papa con li suo Gardenali scampò, e montò in Galia e questo fo la vigilia della Natività della Madonna. Tutti quelli della Galia lo ricevete con gran devucion, vedando el suo aspecto tanto humel, e gracioxo, e ve-

ad portum Fori Julii, ut Sanctum Patrem cum suis adducerent. Intelligens pessimus ille Cardinalis Bononiensis, cui nomen Balthassar Cossa, Triremes illas discessisse, ut Sanctum Patrem in urbem aliquam ditionis regiæ transveherent, misit multos milites, qui ex insidiis Sanctum Patrem aggrederentur, cum Triremem (39) vellet conscendere. Civitatis Austriæ Dominus, qui Sanctum Patrem diligebat, monuit illum de istis copiis militum, omnesque animis conciderunt, videntes nullum aliud esse iter ad portum, ubi erant Triremes. Sed ut Sanctus Jacob Patriarcha bifariam divisit familiam suam propter Fratris persequentis timorem, ita Sanctus Pater Divino Spiritu illustratus, divisit familiam suam. Ipse cum suis Cardinalibus ita se induit, perinde ac si essent Capellani, & Domnus Paulus (40) Archiepiscopus Pontificis ornamenta, & insignia assumpsit, & hoc pacto mentitis vestibus Civitate Austriæ exierunt, ut Triremem conscenderent, & ita hostes intentos adeo oculos in Domnum Paulum defixerunt habentem vestem Pontificiam, ut Pontifex cum suis Cardinalibus evaserit, & ad Triremem pervenerit, & hoc accidit

e vedandolo molto ſtanco per eſſer vignudo molto in preſſa, tutti el pregò, chel doveſſe tuor qualche pocho de cibo, e lui con aliegra faza riſpoxe: io ſeria ingrato, ſe non zunaſſe la vigilia della mia cara madre, che me ha ſcampado da tanto pericolo, avixandovi, che correndo mi con lo Chavallo, io vedeva una Donna molto lucida, che me andava inanci confortandome, che io zonzerave a ſalvamento. Aldando queſto tutti rimaxe ben edificati de lui. Or le Galie fece vela, e con l'ajutorio divino preſto zonſe in Gajeta, (40) e li el fo riceuto con grandiſſimo honor, e alegrezza. Or Miſier Polo fo preſo in pè del Papa, e portollo preſone, e quando quelli chel preſe, ſe vete eſſer ingannati e beſati lo i dete de molte batiture, e lui per aver ſcapolato lo inocente dalle ſue man el porto pacientemente ogni inzuria.

dit in pervigilio Nativitatis Deiparæ. Quotquot in Triremi erant, illum magna cum devotione ſuſceperunt, videntes ejus aſpectum adeo humilem, & comem, cumque illum intuerentur magnopere defatigatum, eo quia properanter admodum veniſſet, omnes hortati ſunt precibus, ut aliquantulum cibi caperet, ipſe vero ſubridens reſpondit, ingratus eſſem, niſi jejunarem in pervigilio meæ dilectiſſimæ Matris, quæ me de tanto periculo eduxit, ſciatis enim velim, me equum ad curſum incitantem, vidiſſe mulierem luce magna circumfuſam, quæ præibat confortans me, ut in tutum me reciperem. Hæc illi omnes audientes virtutem ejus admirati ſunt. Interim expanſis velis Triremes divina ope cito Cajetam appulerunt, ibique exceptus eſt cum honore & gaudio, ſupra quam dici poſſit. At Domnus Paulus perinde ac ſi Pontifex eſſet, captus fuit, & in carcerem detruſus, ſed cum captores ſe illuſos, & deceptos agnoverunt, multis eum verberibus onerarunt, ille autem, quia de eorum manibus innocentem liberaverat, patienter omnem injuriam tulit.

Come Papa Gregorio zonse a Gajeta.

Vedando quelli de Gajeta la sua Santità, tutti lo aveva in grandissima reverencia, & etiam lo Re el vegniva spexo a visitar promettandoli de mantegnirli la Fede, e de combatter per lui, perochè solo lui con el suo Reame, & eciam el Signor Charlo de Rimano, tigniva con Gregorio, e tutti li altri era con Alessandro. Or in chao de x. mexi Alessandro morite, (42) e in xi. zorni li fexe Baldisera Cossa Antipapa, el qual era uno perverso homo, (43) e con gran astucia el fece, che lo Re tolesse la obediencia a Gregorio, promettandoli la Corona dello Imperio se lo idesse favor de intrar in Roma, ma el bon del Re, perchè el cercava più l'honor proprio, che quel de Misier Domenedio el consentì alle promesse de questo Papa Zane (44), e tolse la obediencia a Gregorio e detela a Papa Zane; (45) & in brieve tempo el fece, che questo Papa Zane, che jera in Bologna, intrò in Roma. Aldando questo Gregorio el pregò li Cittadini de Gajeta chel dovesse tignir insina chel catasse luogo, e tutti li pro-

Quomodo Gregorius Papa venit Cajetam.

Cajetæ Cives Sanctitatem suam videntes omnes, quam maxime colebant, ipseque adeo Rex identidem ad eum invisendum accedebat, promittens se fidem servaturum, & arma pro illo tractaturum, siquidem ipse solus cum Regno suo, & etiam Carolus Arimini Dominus Gregorii partes sequebantur, & reliqui cum Alexandro erant. Interea post menses x. Alexander obiit (42), & intra undecim dies factus est Balthassar Cossa Antipapa, qui erat pravis moribus (43) homo, & callidissime effecit, ut Rex se subduceret ab obedientia Gregorii, promittens ei Coronam Imperii, si presto illi esset, ut Romam intraret. At bonus Rex, quia magis de proprio honore solicitus erat, quam de divina gloria, assensum præstitit promissis hujus Papæ Joannis, & defecit a Gregorio, ut accederet ad Papam Joannem (44), & brevi ita res disposuit, ut Papa iste Joannes (45), qui erat Bononiæ, Romam ingrederetur. Hæc audiens Gregorius rogavit Cives Cajetæ, ut se apud illos tamdiu esse sineret, quamdiu locum tutum invenisset, & omnes

promesse con gran charità de meterse alla morte per lui. (46) Or el non se poria narrar el dolor, e la pena aveva tutti quelli, che jera in compagnia del Sancto Padre, vedendose esser impresonati soto la podestà delo Re. Solo Gregorio pareva de bona volia per la granda speranza, che sempre aveva in Dio. E vedando Nostro Padre Misier Gardenal, (47) che ogni speranza del Mondo li era manchata a redur la Sancta Giexia in pace, el tolse licencia da Gregorio de andar allo Re de Ongaria (48) perchè el sperava de redurlo, che lui fosse chazon de far la union nella Giexia, & abiando abuto la licencia, Nostro Padre se partì solo, con uno famejo, & andò in Ongaria stravestito, per non esser cognosuto. Et el Sancto Padre vedandose in tanto pericolo mandò al suo charissimo fivolo Charlo Signor de Rimano, che lo recevesse, el qual come fivolo de obediencia se desponete metter la vita per defender la verità, fiandoli contra tutto el Mondo, e manazandolo (49) Zane antipapa pur chel potesse sovegnir Gregorio, e cusi benignamente lo recevete. (50) Or li parenti de Gregorio con alguni Zentilhomeni de Venie

nes magno cum benevolentiæ ardore promiserunt se ad mortem pro illo subeundam paratos fore (46). Jam vero incredibile dictu est, quo angerentur dolore & molestia, qui cum Sancto Patre erant, videntes se esse in Regis potestate. Solus Gregorius hilarem se ostendebat propter ingentem fiduciam, quam semper in Deo habuerat, & videns Cœnobii nostri Pater Cardinalis spem omnem mundanam sublatam de pace Ecclesiæ Sanctæ restituenda, voluit concedente Gregorio se ad Regem Ungharorum conferre, quia sperabat illum ad suas partes adducere, ut esset author unionis in Ecclesia. Facultate itaque sibi impertita a Gregorio, Noster Pater (47) solus cum famulo discessit, & in Pannoniam (48) perrexit mentitis vestibus, ne agnosceretur. Et Sanctus Pater in tanto se periculo, constitutum videns scripsit ad suum charissimum Filium Carolum Arimini Dominum, ut eum susciperet, qui utpote obediens filius se disposuit ad vitam pro veritatis defensione dandam cum ex adverso staret orbis totus (49), & Joannes Antipapa minas intentaret, dummodo posset presto esse Gregorio, & ita eum benigne excepit (50). Interea consanguinei Gregorii, cum ali-

niexia nolizò una nave a Gajeta dicendo al Patron, che chautamente levasse Gregorio. Quelli de Gajeta aveva comandamento da lo Re che li non lassasse partir Gregorio. Li Signori de Gajeta volentiera laverave difeso, e tignuto; li fece quel che li potè de tegnirlo, perchè i lo amava, cognosando la sua sanctità perochè li aveva riceuto da lui molte gracie, & aveva veguti de belli miracoli, tra li qual uno zornò facendose la processíon el se levò uno sfulgor grandissmo, che tutti crete morir, e tutti cridò Sancto Padre Misericordia, & humelmente esso se ingenochiò a terra, orando, e fazando el segno de la Sancta Croxe subito cessò, e vene bellissimo tempo; era in quel tempo la Pestilencia in tutta la Puja, excepto in Gajeta: el so vista una brutissima vechia insicir fuori de la porta de Gajeta crìdando fortemente dicendo: Io non posso star in questa terra infina che Gregorio Papa ghe habita. La so domandata chi la jera, e la rispoxe: Io son la morte, che non ho libertà in questa Città infina che Gregorio ghe stà. Or el S. Padre vedeva la bona voluntà de Cittadini, ma perchè lo Re s'aspettava a Gajeta voleva partirse per vignir a Ri-

aliquibus Patritiis Venetis conduxerunt Navem Cajetæ, Nauclero dicentes, ut caute Gregorium abduceret. Civibus Cajetæ imperaverat Rex ne Gregorium abire permitterent. Illi quidem libenter eum defendissent, ac retinuissent, & quantum in ipsis fuit, voluerunt apud se esse, siquidem eum amabant ejusdem Sanctitatem perspectam habentes, quia ab ipso gratias multas acceperant, & pulcherrima miracula viderant, inter quæ illud quod die quadam, dum solemnis supplicatio fieret, ingens turbo igneus excitatus est, ut omnes se morituros crederent, & misericordiam a Sancto Patre implorarent, & ipse genibus humiliter in terram fixis orans, & Crucis signum faciens procellam omnem dispulit, & pulcherrimam serenitatem restituit. Sæviebat eo tempore pestis per totam Apuliam excepta Cajeta, & visa est anus turpissima Cajetæ portis exire, elatis clamans vocibus, & dicens: Non possum hoc in loco morari, dum Gregorius Papa hic adest. Interrogata est quænam esset, & respondit: Ego sum mors, cui non licet in hac Urbe morari, dum in illa Gregorius versatur. Jam vero Sanctus Pater pronos in se Civium animos videbat, sed

a Rimano; e non potè si tosto, che lo Re zonse al Porto, quando i Signori de Gajeta andò incontra lo Re avanti el desmonstrasse li disse. O Sacra Corona, come astu posuto far tanta inzuria alla Giexia de Dio, che tu abbi venduto el suo Pastor per cinquanta milla ducati? Sapi, che tu fa questa offesa a Gajeta: Nu ve parlemo in persona de tutti, imperochè semo disposti de reschatarlo, e meterse alla morte per lui. Aldando lo Re queste parole el non desmontò in terra, per non metter la terra a remor, e in chaó de tre zorni el mandò quattro Chavalieri a Gregorio renonciandoli la sua obedientia, tra i quali jera uno parente de quello Antipapa, el qual tractava con li Chalonegi de Gajeta, de dar Gregorio secretamente nelle mano dello Re. Ma el Signor, che illumina chi spiera in lui, lo liberò meravejosamente in questa forma: Che uno principal Citadin de Gajeta, el qual aveva imprestado una sua bella sala per stancia al Sancto Padre, e subito questo Citadino andò al Sancto Padre, e butosse ingenocchioni, e dixe: Sancto Padre fugite presto, perche li Chalonegi cerca de darve nelle mani dello Re. Et subito fece

sed quia Rex volebat, ut eum expectaret Cajetæ, statuit discedere, ut se conferret Ariminum, sed non citius potuit, quam Rex Cajetæ portum intraret. Cum cives obviam Regi facti sunt, antequam de navi descenderet, ei dixerunt: Majestas Sacra, quomodo potuisti injuriam tantam Ecclesiæ Dei facere, ut ejus Pastorem quinquaginta mille aureis venderes. Scito hanc esse totius Cajetæ offensam, nos omnium nomine loquimur, siquidem parati sumus eum liberare, & mortem pro illo obire. Hæc audiens Rex noluit in littus descendere, ne seditionem in urbe excitaret, & post triduum misit quatuor Equites ad Gregorium abrenuncians suæ obedientiæ, inter quos erat unus Antipapæ consanguineus, qui agebat cum Canonicis Cajetæ, ut clanculum in potestatem Regis Gregorium dederent. Sed Deus, qui illuminat sperantes in se, liberavit eum, mirum in modum hoc pacto. Quidam ex primoribus Cajetæ Civibus, qui pulchram suam domum Sancto Patri inhabitandam obtulerat, statim ad illum accessit, & ad ejus genua provolutus dixit: Sancte Pater eripe te citissime, quia Canonici quærunt te in Regis manus prodere, & sta-

ce desmurar una porta, che andava in chaxa sua, el Sancto Padre con li suo Gardenali, e le sue robe passò per quella porta, & andò alla marina, e montò in una barcha, e presto zonse al Porto, dove jera la nave, el Sancto Padre con la sua compagnia montò in nave, e in pochi zorni zonse a Rimano (51). O amabel Signor Dio, che se delecta de provar li suo amixi, e liberar chi ama la verità. Imperochè meza ora dopo partito el Sancto Padre zonse el Traditor alla chaxa, dove l'era partito per prenderlo, e portarlo allo Re, e non trovandolo, li romaxe sconfitti. Or stando el Sancto Padre in Rimano dexideroso della union della Sancta Giexia, e sopra zo faceva de grandissime oracione. In questo mezo Nostro Padre tornò da Ongeria, per el qual facto lo Imperador per far la union chiamò Concilio che tuti li Prelati del Mondo, e tuti i Dotori vegnisse a una Terra, che se chiama Constancia, e lì el se determinasse quello, che fose paxe della Sancta Giexia, & lì el fo determinato, che tuti tre li Papi renonciasse, e fosse facto uno solo Papa, chome ordenò Christo, e l'antipapa Zane fo el primo, che renonciasse

statim clausam cœmento portam aperiri jussit, per quam erat aditus in domum suam, & Sanctus Pater cum suis Cardinalibus, & sarcinis elapsus est per illam portam, & ad littus maris properavit, & in ratem descendit, & cito pervenit ad Portum, ubi aderat navis. Sanctus Pater cum sociis in eam ingressus est, & brevi tempore Ariminum appulit (51). Oh Deus amabilis, qui libenter tentas amicos tuos, & liberas, qui diligunt veritatem. Quandoquidem semihora post discessum Sancti Patris supervenit proditor in domum, unde discesserat, ut eum caperet, & Regi traderet, sed eo non invento, conatus illius fuerunt irriti. Jam vero Sanctus Pater degens Arimini, & Sanctæ Ecclesiæ unionem optans multas hac super re ad Deum preces fundebat. Interea Noster Pater Pannonia reversus est, cujus hortatu Imperator, ut unio resultaret, indixit Concilium, & ut omnes Christiani Orbis Pastores, & Doctores ad urbem accederent, cui nomen Constantia, ibique ea statuerentur, quæ pacem Ecclesiæ redderent, & decretum est, ut tres singuli Papæ renunciarent, & unus de novo crearetur, prout Christus voluit. Pri-

se con la speranza de romagnir, & andò a Constancia con tuti li sui Gardenali (52), e Gregorio, e Benedeto non se mosse, ma essi mandò li sui Ambaxadori (53) promettando de renunciar, se tuti renunciasse. Gregorio mando Nostro Padre in sua persona, el qual se messe a molti pericoli, quando lo andò in Ongaria. Imperocchè lui andò povero con uno compagno per non esser cognosuto: Molte volte fo in pericolo de morte, incarcerato, batuto, affamato, andando cercando el pan alle porte per fina el zonse dallo Imperador, el qual lo recevete come vero Legato, e con doni, e ben accompagnato lo remandò in drieto a Gregorio. Et zonto che fo a Rimano, el Sancto Padre, e tuti lo recevete con grande allegrezza, e lacreme, vedando esser tornato colui el qual li era tuto el suo remedio. Chome ho dicto el Sancto Padre non trovò altri chi volesse andar al Concilio (54), e solo lui come fivolo de obediencia, e zelante del honor de Dio se desponete de andar alla morte, perochè lui andava da li sui nemixi, e pensando esser morto el se confessò generalmente, e ben accompagnato lo andò al Concilio, Et lo Imperador che

Primus, qui renunciaret fuit Joannes Antipapa cum spe, quod denuo eligeretur, & Constantiam se contulit cum omnibus suis Cardinalibus (52); Gregorius vero, & Benedictus, ubi erant substiterunt, sed legatos suos miserunt (53) promittentes se fore ad renunciandum paratos, si omnes renunciassent. Gregorius misit Patrem nostrum pro se, qui se exposuit multis periculis, quando in Pannoniam ivit: Siquidem ne agnosceretur, cum unico socio pauperis in modum ivit. Sæpe sæpius periculum mortis subivit in carcerem conjectus, percussus, famelicus panem ostiatim quæritans tandem pervenit ad Imperatorem, qui eum excepit tanquam verum Legatum, & cum donis, & frequenti comitatu ad Gregorium remisit. Et simul ac Ariminum venit, eum Sanctus Pater omnesque cum ingenti gaudio & lachrymis susceperunt, videntes eum rediisse, in quo totum erat malorum remedium. Ut dixi Sanctus Pater neminem alium invenit, qui vellet ad Concilium ire, (54) & ipse solus tanquam obedientiæ filius, & honoris Dei studiosus se disposuit ad periculum mortis, siquidem ad suos inimicos ibat, & certam sibi credens mortem generali con-

 ses-

che molto lo amava, lo recevete con grande honore, e nulla cosa feva senza el suo Consejo. Or essendo congregati tuti al Concilio General, e li el fo tractà molte cose per reformacion de la Sancta Giexia, le qual non scrivo qui per esser scripte in uno altro libro, el qual scrisse Misier Thomaxo Paruta Vescovo de Cità Nova (55).

Come fo facto per lo Sacro Concilio Papa della union.

Habiando el Concilio conclufo, che tuti tre renonciasse; Gregorio come homo, che dexiderava più la union, dandoli piena libertà de renonciar, se li altri renonciasse. Vedando Zane, che la cosa non andava chome el pensava, el dete ordene con el Doxe de Storica che lo ricevesse (56), e cusi una nocte el scampò. Vedendo lo Imperatore, che quel Doxe lo aveva receuto, con molte manaze lo i mandò dichando, chel desfaria el mondo, sel non li rimandasse Zane, de che lo il mandò prestamente (57). Vedando tuti, chome questo Zane aveva facto contra el Concilio,

fessione animum expiavit, & cum comitatu multo ivit ad Concilium. Et Imperator, qui eum mirifice diligebat, magno illum cum honore admisit, & nihil quidquam sine ejus consilio faciebat. Cum autem convenissent omnes ad generale Concilium de multis ibi rebus actum est pro reformatione S. Ecclesiæ, quæ non scribo, quia in alio libro leguntur, quem scripsit Dom. Thomas Paruta Episcopus Civitatis Novæ (55).

Quomodo Concilium elegit Pontificem unionis.

Cum Concilio visum esset, ut tres singuli renunciarent, Gregorius quippe, qui unionem præ cæteris optabat, plenam Legato suo renunciandi facultatem dedit, si alii duo renunciarent. Videns Joannes res aliter progredi, ac sibi persuaserat, disposuit cum Duce Austriæ, ut eum reciperet, (56) & sic nocte quadam aufugit. Videns Imperator Ducem illum dedisse ei asilum, significavit Duci multis cum minis, se coelum terramque moturum nisi restitueret Joannem (57), propterea cito illum remisit. Videntes omnes hunc Joannem adversarium fuisse Concilio, & perjurii reum ex-

cilio, & jera sprezuro, e per testimonianza di molte iniquità, che sempre lui aveva operate, per le qual el meritava la morte, il dischancelò, e condenolo in prexon. (58) Lo Imperator el mandò a uno suo inimico, el qual el tien in uno Chastello serado, come el merita (59). Questo fo el primo anno, che fo congregato el Concilio per recrear el Papa nuovo, vedendo el Concilio come Gregorio humelmente aveva refudato per zelo della union, el fo molto laudaro, & a gran suo honor, el romaxe Legato allo Recanati (60). Et quello altro Antipapa Benedetto romaxe nella sua duricia, de che con gran sua vergogna el fo condannato chome rebello della union. E nostro Padre romaxe Gardenal con gran suo honor (61). Tuto el Concilio lauda la sua bontà, e sapiencia, & eciam quella de Gregorio, e lo Imperador li amava cordialmente. Meraveioxo Dio, che ajuta chi cognòse la verità, & libero quello, chome manifestamente se ha vezudo de questi Sancti homeni, li quali ha patito tante imfamie, e pericoli per sostegnir la verità. Et quelli duo Antipapa, che non andava in verità romaxe confuxi. Or siando sta el

exstitisse, & extare testimonia multorum in illo scelerum, quæ semper patraverat, propter quæ mortem promerebatur, dignitate illum spoliavit, & in carcerem detrusit (58). Imperator eum misit ad inimicum suum, a quo in arce quadam sub arcta custodia retinetur, ut equum est (59). Hoc accidit anno primo Concilii ad novam electionem Pontificis congregati. Videns Concilium quomodo se Gregorius dignitate humiliter dimiserat propter unionis studium, magnopere illum commendavit, & honorificentissimo Legati Recanatensis munere decoravit (60). Ille alius Antipapa Benedictus perstitit in sua pervicacia, propterea cum infamia damnatus fuit, tanquam rebellis unionis. Et nostro Patri Cardinalis dignitas fuit cum honore confirmata (61). Totum Concilium mores, & sapientiam illius, sicuti & Gregorii commendavit. Et Imperator illum vehementer amabat. Mirabilis Deus, qui diligentibus veritatem adjutorium præstat, eosque liberat, prout manifeste constitit in his sanctis viris, qui tot infamias, & pericula subierunt in testimonium veritatis. Et duo illi Antipapæ, qui a veritatis via declinabant confusi sunt. Cum

el Concilio anni tre in Constancia, chome piasete a Dio, fo creato, e facto il nuovo, e solo Papa, e questo fo el dì de S. Martin, e cusì vien chiamato Martino V. a laude de Jesù Christo (62).

Cum autem Concilium Constantiæ per triennium perdurasset, ut placuit Deo creatus fuit, & constitutus novus, & solus Pontifex in die S. Martino sacra, & ea de causa vocatus fuit Martinus V. ad laudem Christi Jesu (62).

Come Gregorio Papa XII. morite.

In 1417. adi 18. Ottubrio passò de questa vita Gregorio Papa XII. (63) el qual morite con bona desposicion, e fama, perochè chi ben vive, ben muore, fo sepolto dove el jera Legato alo Recanati con grandissimi honori, e molti sermoni fo facti della sua sanctità. Quando el fo apresso la morte fra le molte notabel parole el dixe queste: Io non ho cognosuto el mondo, el mondo non ha cognosuto mi. Questo se puol intender, e provar per testimonianza della Sua Sanctità, conversacion, e vita. El non cognosete el mondo quanto alli diletti carnali, perochè el morite Vergene, puro, e de questo rende testimonianza Nostro Padre, chel confessò generalmente (64). Non cognoscete el mondo per pompa, nè per superbia, el dixe, che tanto sentiva li honori, quanto se li foxe

Quomodo Gregorius Papa XII. obiit.

Anno 1417. die 18. Octob. ex hac vita migravit Gregorius Papa XII. (63) qui obiit bene dispositus, & cum bona sui nominis fama, qui enim bene vivit, bene moritur, & sepultus est, ubi Legatione sua fungebatur in urbe nempe Recanatensi cum exequiis solemnioribus, multæque Orationes funebres in ejus sanctitatis commendationem recitatæ fuerunt. Morti proximus inter cætera, quæ notatu digna dixit, hæc protulit, nec ego mundum cognovi, nec cognovit me mundus. Hæc tanquam vera accipi, & comprobari possunt ex testimonio sanctitatis ejus, & conversationis, & vitæ. Mundum ipse non cognovit quoad corporeas voluptates, quia integram usque ad mortem castimoniam servavit, qua de re testem habemus nostrum Patrem, qui generalem illius confessionem audivit (64), non cognovit mundum

foxe facti ad altri. El deva audiencia a ogni persona, e quanta la jera più picola, e maxime li servi de Dio lo i aldiva più volentiera. Non cognosceva el mondo per furia, ne per vendetta, ma con molta mansuetudine suportava tuto el mondo, el qual li so contrario con molte infamie e persecucion. El dixe, che quando lo aveva più persecucion, tanto el sentiva mazor dolcezza da Dio. Non cognosete el mondo per invidia, ben lui recevexe dalli invidioxi molte inzurie: e lui dixeva in tante so tribulacion: Mi dalla parte mia non ho niun inimicho; hogni homo ha el suo contrario. Non cognosete el mondo per gola, ne per luxuria, perochè fo tuto sobrio e casto; mai non manzava, ne dormiva, se non quando lui aveva fame, e gran sonno: lui jera de tute le virtù ornato, e però non cognosceva el mondo, imperochè lui jera crucifixo al mondo, el mondo a lui, e però el fo perseguitato dal mondo, perchè el non jera cognosuto dal mondo. Una volta disputando Nostro Padre con molti Servi de Dio della perfecion de molti, el vene a concluder, e dixe, che de quanti Servi de Dio, che lo aveva praticati,

dum quoad fastum & superbiam, fassus est enim, se ita ab honoribus collatis offici perinde ac si aliis conferentur. Admittebat rogantes cujuslibet conditionis personas, & quo humilioris status erant, præsertim Dei servos, eo libentius aurem illis præbebat. Mundum non cognovit quoad iram, atque vindictam, sed mitissime se gerebat cum omnibus, quos sibi infensissimos habuit, per infamationes, atque persecutiones. Professus est se Dei dulcedinem eo majorem experiri, quo acerbiores erant hujusmodi tribulationes, non cognovit mundum quoad invidiam, immo ipse ab invidis offensas multas retulit. Ipse autem in tot calamitatibus dicebat. Quantum est ex me nullum habeo hostem, sed omnis homo suos patitur adversarios. Non cognovit mundum quoad gulæ intemperantiam, nec quoad luxuriam, quia sobrius & castus omnino fuit. Nec cibum sumpsit, nec quietem nisi fame, aut somno urgente. Cunctis virtutibus erat ornatus, idcirco non cognoscebat mundum, quia mundo crucifixus erat, & mundus ipsi, propterea mundus eum non recepit, quia mundus eum non cognovit. Cum olim Noster Pater disputaret cum multis Dei

cati, mai non ne trova, se non trè compiti, in tute virtù, e perfecion, di qual luno jera Gregorio Papa XII, e cusi confermava tuti quelli, che cognoseva, e pratica dì, e note con lui, li quali dixe, che mai non steva ocioxo, sempre parlava, o desputava della Sacra Scriptura, e dove lui jera, niuno non osava dir mal d' altri, e molto reprendeva quelli, che dixeva parole ocioxe. Nostro Padre ne dixe, che mai el non se potè accorger che mai el peccasse venialmente, tanto el trovava puro confessandolo. Et in segno chel so accepto a Misier Domenedio chel se umiliasse, lol mostrò per questo muodo. Imperochè Misier Domenedio li volse dar questo contento avanti chel morite, chel vedesse la union, chome spexo lui ha dicto: Io ho speranza nel mio Signor Misier Jesu Christo, che avanti che muora Io vederò la paxe, & union in la Sancta Giexia. E da possa, che la union so facta, lui vivete anni do, e mai li non se podeva accordar de eleger uno Papa, de dì in dì, e de mexe in mexe li jera insieme per far el Papa, e mai li non se accordava, in tanto che quelli dal Concilio molto li recrenseva (65). Chome questo

Dei Servis de Sanctitate multorum, conclusit ultimo, & dixit: ex tot hominibus Deo dilectis, quibus usus fuerat familiariter, se non invenisse nisi tres secundum numeros omnes vere perfectos, inter quos unus erat Gregorius Papa XII. idemque confirmabant omnes quibus erat notus, & qui dies noctesque cum illo versabantur asserendo, illum nunquam fuisse otiosum, sed solicitum aut colloqui, aut disserere de sacra Scriptura, eoque præsente neminem ausum fuisse alienæ famæ detrahere, & ipsum acriter reprehendisse loquentes inania. Affirmavit Noster Pater, nunquam se potuisse peccatum, neque veniale in illo deprehendere, adeo innocentem illum inveniebat cum ejus confessionem audiebat. Et ut palam fieret fuisse placitum Deo, ut humiliationis experimentum haberet, hoc maxime signo ostensum est. Quia Deus hoc illi gaudium ante mortem largiri voluit, quod unionem Ecclesiæ videret, quemadmodum ipse identidem repetebat. In Domino meo Jesu Christo confido me ante supremum diem vitæ visurum in Sancta Ecclesia pacem, & unionem. Et post unionem factam biennium vixit, nec unquam Patres Concilii convenire

sto Sancto morite, el Papa fo facto 24. zorni da può la sua morte (66), de la qual cosa tuti tene questo per gran meraveglia de Dio a demostrar che lui jera el vero Papa, chel non permese in sua vita chel foxe facto uno altro (67). Or finischo del dir delle molte tribulacion, e della morte de Gregorio Papa Duodecimo, de che tegno, che da altre persone el sarà scripto molte cose meravelgiose della sua sancta vita, e della sua perfecta paciencia, e della sua felice e sancta morte. Ma ho vojuto dir queste poche parole azò lui ora per mi Peccatrice (68).

nire poterant in electione Pontificis de die in diem, de mense in mensem congregabantur ad eligendum Pontificem, & semper diffidebant, adeo ut Patres Concilii, hujus moræ admodum pigeret (65). Statim ac ad Superos Sanctus hic evolavit, intra spatium dierum viginti quatuor ab ejus transitu (66) creatus est Pontifex, nec propterea eo vivo permisisset alium constitui (67). Finem facio scribendi de vexationibus multis, & morte Gregorii Papæ XII. quandoquidem scio ab aliis viris scribenda esse multa admiranda de ejus sancta vita & perfecta patientia, & felici ac sancta morte. Sed hæc omnia placuit litteris consignare, ut ipse pro meis peccatis intercedat ad Deum (68).

(1) Qua effulserit morum sanctimonia Angelus Corrarius jam ex Divo Antonino, atque ex Beato Thoma de Senis superius enuntiavimus, doctrinæ ejus, & probitati testimonium perhibet etiam B. Joannes Dominici, ut videre est Operis hujus Tom. VII. pag. 132. De eo enim ad Matronam quamdam Venetam scribens ait: *qui est Magister in Theologia, & in sanctitate vitæ modicos habet pares.* Nec quisquam mihi obtrudat, Joannem Dominici ob collatam sibi purpuram Gregorio nimis fuisse addictum, dum enim hæc de Angelo Corrario nondum Pontifice scriberet, nullo gratitudinis de nondum collata dignitate vinculo tenebatur. Præclaris hisce viris subscripserunt, Scriptores melioris notæ ex recentioribus Clar. Vir. Ludovi-

cus Donius de Attichy Episcopus Æduensis in Historiis Card. Tom. III. pag. I., in quo præter cæteras ejus laudes, quas fuse contexuit, asserit Angelum Corrarium *eximium Theologiæ Doctorem, scientiæ pietatem præclare junxisse.*

(2) Superius ex Leonardo Aretino, qui omnibus interfuit, attulimus Cardinales nuncupato Sacramento, dum virum quærerent fide, integritateque idoneum, singulis examinatis in Angelum Corrarium mentem consensumque omnes vertisse.

(3) Juramentum, ut diximus, quod Cardinalis firmavit Angelus Corrarius, etiam post adeptam Pontificatus dignitatem ultro confirmavit.

(4) Utrumque opportuno tempore perfecit, Antipapæ enim hortatorias epistolas dedit, & Pontificatum salva tantæ dignitatis authoritate pro Ecclesiæ pace deposuit.

(5) Hoc ex Divo Antonino confirmavimus, qui Gregorium statim asserit Benedicto adversario scripsisse, abdicationem mutuam offerens. Decima die ab assumptione sua Epistolas dedit Gregorius nondum Pontificia Thyara redimitus, ut refert Raynaldus ad annum 1406, quas deinde Pseudopontifici Avenione degenti per nuntium misit duodecimo post coronationem suam die, ut notat Riccobona. Pares litteras Pseudocardinalibus etiam, & universis Principibus dedisse fatetur, & ipse Niemius.

(6) Quanta labe universos Ecclesiæ Ordines pessimum hoc crimen eo tempore infecerit, satis conqueruntur Ecclesiasticæ historiæ, acri enim schismate Divina humanaque omnia turbabantur; Integritatem, & innocentem Angeli animum ex iis etiam addiscimus, quæ Beatus Thomas de Senis de ipso Angelo protulit in Tractatu Ordinis Pœnitentiæ S. Dominici.

(7) Ex iis viris, quos Gregorius XII. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptavit, tres Beatorum fastis, ut notat Episcopus Æduensis adnumerantur, alter vero suæ probitatis meritis ad Pontificale fastigium evectus fuit.

(8) Ex hoc Riccobonæ loco comprobatur, quod superius diximus, dum laudes Angelo Cardinali a Fratre Joanne Dominici collatas attulimus.

(9) Hæc a cæteris prætermissa ex Joannis Dominici fortasse relatu didicit Bartholomæa, multasque addit circumstantias, quæ rei fidem astruunt.

(10) Ab omnibus scilicet, qui sub obedientia Bonifacii, & Innocentii prædecessorum suorum erant.

(11) Litteras hasce ex Niemio notavit Raynaldus ad annum 1406.

(12) Nota Virginis ingenuitatem, quamvis enim Joanni Dominici suo in spiritualibus Patri addictissima esset, ipsius tamen concives (ubi veritas id exposcat) carpere non formidat. Mutuas inter Venetos, & Florentinos controversias ex historiis addiscimus.

(13) Ex hoc comprobatur Simoniæ scelus per ea tempora etiam in Romana Curia viguisse; ut notavimus alibi ad tractatum Thomæ Antonii de Senis.

(14) Quis Pseudopontifici, & Principibus Christianis Gregorii epistolas detulerit, alto silentio prætereunt historici, qui ipsius Gregorii gesta scriptis commendarunt. Solemnes nuntios Avenione ad Antipapam a Gregorio XII. missos fuisse, refert Raynaldus, quos omni industria circumvenire studuit, idque dolose nisus est, ut *Gregorium ad locum, qui schismaticis pareret, eumque maritimum, utpote insidiis, cum valeret classe, aptiorem, tantaque calliditate usus est*, ut Gregorii internuntios (erant hi Antonius Corrarius Gregorii nepos, tunc Episcopus Mothonensis, Guillelmus Tudertinus Episcopus, & Antonius de Butrio U. J. D. Bononiensis) ipsos adduxerit, ut convenirent Savonæ in Liguria Gallorum imperio obnoxiæ. His actis Legati ad Regem Galliæ accesserunt, qui collaudata Gregorii voluntate epistolas ei dedit, in quibus ipsum *sancti propositi virum, & ferventi charitate illuminatum* vocat.

(15) Triremes (ut videre est apud Raynaldum) a Venetis postulavit Gregorius, qui tamen *negarunt se ipsas daturos, ne Genuenses ipsorum hostes eas occuparent, interpretati ideo ad locum adversæ partis imperio obnoxium, Pontificem trahi ab antipapa, ut in eo facilius opprimeretur*. Joannem Dominici adhuc in minoribus positum ad hoc opus Legatum Pontificium misit Gregorius XII, ut hoc loco

 refert

refert Riccobona, quod etiam confirmatur ex sæpecitato Thomæ de Senis Tractatu, in quo Tom. VII. hujus operis pag. 164. legitur: *Unde cum ipse Frater Joannes Dominici Venetiis Nuntius Apostolicus de mense Augusti, postmodum de curia advenisset pro causa unionis Ecclesiæ, antequam inde discederet* &c. Nec ad Venetos tantum, sed etiam ad Januenses, aliosque Italiæ populos nuntium destinatum fuisse asserit; ut videre est pag. 166. ejusdem Tomi: *Fratrem Joannem Dominici de Florentia pro negotio unionis Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ ad diversas partes Italiæ, & præsertim ad Venetos, & Januenses specialem nuntium Sedis Apostolicæ destinatum.*

(16) Electiones Cardinalium, quas annis sequentibus peregit Gregorius, hic reponuntur, non servato Chronologiæ ordine, hoc tamen indubium est, eos fuisse viros tum doctrina, tum sanctimonia conspicuos.

(17) Quamvis aliquos ex Florentinis in Purpuratorum Patrum coetum admisisset Gregorius, exasperatum tamen nationis animum lenire non valuit. Rei testimonium affert Episcopus Æduensis Tom. III. pag. 23. "Verum quod ad „ Florentinos attinet, spe sua delusus est Gregorius: cum „ enim esset, tunc Ladislao Neapolitanorum Regi ami„ cissimus; a quo postea injuste admodum desertus est, „ quod iniqua petenti juste negaret, & inter quem ac „ ipsos Florentinos, quod ad eorum ditionem inhiaret, „ erat non minima simultas, nunquam illos demereri po„ tuit; quin potius eundem semper odio prosecuti sunt.

(18) Balthassar Cossa, qui postea sub Joannis XXIII. nomine Petro Philargio, Alexandro V. nuncupato, successit.

(19) Balthassarem Cossam insidias Gregorii vitæ molitum fuisse refert supralaudatus Episcopus Æduensis ex Bzovio.

(20) Quod sibi paratas insidias ex interceptis litteris deprehenderit Gregorius, nullus memorat ex Ecclesiasticis historicis, hoc fortasse ex Joannis Dominici relatu didicit Bartholomæa. Æquis tamen de causis, justoque timore perculsum profectionem Savonensem detrectasse Gregorium, concorditer asserunt Divus Antoninus, Ludovicus d'Atichy, & Raynaldus, quorum ultimus rerum gestarum seriem ad tuendam tanti Pontificis innocentiam optimamque

que fidem fuse recenset. Hi omnes autem fortissimis argumentis, validisque rationibus manifeste evincunt, virum sanctissimum nunquam cum adversario collusisse, *quæ enim* (ait eruditissimus d'Attichy) *Societas lucis ad tenebras? vel quæ conventio Christi, aut ejus Vicarii ad Belial*. Lectissimam Virginem ideo hæc scripsisse voluit Deus, ut ejus simplici sinceritate obtunderentur falsæ criminationes Niemii, atque aliorum pariter, qui Niemicis calumniis se facile decipi voluerunt. Qualis autem cujusque animi fuerit Niemius ex Raynaldo, & laudato Episcopo Æduensi addiscimus, qui eum signant *in veros quoque ac legitimos Romanos Pontifices aperte infensum, & naturali in eos odio ferri, & invehi generatim solitum, sed peculiariter in Gregorium, quod ab eo repulsam aliquam passus esset*. Justum vero fuisse Gregorii metum ne Savonam accederet, adeoque gravem, ut in virum constantem cadere posset, non asserit tantum, sed & evidenter demonstrat superius laudatus Episcopus Æduensis, dum Gallum, & Arragonium Reges refert Benedictum, de cujus obedientia erant, Romam ducere, & in Petri Sede (ut vulgo ferebatur) statuere pollicitos fuisse. Hæc cum satis essent ad detinendum Gregorium, ne Roma abscederet, pacis tamen desiderio Senas primum, mox Lucam usque progredi decrevit. Promptum Gregorii animum, & ad Pontificatus abdicationem sancte dispositum testantur Niemius ipse, & Bzovius, ex quibus refert Æduensis Episcopus, *Gregorium Senis agentem voluisse se abdicare Pontificatu sub quibusdam conditionibus, sed Balthassarem Cossam Cardinalem Bononiensem Legatum, qui tunc temporis illi adhærebat, ac postmodum ab eo defecit, ipsum ab hac intempestiva cessione revocasse*.

(21) Unum ex duobus Cardinalibus fuisse Balthassarem Cossam pro certo est, cujus iniquum, & dolosum animum, paratasque ab eo adversum insontem Gregorium insidias non uno loco refert, detegitque veracissimus Raynaldus; alterum notandum esse autumo Landulphum S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, qui (ut ex Sententia Gregorii XII. adversus rebelles lata patet) dum Perusii, & in adjacentibus terris Pontificius esset Legatus Gre-

Gregorium sæpe de constantia commendans, ei ad mortem usque obedientiam spopondit, quod se dolose fecisse factis ostendit, Assisiensem enim civitatem *contra fidelitatis propriæ juramento tradidit pro pecunia, & eam sibi imbursavit*.

(22) Rem ordinate digerit Raynaldus ad annum 1408, ubi & prudenter notat Cardinales Pisis congregatos, *dum nimio impetu ad legendum Gregorium feruntur gravissimam sibi injuriam intulisse, nam si dubius Pontifex Gregorius erat, dubii quoque Innocentius VII, Bonifacius IX, Urbanus VI. Pontifices fuere, ac provide ipsimet Cardinales dubii extiterunt*. Si autem (arguit alio loco doctissimus Historicus) Gregorius XII. verus indubiusque Pontifex erat, nunquam absque ipsius authoritate, & assensu convocari poterat legitimum, & universale Concilium, unde absolute infertur cum Divo Antonino unionem Pisis renuente Pontifice Romano coactam Conciliabulum fuisse potius, quam Concilium; præsertim (ut notat ipsæ æque sanctus ac doctus Scriptor) cum ex eo non fuerit, *ablatum schisma, sed augmentatum*.

(23) Die Mercurii mensis Junii electum fuisse a Cardinalibus utriusque obedientiæ Pontificem Alexandrum V. asserit Raynaldus, diem notat Riccobona solemnem Præcursoris Nativitate, attamen cum annus 1409, quo electus fuit Alexander signetur littera Dominicali F, consequens est, ut Alexander V. non die 24, ut refert Riccobona, sed die 26. Junii electus fuerit, nisi fortasse ad conciliandos Scriptores dicatur Alexandrum V. electum die 24. publicatum deinde fuisse (ut aliquando evenisse noscimus) die 26. ejusdem mensis.

(24) Creatus fuit Pontifex Gregorius XII. anno MCCCCVI. die II. Decembris, quæ electionem Alexandri præcessit anno 2. mens. 6. die 22.

(25) Gregorius XII. Lucæ degens, cum in proposita Cardinalium electione infensos sibi veteres Cardinales invenisset, *novos Cardinales studiis conjunctissimos soluta juste* (ut notat ex Divo Antonino Raynaldus) *Apostolica authoritate voti in conclavi nuncupati religione vocatoque Episcoporum*, & Præsulum cœtu mense Maii anno MCCCCVIII.

qua-

quatuor Cardinales creavit, scilicet Joannem Dominici Ordinis Prædicatorum *non quærentem, sed renitentem*, Antonium Corrarium, & Gabrielem Condulmerium Venetos *viros timoratos, & mundi contemptores*, nec non Jacobum Utinensem Protonotarium *virum multum religiosum*. Deinde dum Senis commoraretur desperato jam unionis negotio *novos Cardinales ad partes suas confirmandos* elegit Ludovicum Brancacium Archiepiscopum Tarentinum, Angelum Episcopum Recinetensem, Angelum Barbadicum Episcopum Veronensem, Baldellum de Baldellis Episcopum Ariminensem, Philippum Anglum Episcopum Lincolniensem, Matthæum Episcopum Wormatiensem Roberti Regis Romanorum Oratorem, Lucam Florentinum ex Ordine Humiliatorum Episcopum Fesulanum virum consilio, fama, probitate, & Theologica scientia conspicuum, Vincentium seu Valentinum Priorem Montis ferrati, & Petrum Maurocenum. Itaque ex duabus electionibus prodierunt quatuor Veneti Cardinales. Neque juramentum a se præstitum ullo modo læsit Gregorius, eos enim Cardinales elegit, *quando unionis negotium* (ut animadvertit ex D. Antonino Episcopus Æduensis) *vidit esse desperatum*, nec illud juramentum perpetuo Pontificem adstringebat cum ad XV. menses solummodo vim haberet, qui jam electionis tempore elapsi fuerant.

(26) Insidias a Balthassare Cardinalis S. Eustachii non semel Gregorio paratas recenset Raynaldus ad annum 1408. numero 42, & 43. quas Deo ipsum protegente declinavit, Cardinalem hunc *Lascivia omnique vitiorum genere contaminatissimum* excitasse dolose Cardinales, ut a Gregorio deficerent, (refert ex Niemio Raynaldus num. 43.) cujus odii caussa fuit, non solum, ut tyrannicum Bononiæ imperium sibi retineret, sed etiam magis, ut inter eas turbas Pontificatum invaderet; cujus libidine venenum postea Alexandro V. propinasse traditum est.

(27) Pisanum Conventum nec legitime, nec rite coactum inter Œcumenicas Synodos adnumerandum non esse docet S. Antoninus dum ait: *Per Pisanum Concilium, vel Conciliabulum, cum non esset alicujus eorum, qui se gere-*

bant

bant pro Pontifice, authoritate congregatum; non est ablatum schisma, sed augmentatum.

(28) Gregorium post Alexandri V. electionem *brevi ab Italis, Hungaris, Bavaris, & Siculis desertum* fuisse, refert Raynaldus ad ann. 1409. num. 83, & Divus Antoninus part. III. Tit. XXII.

(29) Carolus Malatesta Arimini pro Ecclesia dominium tenens Gregorio XII. addictissimus laudatur summopere a Divo Antonino loco citato, ut vir egregia liberalitate, & religione Christianá devotus, & (quod rarius est in viris populorum regimine distractis invenire) studiorum litterarumque peritissimus.

(30) De tyrannico Imperio, quod in Bononiensi legatione exercuit Balthassar Cossa fuse agit, non uno in loco Raynaldus.

(31) Intelligit Rempublicam seu Concilium Civitatis Austriæ vel Forojulii, quod Concilium relicto Antonio de Portu Gruario Patriarcha Aquilejensi a Gregorio pridem deposito, ejusdem Gregorii XII. partes sequebatur.

(32) Diem, qua Torcellum adventavit Gregorius ex Diariis Œconomicis Veneti S. Mariæ Servorum Monasterii addiscimus, in quo hæc habentur:

1409. 21. *Maii Illis Fratribus, qui iverunt cum barcha usque Torcellum causa visitandi Summum Pontificem* tr. II. sol. III.

(33) Michael Stenus Dux, cujus consilio Veneti ab obedientia Gregorii recesserunt.

(34) Synodum a Gregorio XII. in Civitate Austriæ convocatam fuisse enuntiat Raynaldus ad annum 1409. num. 81. & sequentibus, ubi Niemio contradicit asserenti Gregorium tempore Quadragesimali in Austriam adventasse, affertque ipsius Gregorii epistolas Arimini datas die III. Maii, quo mense, ut vidimus, Torcellum accessit. Ex ea autem Synodo, ad quam *exiguus admodum Præsulum numerus se contulerat*, misit Pontifex Venetias Nicolaum Episcopum Ferentinum, & Dominicum designatum Episcopum Melitensem, ut illius Provinciæ Præsules objecta anathematis poena ad Synodum cogerent; *Sed Veneti*, qui pridem *ad partes Forojulii pro accessu Summi Pontificis* legatos miserant, non multo post *Alexandro* (ita Raynaldus) *ex Do-*

ctorum

ctorum sententia, quamvis Gregorius Venetus esset, adhæserunt. Legationem ad Gregorium XII. in Civitate Austriæ degentem a Veneto Senatu missam, ex Decreto Majoris Consilii certam habemus, in eo enim hæc leguntur: " MCCCCIX. die IV. Julii. Cum in parte capta in
" Consilio Rogatorum, & additionis quando electi fue-
" runt Nobiles viri s. Jacobus Suriano Miles, & s. Pau-
" lus Zane Ambaxiatores nuper missi ad partes Forojulii
" pro accessu Summi Pontificis ad illas partes, continea-
" tur, quod eligendis ad dictam Ambaxiatam reservaren-
" tur officia &c.

(35) Etsi Gregorio magna piorum hominum, & Religiosorum pars adhæreret, attamen Principum metu, qui se ad Alexandri obedientiam contulerant, Gregorii partes sequi dissimulabant. Hujus rei specimen dedimus Operis hujus Tom. v. pag. 302, ubi notavimus B. Petrum de Pisis cum universo suæ Religionis cœtu constanter in Gregorii obedientia perstitisse, quod etiam invicto pariter animo præstiterunt B. Carolus de Monte Granello, atque Beatus Stephanus Congregationis Fæsulanæ primus, alter vero Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Fundatores piissimi. Idipsum confirmans Divus Antoninus Par. III. Tit. XXII. asserit, quod Gregorius etiam tempore convocatæ Constantiensis Synodi, *a multis Deum timentibus, & peritis adhuc reputabatur Pontifex Summus, licet soli Malatestæ eum venerarentur*. Venetiis quoque, & in Veneta ditione, licet potior Senatorum numerus Alexandro V. faveret, plurimi tamen Gregorio constanter adhærebant, ex quorum dissensione auditum fuisse in Comitiis *rumorem* tradit Riccobona; Hoc ex Decemviralis Consilii lege confirmatur, in qua hæc leguntur:

Mccccix. Die xxi. Augusti.

In Consilio Decem.

„ Quia omnino est necesse facere provisionem contra mo„ dos, & movimenta, ac impetus inhonestos, & injuriosos, „ qui tenentur in Consilio Rogatorum, quando tractatur de „ hac deliberatione faciendi obedientiam Papa Alexandro, vel „ non. Vadit pars pro obviando malis inconvenientiis, quæ „ sequi possent, quod de cætero quando tractabitur de delibera„ tione prædicta faciendi obedientiam Papa Alexandro, vel „ non, & similiter de subtrahendo obedientia Papa Grego„ gorio, vel non, vel super aliqua re spectante prædictis, „ vel alicui prædictorum. Si aliquis de Consilio Rogatorum. „ Quadraginta, & additione, vel de aliis, qui possunt stare „ ad dictum Consilium loquetur, vel dicet aliquid injuriosum, „ vel faciet aliquem actum, vel movimentum, vel impetum „ inhonestum, vel se movebit a loco suo impetuose, vel cum „ verbis injuriosis, Cadat quilibet contrafaciens in pœnam „ ducatorum centum, & sit privatus per annos tres de omni„ bus Consiliis, & officiis secretis. Et non possit ei fieri ali„ qua gratia de prædictis pœnis, vel aliqua earum, nec do„ num, remissio, nec recompensatio, permutatio, suspensio, „ daclaratio, vel revocatio aliqua sub dicta pœna pro quoli„ bet ponente, vel consentiente partem in contrarium, de „ qua pœna non possit fieri gratia sub dicta pœna, & sic pro„ cedatur de pœna in pœnam, usque in infinitum. Et præ„ dicta committantur inquirenda, & exequenda Capitibus de „ Decem pro bona executione prædictorum. Et debeat publi„ cari præsens pars statim in Consilio Rogatorum, ut omni„ bus sit manifesta,

Ablatam Gregorio XII, delatamque Alexandro V. obedientiam refert Sanutus in Chronico, quod inseruit Muratorius Tom. xxii. Rerum Italicarum; ita enim legitur col. 843. „ Agli 11. d'Agosto venero tre Oratori a Venezia, uno del „ Re di Francia, uno del Re d'Inghilterra, e uno del Du„ ca di Borgogna, Etiam venne uno di Papa Alessandro V. „ il quale è a Pisa, pregando la Signoria, che volesse dare

ubi-

„ ubidienza ad esso Papa Alessandro, come vero Pastore del-
„ la Chiesa. Ancora venne un'altro Oratore di Gregorio XII.
„ Papa Gentiluomo nostro di Casa Correro, il quale era a
„ Cividale del Friuli, pregando la Signoria, che volesse man-
„ tenere lui Papa. E fu tolto rispetto a rispondere. A' 18. del
„ detto mese di Domenica furono chiamati i Pregadi per ri-
„ spondere a detti Oratori, e cacciati i parenti di Papa Gre-
„ gorio XII. e suo fratello Filippo Correro Procuratore; e
„ disputata più ne Pregati la materia adi 22. erano ballot-
„ te 131. fu preso di dar l'ubbidienza al detto Papa Alessan-
„ dro V. il quale etiam è de nostri Cretensi, e di levare l'
„ ubbidienza del tutto che fu data a Gregorio XII. Furono
„ di questa opinione balotte *69*, di nò 48, non sincere 13.
„ sicchè di poche balotte fu preso. E fu posto d'eleggere O-
„ ratori a Papa Alessandro a Siena a dargli ubbidienza, i qua-
„ li furono Piero Arimondo, Bartholomeo Nani, Bartholo-
„ meo Donato, e . . . . . . " His tribus addit alio in loco Quartum Oratorem Franciscum de Molino.

Licet autem ex S. C. postmodum decreta fuerit obedientia Alexandro V. præstanda, multi, ut refert Raynaldus, constanter Gregorio XII. adhæserunt, ad quos confirmandos epistolam misit Gajetæ v. Idus Decembris Pontificatus sui anno V. Christi videlicet 1411.

(36) Gregorium justi rectique tenacissimum assertorem cum Divo Antonino alii multi, ut jam diximus, commendant, a recta enim muneris sui ratione nullis hominum minis, nullo vitæ suæ periculo dimoveri potuit, quod & manifesto ostendit dum Ladislaum Neapolis Regem sibi adhærentem graviter offendit, quod ei injusta petenti multa denegasset, *præsertim* (nota casum parem) *in provisione Sacerdotiorum, quæ indignis plerumque conferri volebat, elegit potius* (ut notat d' Attihy) *potentissimum ac bellicosissimum Regem, Romanæ Sedis vicinum, quo hactenus amico usus fuerat, etiam in illo ultimo, & pene conclamato rerum suarum statu sibi invisum reddere, eumque deserere, & ab illo deseri, quam conscientiam aliqua peccati labe maculare, quod profecto fuit magnæ integritatis facinus.*

(37) Peracta in conventu Pisano Alexandri V. electione, *cœ-*

 perunt

perunt paulatim Principes, & communitates obedientiam illis nempe Gregorio, & Petro de luna *auferre de territoriis suis, ut Veneti in Italia, & alii in aliis etiam regionibus, & Dominiis*. Ita S. Antoninus loco supracitato, qui paulo post subdit. *Nam Veneti, etsi distulissent subtrahere obedientiam & fidem a Gregorio, tamen celebrato concilio Pisis, & creato Alexandro, ut dicetur, cum plures reges, & principes, ac etiam oratores destinati a concilio, & Alexandro accedentes Venetias persuaderent ad obedientiam, & reverentiam exhibendam Alexandro, & non alteri, ipsi Veneti, ut viri graves in agendis, collectis quos habere potuerunt ibi, doctoribus & magistris peritis in Theologia, & jure ad tractandam materiam & indagandam, in hanc sententiam convenerunt Alexandro, ut vero & indubitato pastori Ecclesiæ fore obediendum, & eum omni reverentia habendum. Quod & fecerunt.* Id tamen absque culpa a Venetis actum esse non dubitatur, cum Doctorum argumentis ducti Alexandro obedientiam detulerint, quem Præsulum & Doctorum pars maxima venerabatur. Id cum ex animo crederent, certumque Jesu Christi Vicarium nuper electum Alexandrum putarent, tanta ei fide & firmitate adhæserunt, ut eos exilio, carcere, aliisque pœnis mulctandos decreverint, qui secus de ipsius authoritate sentirent, quas utique pœnas plurimi ultro subire non recusarunt, ne a Gregorio, quem certum Dei Pontificem agnoscebant, deficere cogerentur. Ducale Michaelis Steni diploma, ex Archivo Tarvisino depromptum exhibemus.

Nobilibus, & sapientibus viris Paulo Quirini potestati, & Capitaneo Tarvisii, & successoribus suis.

Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum.

„ Ut ea, quæ nuper deliberata sunt per nos, & Consilium „ nostrum de X. sint vobis plenissime manifesta, significamus vobis, quod 1409. Ind. 9. 26. mensis Augusti „ captum fuit per nos, & dictum Consilium nostrum de „ Decem, videlicet quod notificetur ex parte nostri Dominii,

„ minii, & Consilii de Decem Reverendis Presbyteris
„ Dominis Patriarchæ Gradensi, & Episcopo Castellano,
„ & aliis Prælatis, & Regulis Ordinum, & Conventuum
„ Venetiarum, & Clericis qualiter subtraximus obedien-
„ tiam Dom. Angelo Corrario, & dedimus obedientiam
„ nostram Papæ Alexandro electo per Consilium Pisis,
„ ut volentes tenere, & credere nobiscum in Papam Ale-
„ xandrum V. prædictum teneant, & credant. Illi autem
„ qui non crederent, & non sequerentur nobiscum, de-
„ beant penitus ire ad faciendum facta sua extra Vene-
„ tias, & non reverti Venetias, sed teneantur, & de-
„ beant recedere de Venetiis infra tres dies proximos sub
„ pœna standi duobus annis in uno carcerum inferio-
„ rum, & denuo banniantur. Et hoc toties observetur,
„ quod contra delinquentes, quoties fuerit contrafactum,
„ & scribatur Rectoribus nostris terrarum, & locorum
„ nobis subjectorum tam Levantis, quam Ponentis de ista
„ nostra deliberatione; ut similiter notificari faciant Præ-
„ latis, & Regulis, ac Clericis Ordinum, & Conventuum
„ suorum regiminum, & observetur per eos, sicut nos
„ volumus in Venetiis observari. Quare fidelitatibus ve-
„ stris scribimus, & mandamus per nos, & dictum no-
„ strum Consilium de Decem quatenus, ut dictum est,
„ in quantum ad vos spectat, debeatis observare, & face-
„ re inviolabiliter observari: facientes has nostras litteras
„ in Cancellaria nostri regiminis ad futurorum memoriam
„ registrari.

„ Datum in nostro D·· ali Palatio die 28. mensis Au-
„ gusti Ind. . . . . .

„ Nota, quod die ultimo Maii millesimo quadrigentesimo de-
„ cimo nono. Captum fuit per omnes de Consilio de De-
„ cem, quod suprascipta pars habeatur pro expirata,
„ quia suprascripti Domini Angelus Corrario, & Ale-
„ xander Quintus spiraverunt, & quod omnes, qui dicta
„ causa fuissent banniti possint venire Venetias, & ad
„ alia loca nostra.

(38) *Remansit in obedientia, & reverentia Gregorii Rex Apuliæ Ladislaus cum suis, ac etiam quædam civitates Italiæ præcipuæ, quæ erant Ecclesiæ.* Ita Divus Antoninus loco citato.

(39) Gregorio in civitate Austriæ degenti Triremes misit Ladislaus utriusque Siciliæ Rex, ut in ipsis se Cajetam recipere posset, urbem maritimam, situque munitam, & amœnam. Id cum Balthassari, ut ait Riccobona, innotuisset, in grave discrimen Pontificem adduxit; Antonius enim Patriarcha Aquilejæ Gregorio, quod eum ab Episcopatu deposuisset, infensus insidias struxit, immissisque militibus ipsum ad triremes properantem intercipere cogitavit. Cum autem vim vi repellere Gregorius non posset, *Pontificium ornatum posuit, qui vero Papali subornatus cultu* (hunc Paulum Archiepiscopum Riccobona nominat) *incedebat, ab hoste est interceptus*, sicque diremptа Pontifici *impedimenta fuere*. De hac Synodo, quam in Civitate Austriæ celebravit Gregorius, rebusque aliis ad eam attinentibus, diligentius agit Cl. Vir Bernardus Maria de Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis cap. 106.

(40) Quis fuerit ille Paulus Archiepiscopus, cuique Ecclesiæ præsideret, ignoratur; Niemius vocat ipsum Confessarium ipsius Gregorii.

(41) Gregorius Pontifex *elusis hostibus* (ita Raynaldus n. 83.) *ad triremes, quas submiserat Ladislaus Rex Siciliæ, insequentibus frustra hostibus, evasit, vectusque in Aprutium, Ortbonam primum, dein Fundos, demum Cajetam a Ladislao Rege deductus est.*

(42) Sanctus Antoninus par. III. tit. XXII. cap. V. hæc de Alexandro V. refert: *Anno uno Sedem Petri tenuit secundum communem opinionem; Tandem migravit a Sæculo* (ut dicitur) *toxicatus in Glysterio.* Mortis hujusce reum accusatum fuisse Balthassarem Cardinalem tradit Raynaldus ad annum 1410. num. VI, ubi & notat Alexandrum ipsum *in Pisanis conventibus creatum, non tam Pontificem, quam Balthassaris Cossæ, cujus opera nomen, ac insigne Pontificium acceperat, mancipium egisse.*

(43) De Balthassaris electione ita Divus Antoninus tit. XXII. cap. VI.

cap. VI. *Defuncto Alexandro Quinto Bononiæ Cardinales in conclavi adunati, ut moris est, elegerunt in Romanum Pontificem eum, qui Vualdassar (vel Baltasar) Cossa nominabatur, qui erat Cardinalis Diaconus S. Eustachii vocatus in sua obedientia Joannes XXIII. de regno Apuliæ oriundus. Vir quidem fuit in temporalibus magnus, in spiritualibus nullus omnino atque ineptus, ut scribit Leonardus Aretinus.* Vitia ejus, tyrannidem, & patrati in Alexandro V. parricidii scelus memorant acta Concilii Constantiensis, & ejus ævi historici. Non liberam fuisse, ideoque nec validam Balthassaris electionem fuisse, scribunt Adnotator ad Chron. S. Antonini, & Raynaldus ad ann. 1410. n. 19.

(44) Quomodo, seu minis, & apparatu bellico Joannis perterritus, seu spe majoris Imperii allectus a Gregorio desciverit Ladislaus, fuse narrat Raynaldus ad ann. 1412. num. II. & sequ., ubi & Niemium affert afferentem *corruptum auro fuisse Ladislaum a Balthassare, ut Gregorii partes desereret, cum ferro vinci non potuisset; O misera pecunia* exclamat Niemius, *etiam quales, ac quantos in illis partibus corrumpere, aut decipere consuevit, ut sæpe de fide ad perfidiam declinarent.*

(45) Die xv. Junii anno 1412. foedus inter Joannem, & Ladislaum Regem initum fuit, ut ex quodam ms. Veneto tradit Raynaldus, cujus conditiones refert ejusdem anni num. III.

(46) Dilectionem, qua Cives Cajetani Gregorium suosque asseclas prosequebantur, testatur ipse Niemius his verbis: *Cives autem Cajetani audientes, quod Rex ipse taliter fecerat, erant male contenti, quia dictum Dominum Angelum, tunc Gregorium suosque curiales dilexerunt, merces hujusmodi emerunt subito ad illum finem, quod sic naves illæ mercibus exoneratæ ab eisdem Dom. Angelo, tunc Gregorio, suisque curialibus conducerentur, sicuti factum fuit instanter.*

(47) De Joanne Dominici Cardinale loquitur, quem Patrem nominat, eo quia Monasterium Venetum Corporis Domini, in quo ornatissima Historica scribebat, ipse fundaverat.

(48) Legationem Germanicam Joannis Cardinalis afferunt D. An-

Antoninus, Raynaldus, & Episcopus Æduensis, quorum ultimus Joannem tradit ementito habitu indutum ad Sigismundum Romanorum Regem accessisse, eique modos, & rationes extirpandi schismatis, & quo ordine Concilium Generale celebrari posset, aperuisse, quod postea Concilium Constantiæ coactum fuit. Ex his verbis aperte arguitur, Legationem hanc, diversam omnino fuisse ab ea, quam affert Raynaldus ad annum 1414, siquidem illa Joannes Cardinalis solus ante Concilii convocationem perfunctus est, hæc vero coacto jam Concilio per Joannem ipsum, & alterum Joannem Contarenum Patriarcham Constantinopolitanum peracta fuit, ut videre est num. 1. ad ipsum annum 1414.

(49) Optimam Caroli Malatestæ fidem in tuendis Gregorii partibus affert Niemius narrans Balthassarem *Carolo suisque miranda* promisisse, *si ipsum Balthassarem pro Papa tenere, eique fideliter adhærere vellet, ad quod dictus Dominus Carolus flecti non potuit*, asserens, quod licet eum alias *dilexisset, & pro posse juvasset, verumtamen ipsum pro Papa non teneret*.

(50) *Promptam, & inestinguibilem devotionem* Caroli de Malatestis, a quo summis honoribus fuit exceptus, laudat Gregorius XII. in diplomate Arimini dato IX. Kal. Aprilis Pontificatus sui anno V. Christi nempe 1412, in quo de Ladislai perfidia, deque sibi paratis insidiis conqueritur, ut videre est apud Raynaldum ad ann. 1412. n. 4.

(51) Gregorii fugam, omissis circumstantiis a Riccobona allatis, enuntiat Raynaldus loco citato his verbis: *Coactus itaque est Gregorius Cajeta in fugam se convertere, ac una cum Cardinalibus Barbarico, ac nepotibus Corrario, & Condulmerio, qui postea Pontifex creatus Eugenius IV. appellatus est, cum undique ab æmulo Joanne ad eum intercipiendum insidiæ paratæ essent, Venetorum mercatorum navibus in Cajetano portu conscensis per inferum ac superum mare magnis hostium, & Piratarum circumfusus periculis in Dalmatiam trajecit, indeque unius diei spatio sulcato mari Adriatico, Ariminum appulit, ubi summis honoribus exceptus est.*

(52) Quo consilio Joannes Constantiam ingressus fuerit narrat

rat Niemius: *Intravit* (Joannes) *Constantiam anno Domini* 1414. *credidit tamen Constantiæ per aliquot menses remanere, & ibi rebus pro velle suo dispositis, subito ad Bononiam redire, & illic more solito dominari. In quo tamen eum fefellit opinio: sed sperabat permaxime in pecuniis & thesauris, quibus dicebatur abundare, credensque per illos, & alios modos suos subtiles satis mundo cognitos, quos vellet in Germania corrumpere, seu ad consentiendum sibi in omnibus, & per omnia inducere posset. Sed Domino disponente, dum firmius stare absque impedimento crederet, cecidit in ærumnam, & inextricabilem laborem:* Quomodo autem dolose abdicationem juraverit, narrat Raynaldus ad annum 1415. num. 2.

(53) *Authoritatem attribuit Gregorius XII. solemnibus Episcoporum conventibus Constantiæ habitis, & a Sigismundo Romanorum Rege congregatis*, misso de hac re III. Idus Martii anno 1415. ad internuntios suos diplomate, quod affert Raynaldus ad ann. 1415. num. 1. deinde VI. Idus ejusdem mensis Martii, Carolo Malatestæ potestatem fecit, *ut in concilio ipsius nomine Pontificatum poneret*. Ex hoc Apostolico, ut cum Æduensi loquar, immo angelico, & plusquam humano facinore periere artes Joannis, quibus dimittere Concilium non perfecta Ecclesiarum conjunctione adnitebatur. De dolosis Joannis artibus lege Raynaldum loco citato.

(54) Cum Joanne Dominici Cardinale Greg. XII. legato accessit ad Concilium Constantiense alter quoque Joannes ex Contarena gente Venetus Patriarcha Constantinopolitanus ejusdem Gregorii pariter Legatus.

(55) Num perierit hocce Thomæ Thomasini opus, an adhuc pugnet cum tineis, & blattis in alicujus Bibliothecæ forulo, mihi incompertum.

(56) Die Mercurii, ut inquiunt Acta Constantiensis Concilii XX. *Martii* Joannes *de nocte recessit, aut verius fugit de civitate Constantiensi in habitu simulato rustici, & ivit usque Scapbusen Constantiensis Diœcesis prope Constantiam ad quatuor milliaria theutonicalia ad terram Frederici Ducis Austriæ.*

(57) Retentum a Frederico Austriæ Duce Joannem, dum fu-

ga dilaberetur, narrat S. Antoninus: *Joannes Pontifex Burgundiam petere festinans jussu Friderici Ducis Austriæ prædicti per viam retentus Imperatori traditur. Timuit enim magnitudinem rei Fridericus: præsertim cum per id factum Imperatorem simul, & concilium in suam ruinam provocasset. Itaque ex protectore proditor factus, vel potius ex malo promisso fidem rescindens & pœnitens, reducere illum ac tradere constituit.* Fusius rem tractat Raynaldus ad annum 1415. acta Concilii referens, quæ Joannem simoniaca labe, gravibusque aliis sceleribus pollutum notant.

(58) Concilium Constantiense Joannis demissione delinitum, sententiæ, quam ferre meditabatur, acerbitatem mitigavit, eumque Papalibus titulo, & ornamentis spoliatum carceri condemnavit, aliis pœnis arbitrio ipsius Concilii reservatis. Consule laudatum Raynaldum anno 1415. n. 23, qui ibidem notat ex hac sententia manifesto evinci Joannem non fuisse verum Pontificem, sed Gregorium, *cum Ecclesia Catholica semper tenuerit primam Sedem a nemine judicari posse, Romanosque Pontifices solius Dei judicio reservatos,*

(59) Balthassar a Sigismundo Rege traditus est Ludovico Comiti Palatino Rheni, a quo in munitam aliam arcem traductus est; ibique, ut testatur Niemius, benigne, & honeste in loco spatioso, & delectabili pertractatus.

(60) Damnato Balthassare, Joannes Dominici inter Cardinales collocatus est, mox Carolus Malatesta Gregorii XII. Pontificis nomine Pontificatui solemni modo renuntiavit. Gregorii abdicationem admisit cum laude Concilium, post quam consultum fuit a Synodo Constantiensi (ita Raynaldus) Gregorii dignitati, Cardinalitium enim illi servatum munus addita Picena Legatione exornarunt die xv. Julii, ut refert S. Antoninus: *Patres, venerandum illum, & omni laude dignissimum antiquum dierum ex Gregorio ad Angelum primum nomen suum reversum Legatum instituerunt, in Picentibus consistentem.* Gregorius itaque cum intellexisset cessionem sui Papatus publice factam, convocatis Cardinalibus, Prælatis, & Clero sibi adhærentibus, in publico consistorio *gaudenter, & sponte,*

sponte, ut testantur, acta Concilii Constantiensis, approbavit, laudavit, & confirmavit omnia, atque illico *insignia Papalia deposuit cum solemni protestatione, quod illa nunquam resumere vellet, immo omni modo, quo posset, procurare intenderet, quod præfata unio fieret in Ecclesia universali. Hoc ille facto eximio* (sequitur Raynaldus) *calumnias sibi aspersas detersit*.

(61) In Sessione XIV. Concilii Constantiensis cum lectæ fuissent Gregorii XII. litteræ, quibus Generale Concilium Constantiense in Christi nomine congregabat, Joannes Dominici Cardinalis Ragusinus cæterorum osculo & amplexu exceptus, inter Franciscum Venetum, & Antonium Aquilejensem Presbyteros Cardinales collocatus est.

(62) Martinus V. prius Otho vocatus, ex Familia Columnensium sedit in Sede Petri, ut verus, unicus, & indubitatus Pastor Ecclesiæ anno Domini 1417. die XI. Decembris.

(63) Anno 1417. die 18. Octobris obiit Recineti in sua Legatione Angelus Corrario olim Gregorius XII, qui Recineti sepultus fuit.

(64) Ex his Riccobonæ verbis patet allatas hujusce enarrationis circumstantias a Joanne Dominici Cardinale eam accepisse.

(65) Paulo ante Martini creationem mortuus est Gregorius XII. non dolore animi propter ablationem Pontificatus, ut inique refert Platina, sed potius ex grandi ætate; obiit enim octogenarius, vel ut aliqui volunt nonagenarius, Sextodecimo mense post abdicatum Pontificatum.

(66) Die XVIII. Octobris obiit Gregorius, die autem XI. Novembris electus fuit, ut diximus, Martinus V. Hæ autem chronicæ dierum notæ inter se distant XXIV. diebus.

(67) Nota eminens piæ Virginis ingenium.

(68) Utinam & pro nobis.

Accuratam hanc rerum gestarum seriem, Deo potissimum excitante, ab ornatissima Virgine ideo concinnatam fuisse autumo, ut calumniæ in optimum Pontificem ingestæ simplicis enarrationis sinceritate retunderentur. Cum enim Scriptorum Gregorio adversantium malignitas in hoc collineet, ut timora-

tum Dei Pontificem reum perjurii ostendat, crimen hoc, cujus Gregorium insontem fuisse satis ostendit Divus Antoninus, magis etiam ex accurata hujusce Virginis enarratione propulsatur; siquidem cum Gregorius jurasset (ut ex ipsius Epistolis vidimus) se insignia Papalia depositurum, si idipsum ageret Pseudopontifex, nullumque se, durante unionis tractatu, per xv. menses Cardinalem fore creaturum, profecto abdicationis casus ex Petri de Luna pervicacia nunquam adfuit, neque Gregorius statuto tempore Cardinales instituit, quos enuntiatos novimus evoluto xv. mensium spatio, solutoque omnis unionis tractatu, ut fuse differunt Raynaldus, & Episcopus Æduensis, doctissimi veritatis assertores.

Gregorium quoque elogiis cumulant Scriptores celeberrimi Blondus enim in VIII. Italiæ regione, Gregorium vocat *virum morum, & vitæ sanctimonia celebrem*, Leonardus Aretinus in epistola ad Franciscum Cortonensium Principem eum *virum* dicit *prisca severitate, & sanctimonia reverendum*. Historia Concilii Constantiensis *virum bonum, & pium*, Sanderus in opere de visibili Monarchia *sanctissimum, & unionis Ecclesiasticæ amantissimum*, Author Indicis rerum ab Arragoniæ regibus gestarum, quamvis Benedicto adhærentibus Gregorium nostrum appellat *virum insigni doctrina, & religione venerandum, optimum, & selectissimum a Cardinalibus* judicatum. Multa deinde Scriptorum testimonia, & elogia ad Gregorii gloriam affert Clar. Vir Andreas Victorellus in annotationibus ad Ciaconium, quorum sententiæ ipse quoque libenter obsequitur.

Novissimum Gregorii Innocentiæ testimonium perhibuit mirabilis ejus corporis integritas, quæ anno MDCXXII. patefacta est, detecto ejus sarcophago; venerabile enim cadaver elapsis a depositione ejus ducentis, & amplius annis integrum adeo, & incorruptum in carne, & vestibus repertum est, ac si recens in tumulo depositum fuisset. Id Joanni Theupulo Patriarchæ Venetiarum denuntiarunt Canonici Cathedralis Recinatensis per epistolas lætitiæ, & devotionis sensibus referentes, quas die XXIII. Julii anno eodem MDCXXII. datas ad plenius piissimi Pontificis decus exhibemus:

Illu-

Illustriss. e Reverendiss. Sig. Nostro Colendiss.

„ Sarà avviso molto bene proportionato alla pietà di V. S.
„ Illustriss. quello, che siamo per darle hora con la presente
„ lettera scritta con nostra universale allegrezza, compiaciasi
„ però ella di riceverlo anco, come tributo della nostra de-
„ votione, e prendasi questo poco incommodo di leggere il
„ seguente successo. A man sinistra della Porta principale di
„ questa Cathedrale stava collocato in alto un deposito d'An-
„ gelo Corraro S. M., che fu creato Pontefice, e nominato
„ Gregorio Decimosecondo con l'Epitaffio, di cui V. S. Il-
„ lustriss. riceverà copia in piedi di questa, e parendo al Sig.
„ Cardinale Roma nostro Vescovo, (Julius Roma Mediola-
„ nensis), che fosse conveniente di ponerlo in luogo più de-
„ cente, ornandolo in modo, che si ponesse nella dovuta Pon-
„ tificale veneratione, fece scoprire il suo corpo, il qual sen-
„ do stato trovato intiero con tutte le membra, e vestimen-
„ ta intatte, come se fosse stato sepellito ora, ancorchè dal-
„ la medesima inscrittione apparisca esser decorsi dal giorno
„ della sua morte fin'ora duecento cinque anni, ha data occa-
„ sione al Popolo di formare concetto della Santità di questo
„ Pontefice, e di concorrere con frequenza, e devotione a ri-
„ verirlo a segno tale, che non mancorno alcuni di levarne
„ reliquie per conservarle, e se non si prendeva partito di
„ chiuderlo in una Cassa, dove starà finchè si riponga al suo
„ destinato luogo, non v'era forsi altro ripiego da preservar-
„ lo dalla devota avidità de Concorrenti. Il Cadavero è bel-
„ lissimo, & ha guasto solo il mento, cosa, che eccede assai
„ la forza della natura, e dell'arte, sicchè venendo il tutto
„ attribuito ad attione miracolosa d'Iddio benedetto, si può
„ sperare, che ne segua anco accrescimento all'honore di Sua
„ Divina Maestà con il mezzo di questo suo servo. In tan-
„ to per ordine espresso del Signor Cardinale Roma non si
„ defrauderà il suo corpo delli dovuti honori in particolare
„ d'un solenne mortorio da celebrarsi subito, che sarà posto
„ nel luogo destinatogli, & altre demostrationi, che si verra-
„ no somministrate dalla nostra obbligatione verso queste sant'
„ ossa. Se paresse a V. S. Illustriss. di communicare il tutto

a Sua

„ a Sua Serenità, & a coteſti altri Signori Eccellentiſſimi ſti-
„ mareſſimo, che l'aviſo, le fuſſe ſtato tanto più grato, e con
„ la dovuta humiltà le faciamo riverenza.
„ Di Recanati li 23. Luglio 1622.

„ Di V. S. Illuſtriſs. e Reverendiſs.

„ Maximus Eccleſiæ Princeps, ſummusque Monarca
„ Ordine Gregorius biſſenus clauditur Arca
„ Hic pro Pace datus cœleſti numine ſemper
„ Ferbuit æthereos ſuperius unire decenter
„ Aſt bis Schisma malum, facta hæc dementia Piſis
„ Ipſe prius revelat pura eſt conſtantia Teſtis
„ Cardine bis Sacro Paſtoris conſcia Sede
„ Marchia ſuſcipit Recanati flucius æde.
„ Sub Anno Domini MCCCCXVII.

„ Humiliſs. Serv.
„ Il Capitolo della Cathedrale.

XLV. Joannes Lauretano Primicerius S. Marci, in locum Angeli Corrario ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum evecti Epiſcopus Caſtellanus electus fuit anno MCCCXC, quo etiam anno die XIII. Auguſti Bonifacius IX. Caſtellanam Sancti Petri Eccleſiam Indulgentiarum muneribus ornavit (T). Nondum inita Veneti Epiſcopatus poſſeſſione, Joannes ad Juſtinopolitanam Eccleſiam translatus fuit, cujus quidem Epiſcopus Ludovicus Maurocenus ad Mothonenſem tranſierat, eodem tempore, quo Franciſcus Faletrus Mothonenſis Epiſcopus Caſtellanæ Sedi in locum Joannis decedentis adlectus fuit.

XLVI. Franciſcus Faletro Mothonenſis Epiſcopus anno 1390. patriæ ſedi præficitur. Poſſeſſionem iniit die VI. Auguſti inſequentis anni, cum prius Venetias menſe Julio ejusdem anni acceſſiſſet, ut ex Diariis Monaſterii Servorum addiſcimus, in quibus hæc habentur:

1391 *Luglio* 3. *Item adi dito die a uno de una plata a quatro homeni, che ne mena incontra miſſier lo Veſchovo, quando lui vene in queſta terra* l. IIII. ſol. IIII.

X. *detto*. *Item adi dito die al barcarol, che porta i Frati a*

far

far la cholacion a mis. lo Vescovo, (1) *e fo quando lui vene da nuovo in questa terra* sol. III. p. IIII.

Agosto adi VI. *diè al barcharuol, che mena i Frati a Chastello alla Messa de mis. lo Veschovo* sol. VI.

Decessit die XXVII. Martii anno MCCCXCII., de cujus funere hæc in Diariis Servorum.

1392. *Marzo adi* XXVIII. *Recevi de una Sepoltura e fo mis. lo Vescovo di Cha Falier* l. II.

Franciscum adscribit Minoritarum Præsulum catalogo Wading. ad annum 1390, cujus tamen rei nullum reperire datur documentum.

XLVII. Leonardus Delphinus Venetus Patritius. Hujus nominis alter enuntiatur Civitatis Novæ in æstuariis Episcopus Ital. Sac. Tom. X, qui Petro Fanensi in ea Ecclesia suffectus dicitur anno 1380, & successorem habuit, Gilbertum Georgium anno 1388; ex quo propterea reor alium esse ab eo, qui quatuor exinde annis Castellanæ Ecclesiæ præfectus fuit, verisimile enim non est, eum priorem Ecclesiam dimisisse, nisi ad alteram translatus esset.

Leonardus itaque Castellanæ Ecclesiæ adligitur anno 1392. die 29. Aprilis, quam deinde administrandam suscepit mense Novembris ejusdem anni, de ejus enim adventu hæc habentur in sæpecitatis Servorum Diariis, quæ & Concilium innuunt a Leonardo convocatum anno 1396, cui utriusque Cleri viri interfuerunt:

1392. *Nov.* X. *diè al Barcharuol quando se andè contra de mis. lo Veschovo da Cha Dolfin* sol. VIII.

Adi XV. *detto diè al Barcharuol che menò i Frati a Chastello, a vixitar mis. lo Veschovo* sol. VIII.

1396. *Maii die* V. *Item dedi eo die in una barca, quæ conduduxit Fratres ad Episcopum pro quodam Concilio sive congregatione ibi facta* sol. VI.

Vetu-

(1) Cholacion Latine collatio intelligitur Oratio Panegirica, quæ habebatur in adventu, seu alia solemnitate Episcopi, vel alterius illustris viri, cujus specimen exhibuit Thomas Antonius de Senis in suo Tractatu Tom. VII, dum collationem refert factam Petro Philargi Cardinali, qui Venetiis accesserat Legatus Pontificius. Aliam mox enuntiabimus collationem factam a Leonardo Delphino Patriarcha Alexandrino in coronatione Michaelis Steni Ducis.

Vetustus codex in Murianensis S. Michaelis Bibliotheca asservatus orationem exhibet a Leonardo in coronatione Michaelis Steni Ducis Venetiarum prolatam, ad cujus calcem hæc verba apposita leguntur: *Collatio facta per Reverendissimum in Christo Patrem, & Dominum Dom. Leonardum Delphino Dei gratia Episcopum Castellanum, nunc eadem Sedis gratia Sanctæ Sedis Alexandrinæ Patriarcham*. Porro assumptus ad Ducale fastigium fuit Michael die 1. Decembris anno 1400, ejus tamen coronatio dilata est, usque ad diem IX. mensis insequentis.

Castellanam Ecclesiam novennio administravit Leonardus, anno enim MCCCCI. ad Patriarchalem Sedem Alexandrinam a Bonifacio IX. translatus fuit. Extant in Archivo SS. Joannis & Pauli Episcopales Leonardi Delphino litteræ viris, & mulieribus de Pœnitentia S. Dominici ex Episcopali Castellano Palatio datæ die VI. Junii anno 1401, in quibus se Episcopum Castellanum nominat, easque retulimus operis hujus Tom. VII. pag. 16; Pagina autem 17. ejusdem Tomi epistolas Francisci Bembi ejus successoris exhibuimus die XVI. Octobris ejusdem anni in dicto Palatios datas, in quibus Leonardum Delphinum prædecessorem suum nominat Patriarcham Alexandrinum.

Ad hanc autem Titularis Patriarchatus Sedem translatus fuit Leonardus, id enixe apud Bonifacium IX. postulante Senatu, ob eas potissimum causas, quæ ex sequenti documento innotescunt,

MCCCCI. *Die* IX. *Junii Indict.* IX.

„ Postquam ex divina impetratione processit, quod Serenissimus Dominus Dominus Michael Steno apicem Ducatus Venetiarum attingeret, ipse circa Reipublicæ curas juxta naturales, & continuos mores ejus vigili meditatione propensaque animum excitavit, ut in his, quæ ad bonum statum patriæ, & conservationem jurisdictionum honorificentiarum regaliarum, & cunctarum aliarum rerum ad Ducatum spectantium, & pertinentium ferventius, ne contra ea fieret, insudaret. Hoc autem mente revolvens cognito Reverendum Patrem Dominum Leonardum Delphino, tunc Episcopum Castellanum investitionem bonorum tempora-

„ poralium sui Episcopatus ab inclito Duce debere suscipere
„ sicut, & Patriarchæ, Episcopi, Abbates, & Abbatissæ Du-
„ catus Venetiarum sunt per continuata tempora suscipere con-
„ sueti, & in præsenti humiliter susceperunt, & suscipiunt,
„ præfatus Illustriss. Princeps Dom. Dux benigne præfatum Do-
„ minum, tunc Episcopum Castellanum personaliter sæpius
„ requisivit, ut secundum quod debitum erat ei, deberet di-
„ ctam investitionem suscipere, quo vehementer, & sæpius
„ recusante supplicatum extitit Summo Pontifici, prout per
„ solemnia Venetiarum consilia terminatum fuerat, quod di-
„ gnaretur ejus Sanctitas præfactum Dominum, tunc Episco-
„ pum Castellanum ad aliud transferre, & de alia notabili
„ persona Veneta ad jamdictum Episcopatum Castellanum be-
„ nignius providere, ipse enim Summus Pontifex supplicatio-
„ nes ipsius Incliti Domini Ducis expositas, & porrectas per
„ Notarium circumspectum prælibati Domini Ducis jamdicta
„ de causa ad pedes Apostolicos destinatum, clementer admi-
„ sit transferres præfatum Reverendum Patrem ad Patriarcha-
„ tum Alexandrinum, & Reverendum Patrem Dom. Franci-
„ scum Bembo Primicerium Ecclesiæ, seu Capellæ S. Marci
„ ad Episcopatum Ecclesiæ Castellanæ promovit.

Cum vero paulo post ejusdem Bonifacii Decreto Joannes Bono Prior S. Salvatoris de Venetiis ad Ecclesiam Æmoniensem translatus fuisset, Pontifex Prioratum ex ea electione vacantem Leonardo Delphino in Patriarcham Alexandrinum recens electo contulit, id Reipublicæ Venetæ gratum fore confidens. At ubi id Senatui displicuisse per publicas Michaelis Steni Ducis epistolas accepit, *promotionem, & commendam esse nullas, nulliusque existere roboris, vel momenti* declaravit, datis ipso Michaeli Steno Duci Apostolicis litteris die VIII. Novembris MCCCCI. Aliud deinde diploma misit Bonifacius Pontifex die 22. Februarii anni insequentis ipsi Joanni Priori, quo ipsum in suo Prioratu restituit, vel potius confirmavit, & commendatarium Prioratus titulum Leonardo Patriarchæ concessum sua Apostolica authoritate rescidit. Non diu post, anno scilicet MCCCCV. die ultima Julii recensetur Leonardus Delphino Patriarcha Alexandrinus inter eos, qui *ad probam Episcopatus Veronensis* tunc vacantis nominati fuerunt, quem tamen collatis P. C. suffragiis obtinuit Angelus Barbadico

Gregorii XII. ex Sorore Nepos. Venetiis degisse Leonardum post dimissam Castellanam Ecclesiam ex quodam Indulgentiæ Diplomate arguitur, cui se subscripsit. Anno tandem 1408. Veneto Senatu postulante Archiepiscopali Cretensi Ecclesiæ præficitur, in qua & supremum diem obiit anno 1415. De eo Tom. VII. pag. 155.

XLVIII. Franciscus Bembus, de quo jam diximus inter Ducalis Basilicæ S. Marci Primicerios, ad Castellanam Sedem provehitur anno 1401. die 27. Julii. De ipsius Episcopatus *bonis temporalibus in Ducatu Venetiarum existentibus* eum deinde *investivit* Michael Steno Dux Venetiarum die 14. Septembris, ut patet ex publico regesto, in quo hæc leguntur:

1401. 14. *Septembris Indictione Decima.*

„ Reverendus Pater Dominus Franciscus Bembo Dei, & „ Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Castellanus personaliter „ ad Ecclesiam Sancti Marci se contulit, & fuit in missis „ cum Illustrissimo Domino Domino Michaele Steno Dei gra- „ tia Inclito Duce Venetiarum, &c. & completo Credo in „ unum Deum, accessit idem Dominus Episcopus cum vene- „ rabile Domino Viro Joanne Lauretano Primicerio, & ali- „ quibus ex Capellanis dictæ Ecclesiæ, seu Capellæ Sancti „ Marci ad Altare Sancti Marci, & ibi stante genuflexo dicto „ Domino Episcopo. Idem Dominus Primicerius dixit aliqua „ verba, quæ in effectu fuerunt, & ipse Primicerius Nomi- „ ne, & pro parte præfati Domini Ducis acceptabat ipsum „ Dominum Episcopum ad Episcopatum Castellanum, & de- „ inde cantacto Te Deum Laudamus per ipsos Dominum E- „ piscopum, Primicerium, & Capellanos, & dicta Oratione „ Spiritus Sancti per Primicerium suprascriptum, idem Do- „ minus Episcopus cum prædictis Primicerio, & Capellanis „ accessit ad præsentiam præfati Domini Ducis, qui cum uno „ annulo ligato cum una cordula rubea sirici præsentibus, ex „ nobilibus Venetiarum in numero copioso investivit ipsum „ Dominum Episcopum de bonis temporalibus existentibus „ in Ducatu Venetiarum præfato Episcopo, & Episcopatui suo „ spectantibus, & pertinentibus prout est in similibus fieri con-

„ consuetum, quibus sic solemniter peractis ad finem Missæ
„ processum est.

His concordant ea, quæ in Diariis Monasterii Servorum exarata inveniuntur.

1401. 16. *Septemb. in duabus barchis quum ivimus visitatum Dominum Episcopum* sol. XIIII.

Item pro pietanzia Prioris (Aloysii Bollani), *qui fecit collationem Domino Episcopo* sol. x.

Egregiam viri religionem testantur epistolæ, quas ad promovendam confirmationem Ordinis de Pœnitentia S. Dominici ad Cosmatum Cardinalem, & alios scripsit, quas videre est Operis hujus Tom. VII. in Tractatu Thomæ Antonii de Senis ibidem edito. Francisco. Epistolas misit anno 1407. Gregorius XII, quibus statuit, *ut Clerici infra ordinem Subdiaconatus existentes, ac sine habitu, & tonsura tempore criminis incedentes, sint omnino clericali privilegio privati, ac sæculari foro subjecti*. Pontificium Diploma ex Patriarchali Tabulario deprompptum in Italia Sacra exhibetur Tom. V. col. 1287. Anno 1416. Pontificatus sui XV. mortalitatem exuit, eximia animi pietate, quam prius vivens coluit, ad extremum usque servata, ut innuit emortualis epigraphe sepulcro ipsius insculpta.

„ Quantos Bemba viros pariat generosa propago.
„ Hic Franciscus erit ventura in sæcula testis.
„ Qui pietate sacris imbutus legibus, annos
„ Quindenos Venetæ divinus Episcopus, Urbi
„ Præfuit exemplar fidei, præceptor honesti:
„ Tum Christo moriens, Pater optimus omnia legat.

Hæc de Francisco Bembo profert Angelus Maria in Collectaneis. " Franciscus Bembus Primicerius S. Marci construxit
„ altare S. Andreæ Apostoli cum marmoreo sepulchro in pa-
„ riete posito prope januam sacrarii. Obiit die 6. Septembr.
„ 1416. Hic vir pro Senatu Veneto plurimum in Anglia, &
„ alibi exercuit Legationum.

Altare S. Andreæ renovata deinde Ecclesia fortasse dirutum, sublatumque fuit, de assertis vero legationibus fides est penes authorem.

Cum vero circa ea tempora Gregorius XII. in Constantiensi

Synodo Pontificatui renuntiasset, atque Ecclesia Romana Pastore destituta esset, ipsa quoque Venetiarum civitas Episcopo viduata remansit ad electionem usque Martini V.

XLIX. Marcus Lando, Francisci Lando Cardinalis nepos, a Tossiniano, & Wading. facile coetui Minoritarum adscriptus, ad Castellanam Sedem evehitur anno 1417. die 1. Decembris, ut notat Ughellus. Dissentit Angelus Maria in Collectaneis, qui Marcum Lando Episcopum Venetiarum floruisse asserit *anno 1416. mense Januario die 24. Indict.* IV, cujus quidem Scriptoris asserta minus sibi consona noscuntur, sicuti annus & Indictio Marco Episcopo appositæ manifeste ostendunt, annus enim 1416. Romano more consideratus, Indictione IX. signatur, si autem Veneto more computetur Indictioni X. est alligandus. Quod autem ad Marci Episcopi electionem spectat, fortasse S.C. suffragiis ad Castellanum Episcopatum adlectus fuit mense Januario anni 1417, cujus confirmationem mense Decembri suscepit ab electo nuper Summo Pontifice Martino V. Ecclesiæ sibi commissæ administrationem anno insequenti 1418. inniit, cujus anni mense Decembris Venetias adventasse novimus ex sæpiusallatis Diariis Monasterii Servorum.

1418. *Decembr.* 18. *Quum ivimus obviam Domino Episcopo Venetiarum* l. 1. fol. VIII.

- - - - - 19. *Quum Fratres iverunt salutatum dictum Dominum Episcopum in barchis* fol. XV.

Antequam Venetias accederet, Senatus Venetus Decretum tulerat die 14. Martii an. 1418, quo æqua Decimarum emortualium divisio statuebatur. Ecclesiæ Cathedralis tectum magna ex parte propriis sumptibus restituisse, & Sacellum Omnium Sanctorum in ea erexisse, atque alia ad utilitatem, & decus ipsius Ecclesiæ ordinasse testis est Angelus Maria in Collectaneis. Sacellum illud *sub vocabulo Omnium Sanctorum juxta Ecclesiam Castellanam* fundatum, Indulgentiarum thesauris ditavit Martinus Papa V. dato Romæ diplomate die 8. Februarii anno MCCCCXXIV. (V). Marci obitum perperam alligat Angelus Maria ad annum MCCCCXXVII, siquidem certum compertumque est laudatum Præsulem decessisse Mense Januario anno MCCCCXXV, Veneto tamen more computato, qui Christi est annus MCCCCXXVI. Annum 1425. signat sepulcralis

ejus

ejus Epigraphe, quam more Veneto considerandum testantur diaria Monasterii Veneti S. Mariæ Servorum. Epigraphen, & fragmentum ex Diariis excerptum exhibemus.

„ Præsulis hoc Marci tenebroso clausa sepulchro.
„ Ossa jacent, quem Landa domus generosa creavit.
„ Mente senex, ætate virens conpescuit acri
„ Errantem Clerum studio, quæ mille laborum
„ Causa fuit, verum metuendi nulla pericli
„ Tempestas, aut vanus honor, non ulla potestas,
„ Hunc a justitiæ potuit divertere cursu,
„ Ecclesiæ sic jura suæ protexit, & auxit.
„ Quod mortale fuit morbo correptus in Urbe
„ Exuit, æthereas petiit pars cœlica sedes.
„ Obiit anno Domini Mccccxxv.

1425. *M. V. Januar. 25. In barcis, quæ conduxerunt Fratres ad faciendum obsequium Domini Episcopi* l. 1. sol. v.

L. Petrus Donatus Archiepiscopus Cretensis ad Castellanam Sedem deducitur die 12. Februarii anno 1426, cujus Ecclesiæ vix inita possessione *tres Judices super Decimis exigendis* constituit, videlicet Marcum Tajapetram Plebanum S. Joannis Chrysostomi, Marcum Viginei Archipresbyterum Castellanum, atque Antonium Pellacanum Primicerium Castellanum. Vir sui sæculi juris Civilis, & Canonici doctissimus post expletos in Castellano Episcopatu duos annos ad Patavinas infulas translatus fuit anno 1428, cujus laudes affert Ughellus tum in Venetis, tum in Patavinis.

LI. Franciscus Maripetrus Decretorum Doctor, Archiepiscopus Spalatensis, atque S. Cypriani de Muriano Abbas Commendatarius, Venetæ Ecclesiæ præfectus fuit anno 1428. die sextadecima Julii, cujus tamen possessionem iniit mense Jan. anni insequentis 1429, ut patet ex Diariis S. M. Servorum.

1429. 28. *Jan. In una barca, quæ conduxit Fratres causa visitandi Dominum Episcopum* sol. VIII.

Magistro Andreæ Trivisano, qui fecit sermonem ad Dominum Episcopum noviter electum l. 1.

Nomina Genitorum Francisci Episcopi ex rogitis addiscimus Petri Griffonii Notarii Veneti, qui anno 1428. exeunte

Testa-

Testamentum rogavit Catherucia relicta Viri Nobilis Francisci Maripetri, in quo quidem Testamento inter cætera hæc leguntur: " Lasso mio fedel Commissario el Reverendissimo Pa-
" dre Mis. Francesco Malipiero al presente Vescovo de Ve-
" nexia mio diletto Fiolo.

Eo Episcopatum administrante Eugenius Papa IV. Sanctimonialibus Castellanæ, Clugiensis, ac Torcellanæ Dioecesum *sub clausura perpetua, & regulari observantia degentibus, ac Ecclesiam Sancti Marci, in festivitate Ascensionis Dominicæ visitare cupientibus* omnes, & singulas Indulgentias concessit, anno 1432. die 15. Septembris, quas prædecessores sui visitantibus rite Ecclesiam prædictam in solemnitate Ascensionis elargiti fuerant (X). Quinto sui Præsulatus anno nondum expleto Christi videlicet 1433. die XI. Maii (ita ex mox enuntiandis Eugenii IV. Epistolis emendandæ veniunt Chronicæ translationis notæ in Italia Sacra signatæ) Franciscus ad Vicentinam Ecclesiam translatus fuit, cui præfuit usque ad emortualem ejus annum 1451.

LII. Laurentius Bernardo Justiniano, & Quirina piis parentibus Venetiis ortus, adolescens patre orbatus sub Quirinæ Matris sanctissima disciplina tantum in pietate profecit, quantum ejus postea sanctitas declaravit. Utriusque parentis elogium texuit Joannes Baptista Egnatius lib. IV. tit. de amore conjugali, & lib. V. cap. IV. Ex Beati Nicolai, cujus laudes dedimus Tom. IX. pag. 61. sanguine progenitus Laurentius, quanta futurus esset sanctitate conspicuus non obscuris præsignificavit inditiis, seque magnum Dei Servum futurum Quirinæ Matri vaticinatus est.

Annum agens undevigesimum a Divina Sapientia sibi apparente præventus ad Marinum Quirinum matris suæ consobrinum, qui nuper cum aliis piis viris Congregationis S. Georgii in Alga fundamenta jecerat, se contulit, cumque ei celestes cum Divina Sapientia pactas nuptias ex fide retulisset, in Canonicorum suæ Congregationis numerum adscribi postulavit. Voti compos factus primum sibi certamen in ipso religiosæ vitæ tyrocinio, cum corporeis illecebris instituit, constanti adeo fervore, ut nec æstivos ardores aqua frigida temperare, neque summa hyeme (quamvis secus suaderet corporis imbecillitas) ad ignem unquam accedere visus sit. Jugi orationis virtutumque

omnium

omnium exercitio, & morum suavitate, Deo & hominibus charus Cœnobio S. Georgii, & universæ Congregationis (ut diximus Operis hujus Tom. VI. ad Monasterium S. Georgii in Alga) non semel præfuit. Ejus virtutes, & cœlestem sapientiam cum perspectas haberet Eugenius IV, qui in ipsa Canonicorum Congregatione diu vixerat, eum (translato prius, ut diximus, ad Vicentinam Ecclesiam Francisco Maripetro Episcopo Castellano) patriæ Sedi præficere statuit, quod tamen Pontificis consilium omni studio evertere nisus est humilitati addictissimus Laurentius, gravesque epistolas Eugenio dedit, quibus animi sui mœrorem indicans Pontificem enixe obtestabatur, ut munus viribus suis impar a se averteret, aliumque majoris virtutis virum sibi præferre cogitaret. Ea tamen humilitate, iisque dictis, quibus putavit Laurentius voluntatem Pontificis alio posse transferri, Eugenius vel maxime excitatus est, ut Justinianum ex insita animi virtute reluctantem per obedientiæ præceptum ad Episcopale onus subeundum compelleret.

Litteras Laurentii, & Canonicorum S. Georgii, qui Eugenium Pontificem cum lacrymis obsecrabantur, ne sibi dulcissimum patrem eriperet, easque, quas Laurentio ipsi, & suis Canonicis rescripsit Eugenius, ex integro afferuntur in novissima Editione Operum Divi Laurentii anno MDCCLI. Venetis vulgata, in qua & ipsius vita a Bernardo Justiniano concinnata, atque eruditis notis ex Bollandiano opere, aliisque additionibus illustrata legitur. Electioni igitur de se factæ per Eugenii Papæ Epistolas die XI. Maii anno 1433. ex obedientia coactus assensit Laurentius, suisque Canonicis de ejus discessu lacrymantibus valere jussis, Pontificatum iniit tanta moderatione, ut omni pompa, & comitatu rejectis, fratres etiam germanos adesse noluerit. Corrigenda hoc loco est Chronica nota anni 1432, quam Ughellus electioni Divi Laurentii assignat, cum enim Eugenius ad Pontificatum evectus anno 1431. die 3. Martii Epistolam electionis dederit Pontificatus sui anno tertio, profecto Divi Laurentii Episcopatus ab anno 1433. exordia sumpsit, hoc & ex Diariis Monasterii Servorum confirmatur, in quibus hæc scripta legimus.

1433. *Septembris* 18. *Dedi uni barcbarolo, qui duxit Reverendos Patres Conventus ad visitandum Dominum Episcopum in*

sua

ſua creatione prima fol. VIII. Preærat autem eo temporis Monaſterio Servorum Stephanus Birellus, qui poſtea Archiepiſcopus Dyrachienſis evaſit.

Eximias virtutes, & cœleſtem prudentiam, quibus Sanctiſſimus Præſul in Epiſcopatu effulſit, & coruſca miracula, quibus ſervi ſui merita teſtatus eſt Dominus, fuſe exaravit Bernardus Juſtinianus in ejus vita, quam videre eſt notis auctam in opere Bollandiano ad diem VIII. Januarii. Quod meum modo eſt, nunc documenta proferam, quæ ſuperſunt ad Paſtorale ipſius onus pertinentia, plurima enim in hoc opere ſparſa hac illac leguntur, quorum ſelectiora videntur ea, quæ Tom. I. ad Monaſterium S. Crucis attulimus. Anno ſui Præſulatus II. æræ ſcilicet vulgaris 1433. die 1. Auguſti Eugenius IV. Apoſtolicas Laurentio Epiſcopo ſcripſit epiſtolas, quibus multa pro regimine Sanctimonialium opportuna decernit (Y). Nec multo poſt anno 1435. die 26. Januar. ejuſdem Pontificis litteris Laurentius Delegatus Apoſtolicus ſtatuitur, ut Fratribus Minoritis reædificandi extra Clugienſes muros Cœnobium bellorum impetu quaſſatum Apoſtolica authoritate facultatem elargiretur, arctum vero Monaſterium, quod Fratres Clugiæ noviter erectum incolebant ad uſum Hoſpitalis converti permitteret, cujus negotii diploma extat in Wading. Tom. X. ad ann. 1435.

Eccleſiæ etiam Caſtellanæ, (cui tantum Præſulem præfecerat) decus ampliſſimo privilegio auxit Eugenius Pontifex anno 1440. die 24. Decembris, cum enim Cathedrale inclytæ Civitatis Templum accepiſſet in divinorum cultu maxime neglectum, & Canonicorum alibi degentium reſidentia deſtitutum, novas in eo ad ſacri miniſterii ſplendorem dignitates, & officia inſtituit, & ad erudiendos Clericalis militiæ tyrones, Eccleſiaſticum Seminarium, atque tum Grammaticæ, tum Cantus Magiſtros deſtinavit, ad quorum alimoniam Plebanatum S. Joannis Eleemoſynarii de Rivoalto, redditus diruti Monaſterii S. Marci de Boccalame, aliaque Eccleſiaſtica beneficia certis ſtatutis legibus aſſignavit, quam deinde liberalem Pontificis elargitionem novo Diplomate ad Laurentii Patriarchæ preces confirmavit Caliſtus Pp. III. anno 1455. die 26. Junii. Redditus tamen Plebanatus S. Joannis de Rivoalto cum propriæ deinde Eccleſiæ reſtituiſſet Innocentius VIII. anno

1488.

1488. (ut dictum est Operis hujus Tom. III. pag. 183 ;) ne Clericorum collegio nimium ex hoc proveniret detrimentum, alio Diplomate die 22. Aprilis ejusdem anni dato, *tria beneficia Ecclesiastica sine cura in Dominio Veneto* posita, eidem mensæ Collegii Clericorum authoritate Apostolica uniri decrevit (Z). Ea omnia ab Eugenio Pontifice statuta, indultaque fuisse, Laurentio Episcopo potissimum adnitente, ex superius enuntiata epistola comperimus, siquidem, ex ea addiscimus Sanctum Episcopum Cathedralis Ecclesiæ cultum pro dignitate Sedis auxisse, & Canonicorum cœtum ad nihilum pene redactum restituisse, additis ad decus Ecclesiæ novis dignitatibus, & sanctioribus legibus rite institutis, quam Pastoralem viri sollicitudinem etiam circa alias Ecclesias novimus fuisse adhibitam, in Diœcesana præsertim Synodo coram se convocata, in qua constitutiones edidit pietate, & discretione mirabiles, cujus specimen illud sit, quod in ipsius Synodi cap. III. decrevit, nempe, quod Ecclesiastici *honeste* convenire possint cum laicis de funeribus, & sepulturis defunctorum, in quo utriusque status jura, & debita, mirabili prorsus modo temperavit. (A 2) Neque tamen Cœlestis vir, licet omni studio in reformandam sui Cleri disciplinam, atque in gregis sui promovendam salutem incumberet, temporalia Episcopatus sui jura omnino neglexit, sed potius circumspecta, ut Sanctum Antistitem decet, diligentia, & cura, successorum suorum justæ utilitati prospexit, cujus rei testimonium sunt verba ab ipso propria manu in Catastico Episcopatus exarata, quæ sunt:

✠ *Jesus Christus.*

„ Ego Laurentius Justiniano Episcopus Castellanus Indignus, „ notum facio quod tempore meo auctoritate Apostolica factum fuit cambium petiæ terræ, quæ erat in Altino & solvebat annuatim Episcopatui Duc. I. cum Domino Philippo Paruta olim Episcopo Turcellano, & dedit pro recompensatione terræ livellum unum, quod tenebat ab Episcopatu Turcellano Monasterii S. Cipriani, & tunc solvebat Episcopatui annuatim staria duo frumenti in festo Assumptionis B. M. Virg. prout apparet per publicum Instrumentum confectum per Manum Presb. Angeli de Grunda, & robo-

„ roboratum Sigillo Dom. Pauli Veniero, olim Abb. Dign.
„ S. Michaelis de muriano, quod quidem frumentum præsens
„ Abbas S. Cipriani solvit mihi per annos plurimos.

„ Item notum facio, quod spectabilis Dominus Bartholomæus Maurocenus, D. Pauli, & Procurator D. Marci in suo Testamento, cujus sunt commissarii Domini Procuratores Sancti Marci de Citra dimisit Episcopatui Castellano annuatim prædictos ducatos tantum impræstitorum, prout apparet in dicto testamento de verbo ad verbum sic.

„ Item dimitto Episcopatui Ecclesiæ S. Petri de Castello prædictorum ducatorum trecentorum impræstitorum annuatim. Quod quidem prædictos nondum incœpi exigere ab ipsis Dominis Procuratoribus.

„ Item notifico, quod jam elapso triennio acquisivi Episcopatui, & ipsius nomine in possessione duorum Domorum, scilicet quæ sunt sitæ prope pontem Monasterii de Virginibus, & quarum fundus est Episcopatus quamvis diu extiterint allivellatæ, sed de Jure redierint ad proprium Dominum defuncto ultimo possessore, ipse autem pro annua pensione solvunt ducatos decem, major, videlicet ducatos sex annuatim, minor quatuor, & habet propter terræ meliorationem non cum essent de asseribus, & ruinas minarentur, exbursavi in eas pro reparatione, ultra ducatos sexaginta, & de tempore in tempus taxetur resarciri facti, prout necessitas exposcebat.

„ Et ego Laurentius suprascriptus memoratus manu propria scripsi die decimo octavo mensis Augusti MCCCCLI. ad instructionem futurorum, ne Episcopatus aliquid ex oblivione nostra patiatur incommodum.

Plurima alia in Episcopali statu degens sanctissime egit, quæ tum in ipsius vita, tum in multis hujus operis Ecclesiis distributa exhibentur: in quibus illud præcipue recolendum, quod anno MCCCCXLVII. pestifera lue per Venetam urbem grassante, infirmo gregi adeo constanti, & assiduo studio deservivit, ut propterea præcipuus contra pestem Patronus electus fuerit non in Patria solum, sed & in Panormitana etiam civitate, quæ eodem morbo laborans Laurentium nondum Sanctorum fastis adscriptum pro obtinenda publica incolumitate sibi apud Deum Patronum, & protectorem adscivit.

vit. Charitatem Sanctiſſimi Epiſcopi Pontificiis Indulgentiarum muneribus ditavit die 18. Auguſti eodem anno 1447. (B2) Nicolaus V. Eugenii in Romano Pontificatu ſucceſſor, cui cum cætera quoque Laurentii merita innotuiſſent, virum laudatiſſimum decrevit majoris dignitatis ſplendore exornare. Eapropter cum Dominicus Michael Patriarcha Gradenſis anno 1451. Venetiis extremum diem obiiſſet, Nicolaus Pontifex ſuppreſſo Gradenſi Patriarchatu, pariterque Epiſcopatu Caſtel-
I. lano, Laurentium Juſtinianum antea Caſtellanum Epiſcopum ampliſſimo diplomate primum Venetiarum Patriarcham inſtituit anno MCCCCLI. die XV. Octobris, quam ſuppreſſionis, & inſtitutionis Bullam affert Ughel. in Ital. Sac. Tom. V. col. 1292. Qua animi moderatione, quave pietate collatam ſibi dignitatem inierit Laurentius, ſatis expreſſit Bernardus Juſtinianus in ejus vita latine edita, quam deinde luculentiſſime Italico ſermone concinnavit Joannes Petrus Maffejus Societatis Jeſu Sacerdos in libro, cui titulus: *Vite di XVII. Confeſſori di Chriſto*.

Eccleſiam Æmonienſem Parentino pridem Epiſcopatui adjunxerat Eugenius IV. anno 1434. die 10. Maii, quam deinde nova unione (ſoluto veteri vinculo) Nicolaus V. Patriarchatui Gradenſi adjunxit, ex cujus Pontificii Decreti virtute Dominicus Michael Gradenſis Patriarcha Æmonienſem Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit. Itaque cum in ſtatu, & juribus Gradenſis Eccleſiæ ſucceſſiſſet recens inſtitutus Patriarchatus Venetiarum, Laurentius Juſtinianus labores, & redditus Æmonienſis Epiſcopatus accepit, cujus unicum documentum extat, locatio nempe bonorum ad Æmonienſem Menſam ſpectantium die 13. Jun. anno 1454. peractum (C2).

Provinciale Concilium coegiſſe Venetiis Laurentium, dum Patriarchatus munere fungeretur, exploratum habemus ex Maphæi Valareſſii Archiepiſcopi Jadrenſis epiſtolis, qui a Patriarcha ad Synodum evocatus, cum *prompto ac devoto animo parere* optaret, multis tamen gravibuſque implicitus negotiis vocem, & auctoritatem ſuam in Laurentii arbitrio collocavit, ſe quidquid Patriarcha ſtatuiſſet, ratum & firmum habere, promittens. Archiepiſcopi litteræ datæ fuerunt Jadræ die 25. Aprilis anno 1455.

Reverendiss. in Christo Patri, & Domino D. Laurentio Justiniano Miseratione Divina Patriarchæ Venetiarum &c. Patri, & Domino Colendissimo.

„ Reverendissime in Christo Pater, & Domine Colendissi-
„ me. Superioribus diebus accepi litteras Reverendissime D.
„ V. quibus me invitat ad comprovinciale Concilium; Quod
„ eadem Reverendiss. Dominatio V. in Civitate Venetiarum,
„ cui Deo disponente præest, celebrare decrevit, quarta eb-
„ domada immediate sequenti post festum Paschæ proxime
„ præteritum. Sancta profecto, & salubris V. Reverendiss. Pa-
„ ternitatis deliberatio; cui parvitas mea prompto, & devo-
„ to animo parere desiderat; sed cum in præsentiarum mul-
„ timodis negotiis, & quidem gravibus distinear, adeo ut ad
„ præfixum terminum, nisi cum maximo meo ac multorum
„ detrimento, & incommodo interesse non possim; vocem,
„ & auctoritatem meam non video apud quem melius, ac
„ decentius pro securitate conscientiæ meæ collocare possim,
„ quam apud Reverendiss. D. V., quæ quicquid statuerit, &
„ ordinaverit in hac sancta Synodo, & cui parti vocem meam
„ applicare voluerit, faciat pro libito arbitrii sui, quia mihi
„ rata & firma proculdubio erunt omnia. Valeat Reverendiss.
„ D. V., cujus orationibus me commendatum semper cupio.
„ Ex Jadra die 7. Kalendis Maias 1455.

„ Reverendiss. D. V.

„ Devotus filius Maphæus Valaresso
„ Archiep. Jadræ indignus.

Ex hujus epistolæ Chronicis notis, atque ex aliis pariter superius enuntiato affixis diplomati, quo Calixtus III. ad Laurentii Patriarchæ preces anno 1455. die 26. Junii amplas Eugenii IV. concessiones confirmavit, satis aperte patet, eo anno Sanctum Patriarcham adhuc in vivis degisse, ideoque emortualem annum, qui in sepulcrali ejus epigraphe legebatur 1455. computandum esse more Veneto, quo etiam more signatæ fuerunt litteræ Antonii Presbyteri de sancti viri fune-

re

re tractantes, quas attulimus Operis hujus Tom. 1. pag. 59. Ad Laurentium itaque adhuc inter vivos agentem pertinent & duæ aliæ Calisti Pontificis epistolæ, quarum una Romæ data anno 1455. die 19. Jul. eidem mandat, ut Clericos ad integram debitorum satisfactionem adstringat (D 2), altera vero die 12. Novembris ejusdem anni data Laurentio, quem *propter merita laudabilis vitæ specialis amoris prærogativa* complectebatur, *collationes seu confirmationes beneficiorum minorum non reservatorum* amplissimo privilegio concedit, atque confirmat (E 2).

Cæterum Laurentius tum in Episcopali gradu, tum in nova, qua auctus fuerat, dignitate omnium generaliter civium adeo sibi amorem demeruit, ut nihil sibi putarent accidere posse felicius, quam ut vir Laurentio similis, vel pene equalis, ei in Patriarchali officio sufficeretur. Id profecto colligimus ex publicis epistolis, quas communi Reipublicæ voto ad Nicolaum V. Pontificem Maximum mitti mandavit Decemvirale Consilium, quasque ad Sanctissimi Viri gloriam in lucem afferimus.

MCCCCLIV. Die XIV. Decembris.

In Consilio Decem.

Quod scribatur Papæ in hac forma.

„ Habemus in civitate nostra Patriarcham virum vita, &
„ moribus integerrimum, & omni sanctimonia ornatissimum,
„ adeo gratum, dilectum, & veneratum nostro Dominio om-
„ nibusque generaliter civibus, & abitatoribus Venetiarum,
„ ut nihil ultra dici possit. Sed cum is ad senium sit dedu-
„ ctus, & proximus termino, qui statutus est omnibus viven-
„ tibus, metuentesque, ne uno die a nobis naturali jure di-
„ scedat, & ejus loco succedat aliquis, qui sibi dissimilis sit,
„ & exinde apud nostram mestitiam aliquod scandalum, &
„ disobedientia possit oriri, Sanctitati vestræ devotissime sup-
„ plicamus, ut eveniente casu, pro singulari gratia & com-
„ placentia nostri Dominii priusquam eligat, & det nobis Pa-
„ triarcham, nostras preces exaudire dignetur, ut habere possi-

mus

„ mus virum, vel sibi similem, vel pene aequalem, sicuti
„ certi sumus Vestram Sanctitatem pro sua singulari erga nos
„ clementia desiderare.

Cum itaque Laurentius Patriarcha commisso sibi gregi per duos circiter ultra viginti annos laudatissime præfuisset, virtutum, & meritorum gloria conspicuus somno Sanctorum obdormivit in Domino anno 1456. die 8. Januarii, de cujus funere aliqua scripsimus Operis hujus Tom. I. ad Monasterium Sanctæ Crucis de Judaica; quod quidem Monasterium, Laurentio in vivis degente, administrabat Beata Euphemia Justiniano Sancti Episcopi neptis. De ipsius posthuma gloria, deque miraculis a Deo, ipsius intercessione patratis, fuse agitur, tum in actis Sanctorum Tom. I. Januarii, tum in illustrationibus ad ejus vitam appositis ante ipsius opera typis Venetis vulgata, (ut diximus) anno MDCCLI.

Sanctissimi Præsulis intercessionem in præsentibus pestiferi morbi angustiis imploravit Civitas Panormitana, quæ liberationem deinde sui populi, Beati Laurentii (quem inter Patronos Civitatis adsciverat) meritis, & præcibus retulit acceptam. Hoc cum accepisset Senatus Venetus, qui Urbem suam paris cladis flagello agitatam dolebat, Antistitis sui merita sibi in gravi discrimine opitulari supplex flagitavit, lato decreto statuens, & ipsius Beati solemnem apotheosim pro viribus promovere, & ipsius sacrum corpus festiva pompa annuatim invisere. S. C. afferimus latum eodem pestiferæ luis anno MDCXXX. die V. Augusti.

MDCXXX. Adì v. Agosto.

In Pregadi.

„ Furono in tutti i tempi gl'atti di Pietà prontamente ab-
„ bracciati dalla Republica nostra come proprii del zelo di
„ essa verso l'onore del Signor Iddio, ma in questi non me-
„ no che per motivo di devozione, perchè resti quieta la
„ Divina Maestà Sua di rattenere il braccio della sua Giu-
„ stizia dalle percorse de flagelli principiata, e minacciata
„ della peste in particolare, quali non ha dubbio esser effet-
„ ti dell'indignazione per le nostre colpe, è stimato singo-

lar-

„ larmente regolato il ricorso con sincera massima riverenza „ alla Divina Misericordia, e per mezzo de Santi, che col „ loro merito e gratia portino le nostre supplicationi più fru- „ tuosamente, & l'usar in oltre tutti quei termini che valer „ possano dal nostro canto ad abilitarci alla giustificazione. E „ perchè nel B. Lorenzo Giustiniani primo Patriarcha di que- „ sta Città consistono tutti li requisiti di somma Grazia col „ Signore Dio di merito della nostra suprema divozione, e „ di peculiar esaudizione sua nel morbo pestilentiale come a „ più prove quì, & a Palermo si è conosciuto con testimo- „ nianze di nostra particolar riverenza implorate le più effi- „ caci intercessioni per la preservazione di questa Città No- „ stra, & per la deliberazione dello Stato da esso morbo, e „ per la protezione in tutte le altre occorenze della Republica.

„ Sia però deliberato, che ad accrescimento di gloria ac- „ cidentale al Beato Lorenzo Giustiniani, e per onorare la „ stessa Città con la Canonizatione di esso tanto meritata „ dalle operazioni della sua Città. Sia con tutti i mezzi sol- „ lecitato l'effetto della Canonizatione medesima obbligando- „ si in virtù della deliberazione presente li tre Dilettissimi „ Procuratori nostri della Chiesa di S. Marco a trattare con „ Monsign. Reverendiss. Patriarca sopra i modi di accelerar- „ la considerando assieme le Scritture, e le obbligazioni fat- „ te già per la spesa della Republica dal Patriarca, dalla fa- „ miglia, e dalla Congregazione di S. Giorgio in Alega, e „ tuttociò che tocchi a questa materia per il fine sudetto.

„ E sia decretato, che il giorno in cui si celebra la Festa „ del medesimo Beato abbia nell'avvenire ad esser comune- „ mente fra i Festivi del Palazzo, e si vada a venerare quel- „ le Sacre ceneri dal Serenissimo Prencipe, col Senato tutti „ ciascun anno quel giorno medesimo. De si 124. de no — „ N. S. —

Post hæc Anno 1632. Federicus Cornelio S. R. E. Cardinalis, & Venetiarum Patriarcha, quod meritis, & intercessione Divi Laurentii patriam a teterrima pestilentia liberatam vidit, ex voto in Patriarchali Ecclesia hoc ex marmore perpetuum statuit monumentum.

„ Beato Laurentio Justiniano Primo Venetiarum Patriarchæ „ stirpis claritudine Augusto, sanctimoniæ gloria longe Au-

gustio-

„ gustiori tutelari numini beneficentissimo, ad sacros cujus cine-
„ res Templum hoc illustrantes Civitate in pestilentia Sancti Ci-
„ vis auxilium experta, quotannis ejus die perpetua festivi-
„ tate celebrando Senatus Religiosissimus venerationis ergo,
„ ex voto accedit, Federicus S. R. E. Cardinalis Cornelius,
„ maximi cultus minimum argumentum dicavit.

Laudes Laurentii Justiniani præter Bernardum Justinianum, & Biographos Antuerpienses, & Ughellum supralaudatos, exararunt Laurentius Surius in vitis Sanctorum, Daniel Rosa in libro de Sanctitate ipsius Laurentii concinnato, Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Robertus Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Joannes Baptista Egnatius de Viris Illustribus Venetiarum, Jacobus Philippus Thomasinus Histor. Canon. Sæcul. S. Georgii in Alga, Alphonsus Viliega, Aloysius Novarinus, Trithemius, Sabellicus, Blondus, Volaterranus, Paulus Zachias in celeberrimo opere Medico legali; Justus Fontaninus, qui diploma affert ejus Apotheosis, aliique plurimi. Vitam ejus concinnarunt Bernardus Justinianus, Surius, & Ferrarius jam laudati, Basilius Zancharolus, Joannes Petrus Maffejus, Nicolaus Manerbius Camaldulensis Monachus, Andreas de Episcopis, Federicus Maripetrus, Joseph Scanabechius, Sixtus Petralta, & alii.

Novum Ecclesiastici cultus incrementum ad Sancti hujus Præsulis honorem concessit nuper Sacra Rituum Congregatio, permittens utrique Clero Venetæ Urbis Officium proprium cum Hymnis, Antiphonis, & Responsoriis ab ejus vita deductis, ejusdemque pia, & præclara gesta commemorantibus. Hoc officium ab ipso Operis hujus authore jam inde ab adolescentia sua devotionis ergo concinnatum non ita pridem oblatum fuit Venetiarum Patriarchæ Aloysio Foscaro, tum Summo Pontifici Romæ suppliciter porrectum, cujus nutu Sacræ Rituum Congregationi ad examen missum hoc retulit approbationis Decretum.

Veneta.

„ Cum Reverendissimus Patriarcha Venetiarum Sanctissimo
„ Domino Nostro Benedicto XIV. humillime supplicaverit,
„ quatenus suprascriptas Lectiones primi Nocturni, ac Anti-

phonas,

„ phonas, Capitula, Hymnos, Versus, ac Responsoria ad
„ Vesperas, Matutinum, & Laudes S. Laurentii Justiniani,
„ cujus Officium de communi cum Lectionibus secundi No-
„ cturni propriis in Civitate, & Dioecesi Venetiarum recita-
„ batur, benigne approbare dignaretur, Sanctitas Sua supra-
„ dictum Officium proprium revisum de mandato ejusdem,
„ prout jacet, approbavit, ac imposterum die octava Januarii
„ in festo ejusdem Sancti in Civitate, & Dioecesi prædictis
„ recitari posse concessit.

„ Die 22. Januar. 1752.

„ D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

„ M. Maresuscus Sac. Rituum
„ Congregationis Secr.

II. Maphæus Dominici Contareni filius, quem Congregationis Canonicorum Secularium sæpesæpius Rectorem Generalem fuisse, enuntiavimus Operis hujus Tom. VI. pag. 71, anno 1455. ad morem Venetæ Urbis computato, qui est æræ vulgaris 1456. die 23. Januar. in locum Laurentii defuncti, cujus in Congregatione filius fuerat, & discipulus, plenis P. C. suffragiis subrogatur. Annum ejus electionis confirmant allata Calisti III. diplomata, quæ Laurentium statuunt anno 1455. mensibus Julii, & Novembris adhuc viventem, atque omnem dubium, si quod ultra esset amolliuntur Maphæi Vallaressi Episcopi Jadrensis, epistolæ Maphæo Contareno Patriarchæ Venetiarum datæ die v. Aprilis anno 1456, in quibus ei de collata nuper amplissima dignitate gratulatur. Eodem anno, die XII. Decembris Pontificiam Calisti Bullam obtinuit, qua sibi, Archidiacono, Canonicis, & Capitulo Patriarchalis Basilicæ facultas indulgebatur, ut Divinum officium psallere, & Missas celebrare ibidem pro suo arbitrio possent, secundum ritum Romanæ Ecclesiæ, *non obstante, quod secundum consuetudinem olim Patriarchalis Ecclesiæ Gradensis hæc omnia facere* consuevissent (F 2). Qualis autem fuerit hæc psallendi consuetudo, qua olim utebatur Gradensis Ecclesia, ex Choralium librorum deficientia minime innotescit. Cum itaque Venetam Ecclesiam annis fere quatuor laudatissime administrasset,

Maphæus ad premia meritorum evolavit die 26. Mart. anno 1460, ejusque corpus, prout ipse moriens mandaverat, in Ecclesia S. Georgii de Alga tumulatus fuit adjecta epigraphe, quam videre est Operis hujus Tom. VI. pag. 71.

III. Andreas Marini Bondimerio, & Franciscæ Barbaro filius Fundator Congregationis Canonicorum Regularium S. Spiritus Venetiarum adolescens in Græcis latinisque litteris Emanuelem Chrysoloram Magistrum habuit, quibus optime instructus, ut in religionis quoque palestra se exerceret, ad Gabrielem Cœnobii S. Mariæ de Nazareth piissimum Priorem accessit, mox loco prædicto ad alios usus assignato, ea pro institutione novæ Congregationis egit, quæ fuse protulimus jam in hoc opere, ubi Tom. IX. Monasterium S. Spiritus illustravimus. Defuncto Maphæo Contareno, dum in Veneto Senatu de successore deligendo die 7. Aprilis anno 1460. ageretur, ita in Andream P. C. vota concorditer consenserunt, ut non a cœtu virorum, sed ex unius tantummodo voluntate delectus putaretur, quæ quidem Senatus destinatio universæ civitatis plausu excepta est. Solus tamen inter communem lætitiam Andreas mœrore repletus, adeo constanter electioni de se factæ assensum præbere recusavit, ut opus fuerit Pontificiam authoritatem implorare, ne unius viri humilitate universæ civitatis desiderium sua spe frustraretur. Electionem itaque & electi merita P. C. per epistolas significarunt Pontifici Maximo Pio II. tunc Senis commoranti, qui ex Senatus relatu agnoscens, *quantum* in Andrea *vota civitatis inclinarent*, ad virum (quem non noverat) *amandum* merito (ut ipse fatetur) inductus fuit. Eapropter *in virtute sanctæ obedientiæ* per Apostolicas epistolas Andreæ mandavit, ut *sine mora, & sine ulla pompa* ad se accedere vellet, *neque in hoc excusationem ullam* prætenderet. Epistolas afferimus ex regestis antiquis Monasterii Sancti Spiritus Venetiarum excerptas.

Pius Papa Secundus.

„ Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Di-
„ lectus filius nobilis Dux Venetiarum pro tua ad Patriarcha-
„ tum promotione multis precibus instans de meritis, & suf-
„ ficientia personæ tuæ bonum nobis testimonium præbuit
osten-

„ ostendens in te quantum vota Civitatis inclinent. Hoc no-
„ bis plurimum placuit, & ad te amandum, quem non no-
„ veramus, merito induxit; quia tum dignitas hæc Patriar-
„ chalis est magna, & qui eam accipit recognoscere Sedem
„ Apostolicam debet, & ab illa cognosci; contentamur, & in
„ virtute sanctæ obedientiæ tibi mandamus, ut sine mora ad
„ nos venias, neque in hoc excusationem ullam prætendas,
„ te enim præsentem libenter videbimus, placet autem, si-
„ cut te facturum confidimus, ut simpliciter & sine ulla pom-
„ pa accedas, quo & humilitas tua magis probetur, & ho-
„ nori tuo ac ordini decentius consulatur.
„ Datum Senis sub annulo Piscatoris die VI. Aprilis 1460.
„ Pontificatus Nostri anno secundo.

„ *A Tergo* — Dilecto Filio Andreæ Bondimerio Canonico
„ S. Augustini.

Licet autem Pontificio mandato urgeretur Andreas, ut collatum sibi onus subiret, attamen, ut eo levaretur, instantissime egit, senio, & infirmitatibus se confectum esse, atque solemni voto nullam suscipiendi dignitatem ab ipso Religionis ingressu obstrictum affirmans. Renuit supplicantis vota excipere Pontifex, atque iteratis Epistolis *Andreæ Bondimerio electo Patriarchæ Venetiarum* mandavit, ut *Patriarchatum omnibus excusationibus rejectis* suscipiens *saluti animarum sibi commissarum consuleret*. Apostolicæ Pii II. Epistolæ, quas Maceratæ dedit die X. Maii anno 1461, relatæ sunt in Italia Sacra Venetæ edit. Tom. V. col. 1300.

Iisdem ferme diebus, quibus ad Andream directa fuerant Pontificia mandata, solemni S. C. statutum fuit, ut publico nomine electus Patriarcha *efficacibus verbis* hortaretur, ne diutius impositum sibi onus detrectaret, ex nimia enim sui assensus prolatione ipsi Patriarchali dignitati *periculum*, & *detrimentum* imminere noscebatur.

MCCCCLX. XVI. *Maii. In Rogatis.*

„ Quemadmodum deliberatum fuit comendare Sedi Apostolicæ pro Patriarchatu hujus inclitæ Urbis nostræ Rev. D. Andream Bondumerio Canonicum Regularem S. Augustini, Nobilem Civem nostrum, quem Beatitudo Summi Pontificis ad preces, & supplicationes nostras, clementer ad ipsam dignitatem promovit, ita conveniens est, ut autoritate hujus Consilii idem Rev. Pater hortetur, & inducatur ad acceptandum hujusmodi dignitatem, & ad ipsius ministrationem se recipiat pro honore Dei, utilitate animarum nostrarum, & benefitio totius Civitatis nostræ.

„ Vadit Pars, quod Collegium ad se habere debeat præfatum D. Patriarcham electum, & eum Rev. Patriarcham hortari, & suadere illis efficacibus verbis & rationibus, quæ videbuntur, ut velit cum nostra singulari complacentia omnino acceptare ipsam dignitatem, quæ sibi ita unite (1) collata est, ne diutius ipsa Patriarchalis dignitas, quæ tantum importat, defectu personæ suæ periculum, & detrimentum patiatur cum displicentia universæ hujus Reipublicæ nostræ. Et ad evitanda inconvenientia, quæ faciliter sequi possent ex hujusmodi ejus renitentia.

Divinæ itaque voluntati ut obsequeretur Andreas, Patriarchatum iniit, in quo per quadriennium sanctissime vixit. De utilitate suæ Ecclesiæ sollicitus a supralaudato Pio II. anno MCCCCLXIII. die XV. Decembris Diploma obtinuit, quo sibi liceret nonnullas Patriarchatus Gradensis ædes apud S. Silvestrum positas præsenti pæcunia distrahere, quarum prætium tum in reparatione alterius adhærentis domus, tum in redditunm incrementum insumeretur (G 2) Pontificia tamen facultas in irritum cessit, siquidem eæ ipsæ domus a Maphæo Gerardo Patriarcha successore in emphiteosim Sodalitio S. Rochi traditæ fuerunt, ut notavimus ad Ecclesiam S. Silvestri Tom. III.

Quatuor igitur annis in regimine suæ Ecclesiæ laudatissime

(1) Unite idest universis P. C. suffragiis consentientibus.

me exactis evolavit ad superos anno MCCCCLXIV. die VI. Augusti ætatis suæ LXXIV, vir Ecclesiasticæ disciplinæ custos acerrimus, & criminum ac præsertim impuritatis severissimus vindex. Corpus ejus post exequias rite in Patriarchali Templo celebratas ad Ecclesiam S. Spiritus in Insula, ut ipse præceperat, delatum est, cujus sepulcro insculpta fuit hæc epigraphe.

„ Andreæ Bondimerio Cœnobii hujus Fundatori Venetiarum Patriarchæ Fratrum Pietas P. 1465.

Ad laudes pii Præsulis accedat, quod in privato, quo utebatur sigillo, pro illustris Familiæ insignibus Divi Andreæ Apostoli imaginem incidi voluit.



Sigillum Andreæ Bondimerio Patriarchæ Venet.

IV. Gregorius Corrario superius laudati Gregorii XII. pronepos Patrem habuit Joannem Philippi Procuratoris filium, matrem vero Cæciliam Contareno, quorum cura liberalissime educatus, tantum in pietate, & politioribus litteris profecit, quantum ejus opera, & clarissimorum hominum testimonia declararunt. Suasu Antonii Cardin. Corrario patrui sui Clericali militiæ nomen dedit, moxque post patrui obitum a Pio II. Abbatiæ S. Zenonis Veronensi commendatario titulo præfectus fuit, & inter Apostolicos Prothonotarios adnumeratus. Vicentinæ deinde Ecclesiæ ab eodem Pontifice, ut asserit Ughel. Tom. V. col. 1062. promotus fuit anno MCCCCLIX. & deinde Andreæ Bondumerio in Patriarchali Sede successor omnibus P. C. suffragiis destinatur anno MCCCCLXIV. die IX. Augusti.

Renuit diu Gregorii electionem confirmare Paulus Papa II, qui in Patriarchali Venetiarum Sede Joannem Baroccio Nepotem suum collocari præoptaverat. Dum igitur Pontificius assensus plus æquo protrahitur, Gregorius tertio ab electione sua mense vix expleto e vivis excessit, universæ Venetiarum urbi ob eximias virtutes maximum sui desiderium relinquens.

Vi-

Virum hunc pietate non minus, quam doctrina conspicuum, ut sibi in Patriarchali munere sufficeretur, Veneto Senatui moriens commendaverat Divus Laurentius Justinianus, quod etiam extremæ horæ proximus præstiterat Maphæus Contarenus, ipseque Andreas Bondumerius, sibi in dignitate præponi enixe postulaverat. Gregorii defuncti corpus Venetias delatum post exequias in Patriarchali Basilica utroque Clero, Duce, & Senatu adstantibus solemniter actas, ad Ecclesiam S. Georgii in Alga deductum fuit, & marmoreo sarcophago inclusum, cui insculptum fuit hoc elogium:

„ Sepulcrum Gregorii Corrarii, Greg. Pp. XII. pronepotis,
„ atque Antonii Corrarii Cardinalis ex fratre nepotis, prisca
„ gravitate, miraque integritate viri, qui studiis, & otio suo
„ contentus, scribensque, ex postulatione civitatis Patriarcha
„ IIII. Venetiarum datus naturæ concessit XIII. Kal. Decem-
„ bris Anno salutis MCCCCLXIIII.

Pietatem, & doctrinam Gregorii testantur aurea ejus opera, quæ ab adnotatore Ughelli nominatim recensentur, nos Fragmentum ipsius epistolæ ex Martene deprompta dedimus ad Monasterium S. Andreæ Tom. I. pag. 173.

Post Gregorium, ad Patriarchales Venetiarum insulas Marcus Barbo Pauli II. Nepos Patrum C. suffragiis evocatur, qui tamen ne a patrui sui latere divelleretur, spe splendidioris fortunæ allectus muneri renuntiavit.

V. Joannes Ludovici Baroccio, & Polixenæ Mauro filius, dum Bergomati Ecclesiæ præesset, Patriarcha Venetiarum eligitur anno 1465. ineunte. Apostolicas ad eum dedit Paulus II. epistolas die XXX. Aprilis ejusdem anni, quibus eum laudibus ornatum hortatur, ut in commissi sibi gregis regimine, omni studio, & solertia vigilare non desinat (H 2). Vir justitiæ amator, & acerrimus legum custos ad continendum in officio Clerum severissimis pœnis usus est, christianam pietatem, & sacrorum rituum observantiam egregie promovit, atque ecclesiastica privilegia augeri curavit, dum vero in commissæ sibi Ecclesiæ cultu, & administratione attentius invigilat, atque Patriarchalem Cathedram ad Sacras Divorum Joannis & Pauli ædes transferre, multaque alia ingenti animo meditatur, repentina morte corripitur Feria IV. majoris hebdomadæ anno 1466, ea ipsa die, qua anno præcedenti Patriarchatus

chatus possessionem inierat, cujus mortis causa adhuc in ambiguo est, an ex violenti apoplexia, an ex propinato veneno emanarit. Defuncto corpori Feria insequenti parentatum est, quod deinde in sepulcro Bartholomaei Quirini II. Episcopi Castellani tumulatum fuit. Ejus intuitu Paulus II. Torcellanense S. Margharitæ Cœnobium Veneto Patriarchatui subiecit, ut in Torcello Sacro dictum est.

VI. Maphæus Joanne Gerardo Senatore Clarissimo, & Christina Barbadico Nobilibus parentibus Venetiis ortus cum adultæ esset ætatis, & *vir factus maturo consilio* Monasticum Camaldulensis Congregationis institutum amplexus est in Monasterio S. Michaelis de Muriano sub disciplina Pauli Venerio laudatissimi Abbatis, cujus exempla constanti adeo virtute æmulatus est, ut in locum ipsius defuncti suffectus rigidam regulæ observantiam, quam invenerat, omni conatu conservare, & promovere studuerit. Dum igitur commisso sibi Monasterio laudabili prudentia præesset, Senatus Venetus amplissimis suffragiis ipsum ad Patriarchalem patriæ sedem evexit anno 1466, cujus electionem approbare detrectans Paulus II, quatuor e Patritia nobilitate Præsules Senatui obtulit, ut ex eis unum Patriarchatui præficeret.

Inter eos, quos singillatim recenset Adnotator Ughelli, nomen Petri Donati Episcopi Æmoniensis (ex Librarii fortasse errore, irrepsit, quod tamen censura indiget, eo enim tempore nullum invenio Petrum Donatum Episcopali dignitate insignitum, nec Æmoniensis Ecclesia Veneto Patriarchatui adhuc unita proprio regebatur Episcopo, quæ eo anno ad finem vergente ex Decreto Pauli II. suscepit Franciscum Contarenum, de quo Ughel. Tom. v. col. 248. Oblato sibi viros rejecit Senatus, qui nunquam se a sententia recessum professus fuerat.

Quum autem confirmationis negotium nimis in longum protraheretur, & ex hujusmodi vacatione plurima eveniret Venetæ Ecclesiæ incommoda, mandavit Senatus Oratoribus suis in Curia existentibus, *ut conspectum Summi Pontificis adire* deberent, eumque *efficacissimis, & gravibus verbis* exorare, ut electum Maphæum confirmare dignaretur, quia ipsum, & neminem alium universæ Urbis, & Senatus desideria in Pastorem expetebant, ob singularem virtutis & bonitatis ipsius

opi-

opinionem, & existimationem. Hæc sunt S. C. verba, ex quibus viri pietas, & merita innotescunt.

MccccLXVII. *Die* xxx. *Octobris*.

„ Quoniam civitas nostra ista male stat sine Patriarcha, per „ cujus absentiam cessant elimosinæ fieri consuete, augescunt „ multæ enormitates, & inconvenientia, adeo ut penitus ne„ cessarium sit providere. Propterea Vadit Pars, quod Orato„ ribus nostris in Curia existentibus scribatur in hac forma. „ Inter cætera, quæ vobis sunt commissa, est negotium Pa„ triarchæ Venetiarum, in quo nobis, desiderioque universæ „ civitatis satisfieri a Summo Pontifice maximopere cupimus. „ Et certe considerata integerrima vita, moribusque tam ca„ stissimis, & probatissimis tum Civitati nostræ plurimum conve„ nientibus Ven. D. Mafei Gerardo Abbatis S. Michaelis de Mu„ riano, in quo viro præ cæteris optando tocius civitatis vo„ ta consensere, non possumus conjectura assequi, unde tan„ ta intervenerit difficultas & cur Beatitudo Summi Pontifi„ cis tot nostris instantiis, & supplicationibus annuere ad hunc „ usque diem dignata non sit. Et quoniam elimosinæ per Pa„ triarchas fieri populo nostro consuetæ cessant, augescuntque „ & multiplicant in dies multa inconvenientia volumus, & „ vobis mandamus cum nostro consilio Rogatorum, ut con„ spectum Summi Pontificis adire debeatis, & dicere habuis„ se a nobis recentia mandata nostra, quibus non alicui dif„ ficultati vel rationabili causæ aut respectui, sed vobis im„ putamus, & cum omnibus illis opportunis efficacissimis & „ gravibus verbis, quæ vobis succurrent, Beatitudini prædictæ „ supplicate, ut de eodem Domno Maseo nobis complacere „ dignetur, quem, & neminem alium, desideramus. Indulgen„ tiæ vero benignitatique Pontificis consentaneum est, com„ placere gratificarique filiis & patriæ suæ de Pastore eis tan„ topere grato, & accepto, hanc eandem instantiam volumus „ non semel, sed sæpe faciatis & tociens, quod impetretis, „ satisfiatque nostro, & universæ civitatis nostræ maximo de„ siderio ob singularem, quæ habetur de virtute & bonitate „ suprascripti Domni Masei opinionem, & existimationem.

Fa-

„ Facite ambo, dum vos f. Joannes (1) in curia fueritis, in-
„ ftantiam prædictam, & poft veftrum difceffum ob licentiam
„ vobis conceffam repatriandi, facite vos f. Petre quantum fu-
„ perius mandamus.

Iteratas Veneti Senatus preces tandem excepit Paulus Pontifex, & Maphæi electionem Apoftolica confirmatione approbavit.

In Patriarchali igitur dignitate conftitutus piiffimus vir, virtutes, quas in Monafterio Abbas rigidiffime excoluerat, fecum in Patriarchatu indivifas comites habuit, modeftiam, humilitatem, & benignitatem, quarum merito, univerfæ civitatis amorem fibi promeruit, & venerationem. Paftoralem ipfius follicitudinem, qua Ecclefiaftici Ordinis decorem, & difciplinam tueri, & augere conabatur, ut adjuvaret Senatus decrevit die XXIX. Octobris anno MCCCCLXX. Summo Pontifici fupplicandum effe, ne Venetis Clericis talia concederet privilegia, quorum virtute ab obedientia, & fubjectione Patriarchæ eximerentur.

MCCCCLXX. *Die* XXVIIII. *Octobr. In Rogatis.*

„ Quia funt complures Presbyteri in hac noftra Civitate,
„ qui, ut fuo modo vivant, brevia & litteras a Summo Pon-
„ tifice impetrant, eximentes fe ab obedientia, & fubiectione
„ Reverendiffimi Patriarchæ noftri, & facientes licentiofe quic-
„ quid eis libet.

„ Vadit Pars, quod fcribatur, & mandetur Oratoribus no-
„ ftris in curia, ut Summo Pontifici, noftro nomine fuppli-
„ cent, quod talia brevia talesque litteras ejusmodi Presby-
„ teris nolit concedere, ut quisque metu punitionis, & penæ
„ honefte vivat, ficuti ipfos Presbyteros maxime decet, & fi-
„ cuti Beatitudo illius Reverendiffimo Domino Patriarchæ
„ præceffori fuo conceffit.

Pari quoque modo Pontificem Maximum exorari mandavit Senatus pro iis Ecclefiis, & Monafteriis, quæ ex privilegio exemptionis Patriarcha vifitare nequibat, fub quo quidem prætextu nec corrigi poterant, nec reformari. Duo ad hoc negotium fpectantia afferimus S. C.

(1) Joannes Superantio, qui tunc temporis pro Dominio Venetiarum erat apud Paulum II. Orator fimul cum Petro Mauroceno fuo in hoc munere Collega.

MCCCCLXII. *Die* XXVIII. *Septembris*.

„ Quoniam sub Patriarchatu nostro Venetiarum sunt non„ nullæ Ecclesiæ & Monasteria, quæ ex his, quæ videntur, „ habent quasdam bullas sive litteras exemptionis tam a Sum„ mo Pontifice, quam aliter, quarum vigore Ecclesiæ & „ Monasteria suprascripta per Dominum Patriarcham visitari „ non possunt, sub quo quidem vellamine nec corrigi, nec „ reformari possunt, sicut requirit honor Dei, & ad officium „ & debitum nostri Dominii, & ipsius Domini Patriarchæ „ jure pertinet. Propterea Vadit Pars, quod de re ista scribi „ debeat Secretario nostro apud Summum Pontificem existen„ ti in ea bona, & efficaci forma circa effectum prædictum, „ quæ videbitur Collegio.

MCCCCLXXXVIIII. Die XXIV. Septembris.

Quod nobili Viro Dominico Trivisano Equiti Oratori in urbe scribatur in hac forma.

„ Officium Catholici Principis arbitramur, curam gerere „ eorum, quæ ad Divinum cultum pertinent, ad consignationem„ que & regulationem Monasteriorum spectare possunt. Cum ita„ que inter cetera, in hac urbe nostra intueamur quædam Mona„ steria Conventualium Monialium segregata a Reverend. Pa„ triarcha nostro, & immunia ab ejus superioritate. Cupien„ tes pluribus de causis, & respectibus honori Summi Opifi„ cis prospicere, & pacifico victui ipsarum Monialium, volu„ mus, & cum nostro Rogatorum Consilio vobis mandamus, „ ut omni cum instantia apud Sanctitatem Pontificis procu„ rare debeatis, dignetur per bullas seu Apostolicum Breve „ mandare, quod non obstante aliqua provisione sive segre„ gatione alias facta præfatus Reverendissimus Dominus Pa„ triarcha ejusque successores possint, & debeant infrascripta „ Monasteria hujus Civitatis nostræ visitare, corrigere, & se„ cundum occurrentias ad laudem Omnipotentis Dei emen„ dare. Quod dignum tanto Pontifice, & nobis, universæ„ que civitati nostræ pergratum erit.

Opus

Opus etiam Campanilis, quod ad usum, & ornatum Patriarchalis Ecclesiæ jampridem sumptuose incœptum fuerat, egregiæ adjuvit Maphæus, pro cujus constructione quartam partem decimarum emortualium mensæ suæ Patriarchali ex antiquo more spectantium assignavit. Quum autem in ipsius Patriarchæ creatione Paulus Pp. II. easdem decimas certis personis distribui mandasset, Senatus (ne sacrum ædificium valido subsidio fraudaretur) Sixtum IV. Pontificem exorari decrevit, ut *dicta quarta pars dictarum Decimarum pervenire deberet in Patriarcham, ut ipse eam committere valeret in fabricam Ecclesiæ, & Campanilis*, pro qua citius promovenda Indulgentias ab ipso Pontifice Senatus imploraverat. Patent hæc ex Decretis, quæ diversis licet temporibus lata hic conjuncta exhibemus.

Mcccclxxi. *Die* v. *Decembris*.

„ Fabrica campanilis Patriarchatus hujus nostræ civitatis est „ constituta per modum, quod nisi adjuvetur per viam Indul„ gentiarum, nunquam absolvetur. Et proinde Vadit Pars, „ quod scribatur in Curia Romana ad optinendum tales In„ dulgentias pro dicta fabrica, sicut commemorabitur per Re„ verendissimum D. Patriarcham Venetiarum.

Mcccclxxii. *Die* xviii. *Aprilis*.

„ Cum alias Sanctæ memoriæ Papa Paulus in creatione „ præsentis Patriarchæ ordinavit quartam partem decimarum „ mortuorum, quod destribuatur certis personis, ut Suæ San„ ctitati tunc visum fuit, & quoniam dicta quarta Pars di„ ctarum Decimarum est de mensa Patriarchali, & sibi spe„ ctat, & eam committere velet in fabrica Ecclesiæ, & cam„ panilis, & conveniens sit, ut dictus Dominus Patriarcha „ habeat, quæcumque dicto Patriarchatui spectantia, ut præ„ decessores sui habuerunt.

„ Vadit Pars, quod scribatur Oratori nostro in Romana „ Curia, quod dicta quarta pars dictarum decimarum perve„ nire debeat in dictum Dominum Patriarcham quemadmo„ dum perveniebat in præcessores suos, ut ipse eam commit-

„ tere valeat in fabricam prædictam Ecclesiæ, & Campanilis
„ sicut optare videtur.

Ad temporale Clericorum subsidium a præjudiciis tutandum Apostolicas excepit Sixti IV. epistolas anno 1476. die 18. Martii latas (I 2), quibus decrevit, *quod non obstantibus privilegiis, & indultis Ordinibus Mendicantium concessis, antiquæ consuetudines, quoad funeralia, & Sacramentorum administrationem in Civitate* Veneta servari deberent. Alias deinde anno insequenti die 30. Julii ab eodem Sixto Pontifice epistolas excepit, quibus Judex, & Commissarius Apostolicus institutus fuit, ut controversiam, quæ inter duas Moniales Monasterii S. Theonesti de Tarvisio super Abbatissatu ejusdem loci exorta fuerat, lata sententia dirimeret. Hoc cum, post examinata utrisque partis jura, egisset Maphæus, & Sororem Christinam a Luminibus dicti Monasterii veram esse Abbatissam declarasset, Antonio Saracco Archiepiscopo Corinthiensi, & Vicario suo Generali vices suas commisit, ut Tarvisium se conferens Christinam Abbatissam investire deberet per anuli traditionem, quod & actum (prout jusserat) fuisse, addiscimus ex Investitionis documento, quod autographum servatur in eodem S. Theonesti Monasterio (K 2). Laudabili itaque prudentia cum Ecclesiam sibi creditam tribus supra viginti annis administrasset, ab Innocentio VIII, cui optimi Præsulis virtutes innotuerant, inter S. R. E. Presbyteros Cardinales titulo SS. Nerei, & Achillei cooptatus fuit, secreta tamen electione, quam suo tempore promulgandam sibi in pectore Pontifex reservaverat. Virum Vaticana purpura *de unanimi Cardinalium consensu* ornatum fuisse *intimavit* Reipublicæ Summus Pontifex *per breve Apostolicum*, quod suis litteris *adjunctum* Decemvirali Consilio misit Dominicus Trivisanus Eques pro Senatu Veneto ad Innocentium Papam Orator. Accepto electionis nuncio Decemviri Dominico Trivisano Oratori mandarunt, ut *secretas uberesque* Sancto Patri *gratias* publico nomine haberet, declarando gratissimam Patribus evenisse *bujusmodi denominationem ob singularem viri probitatem, vitæ sanctimoniam, & pietatem*.

MCCCCLXXXIX. Die XIII. Julii.

In Consilio X. Oratori in Urbe.

„ Binas litteras vestras diei III. & V. instantis Capitibus
„ Consilii nostri X. inscriptas accepimus, quibus litteris diei
„ v. adjunctum fuit breve Apostolicum, quo sicuti etiam
„ per ipsas vestras intimata nobis secretissime fuit electio, &
„ denominatio per Beatitudinem Summi Pontificis de unani-
„ mi Reverendiss. D. D. Cardinalium consensu facta de per-
„ sona Reverendiss. D. Patriarchæ nostri Venetiarum in istius
„ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem,
„ quod certe fuit nobis gratissimum intellexisse. Volumus igi-
„ tur, & cum Consilio nostro X. mandamus vobis, ut ca-
„ ptato tempore Beatitudini præfatæ secretas, cæterum ube-
„ res, & reverentes gratias habere in nomen nostrum debea-
„ tis, declarando Sanctitati suæ, quam reverenti animo au-
„ diverimus hujusmodi denominationem in personam præfati
„ Reverendiss. Dom. Patriarchæ nostri ob singularem viri
„ probitatem, vitæ sanctimoniam, & pietatem. Demum af-
„ firmabitis Sanctitati præfatæ electionem hujusmodi restatu-
„ ram apud nos secretissimam, & non exituram penetralia
„ dicti Consilii nostri X; sicuti Beatitudo sua ex sapientissi-
„ mis respectibus mandat, expectaturi opportunum tempus
„ publicationis, quo tempore & apertius, & copiosius ute-
„ mur officio nostro cum Sanctitate Sua, sacratissimoque cœ-
„ tu istorum Reverendiss. D. D. Cardinalium, quam bene
„ exoratam cupimus, ut quod tam clementer dignata est il-
„ li in nostram gratiam indulgere, quanto fieri potest celeri-
„ ter, ex toto impleat ad majorem nostram totiusque civita-
„ tis nostræ gratificationem.

Maphæi Cardinalis electionem promulgare cum diu distulisset Innocentius, morte correptus, ipsum *privatim*, & solummodo *per viam secretam* purpuratis Patribus adnumeratum reliquit; Cum tamen breve, ut ajunt, Diploma, quo Maphæus creatus fuerat Cardinalis, apud Laurentium Cibo ejusdem Innocentii Pontificis ex fratre nepotem repertum fuisset, Romam ad Conclave pro futura Pontificis electione a Sa-

cro Cardinalium Collegio honorifice evocatur. Suadente itaque Senatu, licet ætate gravis iter arripuit Maphæus comite Petro Delphino Ordinis Camaldulensis laudatissimo Generali, quem Dominium Venetum, ut Cardinalem Romam prosequeretur, hortatus fuerat. Quæ pro futuri Pontificis electione ibidem ex aliorum suggestione, & violentia Maphæus gesserit, narrat Ciacconius, quem fabulam, non historiam texuisse jure redarguit Clariss. Ludovicus d'Attichy Episcopus Æduensis in Hist. Card. Tom. III. pag. 400, dum eum notat commenta hujusmodi hausisse ex Hieronymo Garimberto mordacissimo Scriptore, cujus studium fuit Cardinalium famam maledico calamo lacerare. Refert itaque ex Garimberto Ciacconius Senatum Venetum *duos ex Scribarum numero Georgium Nigrum, & Franciscum Pacium* Maphæo, ut eis morem gereret, assignasse, attamen pusilli animi Cardinalem ab Andrea Capello Oratore Veneto gravibus minis adductum fuisse, ut electionis suffragium pro Roderico Borgia Cardinale deferret. Maphæi animum mentemque egregie a calumnia vindicant Clar. Viri Andreas Victorellus, & supralaudatus Episcopus Æduensis, qui veritate rerum comperta expositaque, piissimi Patriarchæ, & præstantissimi Cardinalis nomen suo splendori restituunt *ex veris, & veteribus documentis, & epistolis Petri Delphini viri eruditi, juxta ac pii universæque Camaldulensium familiæ Abbatis Generalis*. Ex iis epistolis unam Antonio Contareno Patriarchæ datam anno 1515. modo exhibere opere pretium ducimus, ut ex ea, virtutes tum Monastici, tum Pastoralis status, & pretiosa mors innocentissimi Cardinalis clarius innotescant.

„ Frater Petrus Delphinus humilis Monachus, & Camal„ dulensis Ordinis Generalis indignus, Antonio Contareno Pa„ triarchæ Venetiarum S. P. D.

„ Requisivit a me per internuntium dignatio tua: ut cum „ olim fuerit colendissimus Patriarcha Maphæus Gerardus an„ tecessor tuus in nostro Camaldulensi Ordine professus: at„ que in Cœnobio Sancti Michaelis Murani multos vixerit „ annos: summatim ei significem, quicquid de vita & mor„ bus ejus agnoscerem. Ego vero, ut scias, cum occasione „ Generalatus diutissime abesse mihi Venetiis contigerit, pro„ culque ab eo per multum temporis in Etruria vitam du-

xerim:

„ xerim : haud plene mihi videor posse me piissimis votis
„ tuis satisfacere. Sed quando totius vitæ ejus seriem propter
„ absentiam meam describere certius nequeo: præsertim quo-
„ modo se in Præsulatu tot annorum gesserit : duo tantum
„ tempora complectar : quibus domesticus ejus fui : & fami-
„ liari ejus contubernio usus sum. In iis, quæ fuerit vita pa-
„ tris nostri, qui mores ac studia, fidele testimonium perhi-
„ bebo dignationi tuæ, ac de ipsius integritate & sanctimo-
„ nia, quæ mihi modo succurrerint religiose, ac vere com-
„ memorabo. Siquidem ab eo ad religionem admissus, quo
„ tempore ipse huic Monasterio præerat, annis sex sub ejus
„ Magisterio institutus, atque educatus sum. Deinde post ade-
„ ptum Patriarchatum : quo Senatus Venetus suis suffragiis
„ dignissimum Maphæum judicavit : cum promotus ad Car-
„ dinalatum iturus in Urbem foret: persuasus ego ab amicis
„ conveni ipsum Romæ : fuique apud illum usque ad extre-
„ mum vitæ ejus diem. Itaque ut ab eo tempore incipiam,
„ quo primum sub ejus disciplina instituendus me ad Cœno-
„ bium contuli, præfuerat Abbas Sancti Michaelis Monaste-
„ rio annos sexdecim. Erat enim tunc vetus loci consuetudo,
„ ut perpetuus Abbatibus Magistratus demandaretur. Quan-
„ tum vero in religione privatus fuerit Monachus, non sa-
„ tis novi, nisi quod jam adolescentiam excessisse, atque adul-
„ tus, & vir factus e seculo vocatus ferebatur. Ut idcirco
„ merito existimandum sit : ipsum maturo consilio hoc præ-
„ cipue Monasterium elegisse : ut eo ferventius redderet Al-
„ tissimo vota sua : quo districtius instituti Monastici in illo
„ propositum servabatur : idque potissimum cura, & diligen-
„ tia patris optimi, atque integerrimi Pauli Venerii Abbatis,
„ qui singulari religione ac pietate, per septem & quinqua-
„ ginta annos in administratione loci perseveravit. Hujus tan-
„ ti viri provocatus exemplo Gerardus, adeo constanti gressu
„ illius semper vestigia sequenda putavit, ut post Pauli obi-
„ tum in locum ejus subrogatus, non solum conservandum
„ eundem vitæ rigorem, quem invenerat, verum etiam au-
„ gendum decreverit. Referebant mihi tunc seniores Mona-
„ sterii, ipsum sine intermissione studiosissimum fuisse Mona-
„ sticæ observationis: semperque eumdem se exhibuisse in cu-
„ stodia Regulæ, neque aliquid ab ea sive ad dextram, sive
ad

„ ad finiſtram declinaſſe, quemadmodum & ego progreſſu tem-
„ poris experimento cognovi. Nihil adeo in illo admiratus
„ ſum, quam perſeverantiam ipſius haud minus in rebus exi-
„ guis, & quæ ad cerimonias tantum ordinis pertinerent,
„ quam in reliquis, quæ majoris forent difficultatis, ac mo-
„ menti: ſi quis eum in Choro, in primis & Refectorio, ac
„ Monachorum congreſſu contemplatus fuiſſet: nihil eo in
„ moribus elegantius) merito fateretur. Age vero iis, quæ
„ potiora exiſtimantur in Religione, & graviora ac laborum
„ plena, utpote vigiliæ, jejunia, ſilentium, ſolitudo, &
„ cætera id genus, quis, oro, Maphæo vigilantior, qui ne una
„ quidem nocte divino cultui in templo defuit? Media no-
„ cte tunc ad matutinam ſynaxim per totum anni circulum,
„ ſive æſtate, ſive hyeme ſurgebatur, cum ipſe, aut primus
„ ſemper, aut inter primos conveniret. Abſtinentiam in eo-
„ dem laudare, cibique ac potus parcitatem ſuperfluum du-
„ co: quando jejuniorum obſervatorem, accuratiorem, &
„ delitiarum contemptorem parem illi noverim neminem.
„ Nunquam revera vidi aliquem, qui vino parcius uteretur.
„ In veſtitu ſordes vitavit: nullum tamen unquam veſtimen-
„ tum luxu conſpicuum detulit, ſacræ ſcripturæ lectione de-
„ lectatus aſſidue, orationi vacabat. Et hic ei ſemper mos
„ fuit, ut poſt vigilias nocturnas, aliis abeuntibus, ſolus
„ ipſe in Choro aliquandiu remaneret. Sermo ei fuit parcus
„ & gravis: ſemperque ab omni levitate abhorrens, ſciens-
„ que in multiloquio non deeſſe peccatum, cavebat pro viri-
„ bus prolixiores confabulationes. Idcirco ſtudioſe ſe in cel-
„ lula continebat. Nec inde facile egrediebatur: niſi cum ei
„ ex officio rebus Monaſterii conſulendum foret. Conabatur
„ pater optimus magis facto, quam verbo ad bene ſancteque
„ vivendum provocare filios ſuos, caſtigans quotidie corpus
„ ſuum, & in ſervitutem redigens. Miſericordiam vero, &
„ pietatem, eleemoſynarum largitionem in eo quis dignis
„ ſatis laudibus efferat? Erat ipſe quidem robuſto, ac vege-
„ to corpore, & qui rariſſime mala aliqua valetudine corri-
„ peretur. Neſcio tamen an alium agnoverim, qui illo exti-
„ terit, erga infirmos debileſque clementior. Quos nimirum
„ & crebra viſitatione ſolabatur, & omni fovebat miniſterio
„ charitatis. Egenos, & inopes, aut aliqua calamitate op-
preſ-

„ pressos pro reddituum mediocritate promptissime sublevabat. Quem erga pauperes affectum nunquam ipsum etiam in Patriarchatu exuisse affirmant. Verum de iis, quæ in Olivolensi dignitate gessit, non defuturos dignationi tuæ certiores, ac veriores testes arbitror. Neque enim facile potuit latere lucerna super candelabrum posita. Hoc tantum dixerim, quod quotiescumque contigit mihi patriam revisere, adivi illum sæpius, neque deprehendi aliquid apud ipsum, quod non sanctissimi Præsulis religionem, modestiam, humilitatem, benignitatem præseferret. Neminem de eo referentem audivi, nisi quæcumque vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ; nisi, inquam, quæcunque de optimo Antistite sancto, innocente, impolluto, & segregato a peccatoribus relatu digna videntur. Venio nunc ad explicanda novissima justi hujus, & ad commemorandam ejus dormitionem, quæ profecto vitæ ipsius pie, atque innocenter actæ optime respondisse judicanda est. Defuncto Innocentio Octavo Pontifice Maximo, accersitus est Romam Reverendissimus Patriarcha a Sacro Cardinalium Collegio. Siquidem ante annos aliquot ad Cardineam promotus secreto dignitatem, post mortem Pontificis Cardinalis publice declaratus est. Intersuturus electioni novi Pastoris suadente Illustrissimo Dominio cum festinatione iter arripuit. Insecutus sum ipsum continuo, admonitus per literas Venetiis allatas, ut ita facerem, sicut prædixi, eo quod ad hoc me Dominium hortaretur, ut ipsum in Urbem deducerem. Et ne superfluo longiorem recenseam historiam, quando ad rem nostram minime attineat, quomodo videlicet honorifice a Reverendissimis Cardinalibus fuerit exceptus, jussusque sedere cum Principibus, & tenere solium gloriæ, suffecto in locum defuncti Alexandro Sexto Pontifice, paucis interjectis diebus accepto ab eodem Pontifice comeatu, redire ad Olivolensem Ecclesiam suam constituit. Siquidem considerata Venetæ Civitatis amplitudine, populoque multiplicato super numerum: arbitratus est Pastor bonus, haud minus sua interesse gregis sui curam resumere, quam in Urbe residere. Profectus Roma octavo idus Septembris anno salutis 1492. sequenti die vexari dissente-

„ ria cœpit. Et cum sive fatigatione longioris viæ, sive agi-
„ tatione sellæ gestatoriæ, qua parum commode portabatur,
„ senex ac plenus dierum sisti profluvium haud facile posset:
„ ultra Interamnam progredi nobis non licuit. Accersiti sunt
„ continuo medici tres. Quos benigne contemplatus, animo
„ intrepido exhortatus est, ut si agnoscerent, infirmitatem eam
„ esse ad mortem, sibi aperte denunciarent, quoniam si ad-
„ venisset hora sua, quam statutum esset homini semel mori,
„ quam libentissime demigraret. Commendabat se ipsum Domi-
„ no, & molestias ægritudinis ferens patientissime, nihil de ter-
„ renis cogitans, nihil loquens, sed erecto tantum animo in cœ-
„ lum, nihil magis videbatur expetere, quam transire ad immor-
„ talitatem. Tandem animadvertens se viribus corporis in dies
„ magis destitui: expetiit Confessorem pridie ejus diei, quæ illi
„ futura erat novissima. Postulavit deinde a me, ut sequenti
„ die communicandum se curarem, tanquam prænosceret dis-
„ solutionem sui corporis imminere, & velocem fore deposi-
„ tionem tabernaculi sui. Igitur postera diei, quæ erat quar-
„ tadecima ejus mensis, quæ est Exaltationi Crucis Domini-
„ cæ dedicata, celebrata summo mane in cubiculo ejus Mis-
„ sa, de manibus meis Sacrosanctam Eucharistiam singulari
„ devotione percœpit. Post meridiem appropinquante vitæ
„ termino, dari sibi extremam voluit Unctionem, ut cunctis
„ Ecclesiasticis Sacramentis munitus confidentius decederet.
„ Quod & factum est, eodem ipso nobiscum summissa voce
„ respondente ad omnia, quæ a ministro unctionis diceban-
„ tur. Et ut certius noverit pietas tua, ad ultimum usque
„ spiritum infirmum seniorem sensu optimo viguisse: eadem
„ fere hora, qua erat migraturus, superveniens Roma Secre-
„ tarius Oratoris Veneti, ab eo ad lectulum admissus est, &
„ cum ipso aliquandiu congressus, miratum se postea nobis
„ retulit, quod ad propositum semper omnibus respondisset.
„ Denique egresso Secretario, ingressi sumus cubiculum. Ubi
„ ego assistens propius jacenti patri, licet, quantum me vi-
„ vens dilexisset, non ignorarem, etiam novissima illa sui ho-
„ ra expertus sum. Nam cum supinus jaceret, ad me con-
„ versus admoto ad collum meum brachio suo, tanquam ul-
„ timum vale dicens, deosculatus est me. Eodem fere mo-
„ mento cum jam deficere videretur, accersitis diversorum

Or-

„ Ordinum Religiosis, qui erant in atrio domus, ac lectulum
„ circumsistentibus, & pro foelici jacentis migratione nobis-
„ cum deprecantibus; ipsumque Deo commendantibus de mo-
„ re, dormivit in pace. Reliquit nobis magnum sui deside-
„ rium, quibus nihilominus bene moriendi normam praescri-
„ psit. Obiit autem, sicut asserebant propinqui ejus, septimo,
„ atque octogesimo aetatis suae anno. Corpus ejus ex Inter-
„ amna Urbe Venetias delatum: Exhibitis prius solemnibus
„ exequiis, apud Sanctum Petrum sepulturae traditum est. Haec
„ habui domine colendissime, quae de optimo Patre nostro,
„ olim hujus Coenobii Sancti Michaelis Abbate: postea pa-
„ triae nostrae Antistite antecessore tuo, novissime vero ad Car-
„ dinalatus dignitatem assumpto, Maphaeo, inquam, Gerardo
„ Patritio Veneto censui conscribenda. Erit mihi pergratum,
„ si aliqua ex parte satisfecero tuae dignitati. Sin minus, quod
„ plurimum vereor, tibi ipsi imputabis, qui scriptori mini-
„ me idoneo Patriarchae vita eminentissimi; qui in die-
„ bus suis placuit Deo, & inventus est justus, merita literis
„ tradenda mandasti, & supra vires ejus onus imposuisti. Va-
„ le ex Monasterio Sancti Michaelis Mur. die 29. Nov. 1515.

Quod autem in deferendo suae electionis suffragio nihil deliquisset Maphaeus, nullamque apud Patriam suam incurisset offensam, argui potest ex S. C. quod latum fuit ipso assumptionis Alexandri Pontificis anno 1492. die 10. Septembris, ipso nempe tempore, quo Cardinalis Interamnae gravi dissenteriae morbo afflictus morabatur. Eo Decreto Senatus, cui nihil de Maphaei infirmitate innotuerat, proximum Cardinalis Patriarchae in patriam redditum expectans, mandavit, ut *pro omni bono respectu, accedente etiam continentia litterarum Oratoris Veneti in Urbe*, (quae sane verba dissimulationem potius indicant, ut verum fatear, quam approbationem) Patriarcha Cardinalis in suo redditu *omni bonorificentia* excipe-retur, & *Princeps* ipse cum aurea navi vulgo *Bucintoro* ipsi *obviam ire* deberet.

MCCCCLXXXXII. *Die* x. *Septembris*.

„ Est conveniens pro omni bono respectu, accedente etiam
„ continentia litterarum Oratoris nostri in urbe nunc lecta-
„ rum, quod in hoc reddito in Patriam Reverendissimi Dom.
„ Cardinalis Patriarchæ Venetiarum uti debeat omni hono-
„ rificentia erga personam Suæ Reverendissimæ Dominationis,
„ propterea: Vadit Pars, quod Serenissimus Princeps ire ob-
„ viam debeat cum navi Bucinatoria præfato Reverendissimo
„ Cardinali cum Palaschermis solitis. Præcipiaturque Patro-
„ nis nostris Arsenatus, quod apponant omnem diligentiam
„ in aptari faciendo navem bucinatoriam prædictam, quæ ex
„ illius vetustate amplius supra aquam stare non poterat, &
„ jam nonnullis diebus datum est initium aptamento illius.

Licet autem honores, quos viventi decreverat Senatus, non excepisset morte interveniente Maphæus, ejus tamen corpus ex Interamna urbe Venetias delatum honorifice exceptum fuit, solemnibusque exequiis rite persolutis, terræ demandatum in ipso Patriarchali Templo hac apposita epigraphe.

„ Maphæus Gherardus Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæ-
„ que Primas S. R. E. Cardinalis MCCCCLXXXXII. Locus car-
„ nis proprius terra est.

Pietatem optimi viri testatur etiam sigillum, quod privatis litteris apponere solitus erat, Monasticæ enim professionis in eminenti licet dignitate memor Divum Michaelem Archangelum in ipso effingi mandavit, suæque gentis insignia ad illius pedes apposuit.



VII. Thomas Donatus ex Patritia gente Donato Venetiis in lucem prodiit circa annum Dom. MCCCCXL, cujus pater Hermolaus Senator Clarissimus ab impio ex insidiis confossus die v.

No-

Novembris anno 1450. Christiana charitate proditori ignoscens, insequenti die e vivis excessit. Adolescens itaque Patre orbatus, sub Marinæ Lauretano matris suæ optima disciplina educatus, cum in pietate, & litteris miros progressus fecisset, Ordini Prædicatorum nomen Venetiis dedit anno ætatis suæ XVI. in Sancti Dominici Monasterio, cujus regimen anno Christi 1467. Religionis autem decimo vix expleto suscepit, illudque laudatissime administravit, uti alibi diximus ad Monasteria S. Dominici, & S. Antonii, in quibus ejus sollicitudinem pro tuendis sui Cœnobii juribus, & doctissima opera ex Rovetta, & Echardio enuntiavimus. Prudentiæ igitur æque ac doctrinæ laude conspicuus, a Senatu Veneto in demortui Maphæi Patriarchæ locum cooptatus est die 1. Oct. an. MDII, cujus electionem cum non multo post confirmasset Alexander Papa VI. Patriarchalis dignitatis possessionem iniit die XXVIII. insequentis mensis Novembris, Episcopalis vero consecrationis munus suscepit die XXX. Divo Andreæ Apostolo sacra. Ab Alexandro VI. anno insequenti MDIII. die XXIII. Julii diploma obtinuit privilegia Castellanæ Ecclesiæ ab Eugenio IV, & Calisto III. pridem indulta confirmans (L 2) mox S. Maphæi Majurbiensis Cœnobium sub sua, & successorum jurisdictione ab ipsomet Pontifice subjectum suscepit anno 1496, ut in Italia Sacra legitur Tom. V. col. 1306. Eidem etiam Patriarchæ indulsisse Alexandrum VI. refert Ughellus col. insequenti, ut in Clericos læsæ Majestatis reos justitia mediante procederet. Pontificias epistolas Romæ datas die 25. Januarii anno 1497. exhibet Ughel. loco citato, quibus aliæ addi possunt anno 1502. die 29. Julii Vicario Patriarchali missæ Sixti IV, & Innocentii VIII. diplomata iisdem ferme verbis confirmantes.

Eodem ipso anno die XII. Aprilis idem Pontifex Alexander VI. Ecclesiæ Patriarchalis Venetiarum *decori, & venustati opportune* consulens Archiepiscopo Corinthiensi, ejusque Collegis ad hoc specialiter deputatis mandavit, ut diligenti perquisitione præhabita in Patriarchali Ecclesia Venetiarum *duodecim Canonicatus pro totidem Canonicis* erigerent, quorum electio ad Archidiaconum, & Canonicos ejusdem Cathedralis Ecclesiæ, confirmatio vero ad Patriarcham pertineret, ii autem *duodecim Canonici, & alii, qui loco eorum fuerint eligen-*

di ex numero Plebanorum, qui Collegiatas Venetiarum Ecclesias administrant, perpetuo assumerentur (M 2).

Cum autem XII. annum Thomas Patriarcha in Episcopatu complesset, atque Ecclesiæ ornatum, & Patriarchales redditus laudabili auxisset liberalitate, laboribus magis, quam ætate confectus sexagesimo, & quarto circiter suæ ætatis anno magno cum universæ urbis moerore ad cœlos evolavit, inter cujus exequias solemni pompa celebratas funebrem panegerim recitavit Jacobus Boldu Patritius Venetus typis Joannis Tacuini deinde editam. Demortui cadaver in Baptismale Sacellum Divi Joannis Baptistæ, quod ipse vivens propriis sumptibus non longe a Cathedrali erexerat, tumulatum fuit hac sepulcro incisa epigraphe:

„ Thomæ Donato Patriarchæ Venetiarum Ben. M. Obiit
„ die XI. Novemb. MDIV.

Sacellum Divi Joannis Baptistæ a Thoma Patriarcha erectum fuisse, testantur tum gentilitium Donatæ Familiæ stemma exteriori prospectui appositum, tum ipsius nomen interiori januæ superliminari insculptum.

VIII. Antonius Michaelis Suriani filius anno Christi 1456. Venetiis natus in ipso adolescentiæ flore primo, ut se Deo arcte conjungeret, rigidum S. Brunonis institutum in Patavina Carthusia amplexus & professus est, in quo adeo virtutum omnium splendore emicuit, ut anno ætatis suæ 28. Patriæ Monasterio regendo totius Capituli Generalis assensu delectus fuerit anno 1484, quod per tresdecim fere annos laudatissime administravit. Patavinæ deinde Carthusiæ anno 1497. præpositus, cum ei triennio præfuisset, iterum Veneti Monasterii Prior constituitur anno 1500. Cum vero ejus virtutum, & prudentiæ fama etiam extra Carthusiense claustrum vulgata esset, Senatus Venetus Antonium invitum licet, & reluctantem Thomæ Patriarchæ defuncto successorem plenis suffragiis elegit die 27. Novembris anno 1504. In Episcopatu constitutus nihil de consueta vivendi ratione immutavit, traditque Morocius in Theatro Carthusiensi pag. 57. Antonium inter Pastorales curas, quibus nunquam defuit, *rapta in Deum mente*, ascetica quædam opuscula absolvisse, quibus eximia ejus animi pietas, & solitudinis amor manifeste produntur. Quadriennio Ecclesiam sibi commissam integerrime rexit, magnum-

gnumque sui desiderium cum universis reliquisset ad æternam pacem migravit anno 1508, cujus cadaver, exequiis in Cathedrali rite persolutis, ad Carthusianum S. Andreæ de Litore Monasterium, prout ipse jusserat, delatum, ibidem in marmoreo sepulcro conditum fuit hac apposita inscriptione.

D. O. M.

„ Antonio Suriano Patriarchæ Venetiarum Antonius Eques
„ & Augustinus Fratres Michaelis filii Patruo Benemerito P.
„ vixit ann. LII. M.V.D.XXIV. obiit MDVIII. anno Patriarcha-
„ tus sui IV.

IX. Ludovicus seu Aloysius Contareno parentes habuit clarissimos Moysem Contareno, & Catharinam, seu ut Veneto vernaculo vocant, Catharuciam Mauroceno, quorum studio in litteris, & Sanctorum scientia pie educatus anno ætatis suæ XVI. Canonicis Sæcularibus S. Georgii in Alga adnumerari postulavit, quorum deinde Congregationem Rector Generalis septies egregie direxit. Doctrina & prudentia non minus, quam morum sanctimonia illustris, dum S. Mariæ ab Horto Monasterii Priorem ageret, plenis Veneti Senatus suffragiis ad Patriarchalem Patriæ Sedem evocatur die XIX. Maii anno MDVIII. moxque die VII. insequentis Junii a Pontifice Julio II. confirmatus, consecrationis munere decoratus fuit die XV. Augusti; cujus mensis die XXIV. Apostolicas litteras ei dedit ipsemet Pontifex Julius, quibus decrevit ne rebelles sicarii aliique id generis nequam in Ecclesiis suis & Monasteriis reciperentur, recepti vero a sacris locis ejicerentur, & extraherentur (N 2). Brevi tempore, quo Ecclesiæ præfuit, sese in omnibus præbuit exemplum bonorum operum, nihil enim de consueta vivendi ratione immutans, cum omnia in Ecclesiæ instaurationem, ac pauperes insumeret, solos sibi labores de suscepta dignitate retinuit. Dum itaque Cleri mores sanctissimis legibus, & constitutis in sex urbis regionibus totidem præceptoribus, renovare disponit, morte præventus ad meritorum premia evolavit, ipso suæ electionis anno die XVI. Novembris, cujus corpus in prædicta Sanctæ Mariæ ab Horto Ecclesia tumulatum fuit. Opuscula quædam super psalmos, & de medicina spirituali libellum elaborasse tradit Adnotator Ughelli.

X. An-

X. Antonius Petri Contareno, & Ursæ Barbo filius Ludovici Prædecessoris affinis, Canonicus Regularis Congregationis S. Salvatoris de Bononia, dum in Monasterio S. Salvatoris Venetiarum quarto Prioris munere fungeretur, ad Patriarchalem Sedem Senatu evocante assumitur anno MDVIII. die XXX. Novembris; cui deinde Julius Papa II. Apostolico diplomate omnia Patriarchalis Ecclesiæ privilegia confirmavit anno MDXII. die X. Februarii (O2). Leo X. Pontifex deinde anno MDXVII. die IV. Februar. ad electiones Plebanorum rite peragendas decrevit, ut *occurrente Plebanatuum vacatione, Parochiarum patroni consensum præsentando præstare non possint, nisi, dum & quando in loco solito congregati fuerint* (P2). In hujusmodi dignitatis fastigio constitutus confestim palam fulgere cœpit virtutibus iis, quas dudum privatus homo intra religiosi claustri septum continuerat, quæque omnium, qui eum noverant, benevolentiam illi, & admirationem conciliaverant. Hisce addidit pastoralis muneris propriam, & singularem virtutem, zelum ecclesiasticæ disciplinæ, religiosæque observantiæ, vel tuendæ, vel promovendæ, eaque de causa nullis parcens laboribus omnem curam adhibuit, ut alia atque alia Monialium Asceteria ad regularem vivendi normam revocaret, quippe quæ ab antiquo fervore dilapsa in pravam morum licentiam deciderant. Et Deus quidem piis Pastoris conatibus presto adfuit, cujus assiduam solicitudinem optimo voluit fine compleri. Etenim Monasteria multa disciplinæ laxioris ad mores castigatos, vitæque melioris conversationem excitari cum gaudio vidit, ibique religiosas virtutes iterum reflorescere, unde jussæ fuerant exulare, ut videre est in iis, quos superius illustravimus Monasteriis S. Mariæ de Virginibus, S. Joannis Lateranensis, S. Annæ, S. Marthæ, S. Secundi, S. Blasii de Judaica, & S. Zachariæ. Nec minor fuit Pastoralis sollicitudo sive in Cleri moribus reformandis, sive in Ecclesiæ, Divinique cultus decore augendo; constitutiones enim sanctissimas edidit, quibus Ecclesiastici ordinis splendor, & disciplina mirifice instaurantur, adversus quas cum nonnullis liberioris vitæ homines ad sedem Apostolicam provocassent, Clemens VII, cui Patriarchæ virtus, & legum ab eo latarum sanctitas innotuerat, injustas appellationes extinxit anno 1524. die V. Maii, & laudati Patriarchæ edicta ab omnibus jussit inviolabiliter observari (Q).

Pa-

Patriarchale Palatium propemodum a fundamentis renovavit, in cujus aula Principe, eos, quos antecessores in pastorali dignitate habuerat, pingi curavit, ut ex epigraphe addiscimus ibidem apposita.

„ Quos spectas Antistites, ex iis unus Antonius Contare-
„ nus Patriarcha X. tibi spectandos pia mente curavit MDXVIII.
„ suo XI. Hi namque sunt omnes, qui ab hac urbe condita
„ fuere. Hoc forsan scire volebas. Abi nunc, & vale.

Ecclesiæ Patriarchalis decus auxit duobus Sacellis ære proprio excitatis, quæ *Sanctissimæ Crucis in Jerusalem*, ac *Corporis Domini sacratissimi titulis insigniri* voluit, inque eorum primo, quod insignibus Reliquiis decoraverat, tumulum sibi jussit parari, ut testantur marmoreæ epigraphes parietibus ibidem affixæ.

„ Sacellum hoc, quisquis accedis, venerare, cancellis ferreis
„ Crux clauditur, tribus ex barba Christi decorata pilis,
„ clavo, calice, quo discipulos propinavit, miraculosa gutta
„ sanguinis, Coronæ aculeo, Virginis vestimento, & veræ
„ Crucis fragmento: a quo Ant. Cont. Patriarcha aram nun-
„ cupari voluit, Monumentum sibi posuit, a fundamentis ex-
„ pensis propriis erexit, dotavitque pietatis, & religionis do-
„ cumentum.

„ Cum in altero templi latere Crucis ligno Ant. Cont.
„ Patriarch. aram instituerit Christo Jesu, qui in illo huma-
„ num redemit genus, sedem in altero dicari debere, proprio
„ ære piissime judicavit. MDXVI. Caveat inter hos parietes
„ quis monumentum sibi constituere, Christi enim est.

Sacellum salutiferæ dedicatum Cruci antiquitus Divo Martino Episcopo sacrum erat, quod deinde, ut in eo insignes nostræ Redemptionis Reliquiæ collocarentur, Capitulum Canonicorum supralaudato Antonio Patriarchæ concessit anno MDXI. die XXII. Novembris, ut in eo novum Sacellum ampliori spatio extruere, & altare *sub titulo, quod sibi placeret* erigere, nec non tumulum statuere, valeret. Ut autem novum Sacellum & decore, & redditibus instrueretur, assensit idem Capitulare Cathedralis Collegium, ut Patriarcha *unire posset, & adnectere eidem Capellæ* Ecclesiam Parœcialem S. Martini de Bibano, quæ in Sacillis territorio posita Patriarchatui tamen Venetiarum subjecta erat. His ex unanimi Canonicorum

voluntate statutis, optimus Patriarcha anno insequenti MDXII. die XXVII. Aprilis Ecclesiam S. Martini de Bibano (accedente etiam consensu Vincentii de Stephanis ejusdem Ecclesiæ Rectoris) *eidem Capellæ S. Crucis pro victu ministrorum eidem inservire debentium, & aliarum necessitatum pro tempore imminentium* univit, & incorporavit authoritate ordinaria, cui deinde robur addidit Matthæus S. R. E. Cardinalis Sedunensis Sedis Apostolicæ Legatus Venetiis eo tempore degens, qui unionem a Patriarcha factam, *ut firma & illibata permaneret*, authoritate sui muneris confirmavit anno eodem MDXII. die XXIX. Aprilis; Paucis inde diebus transactis Vincentius de Stephanis supramemoratus, ut unio statuta plenum effectum sortiretur, dictam S. Martini de Bibano Ecclesiam, sponte & libere in manibus ipsius Patriarchæ renuntiavit die IV. insequentis Maii.

Iis, quæ ex Parœciali S. Martini Ecclesia proveniebant, redditibus alios etiam addidit Antonius Patriarcha ære proprio comparatos proventus, ut erecta a se Sacella divinis facilius frequentarentur ecclesiasticis officiis, & ministri alerentur, quos ad decus ipsius Sacelli instituerat, quibus annua voluit assignata stipendia, eisque domos prope Cathedralem Ecclesiam ædificavit, ut ad Divini cultus obsequia ex propinquitate habitationis promptiores adessent. Omnia hæc a se acta & constituta Leoni X. Pontifici Maximo exposuit pius Patriarcha, ejus authoritatem implorans, ut *constructioni, & ædificationi* Sacelli *assignationi, applicationi, & appropriationi* redditüum *pro illarum subsistentia firmiori robur confirmationis Apostolicæ adjicere dignaretur*. Religiosas præces facilis excepit Pontifex, datisque Dominico de Aleppo Episcopo Chisamensi Venetiis commoranti, & Aloysio de Bartholis Archidiacono Venetiarum Apostolicis litteris die 20. Maii anno 1514. eis mandavit, ut diligenti informatione præhabita, si expositas sibi res agnoscerent in evidentem utilitatem Ecclesiæ Patriarchalis cedere, illas authoritate Pontificia approbarent, & confirmarent, quod deinde præstiterunt die 12. Jul. anno 1518.

Rebus itaque omnibus ad ædificationem, & dotationem Sacelli Sanctissimæ Crucis perfecte absolutis, aliud quoque Sacellum, quod pro conservando Dominico Corpore erexerat, Ministris ad Divina officia persolvenda instrui voluit, qua-

pro-

propter anno 1522. die 28. Decembris latiore instrumento, in quo animi sui pietas elucet, idoneos Ministros elegit, quibus & commissa sibi omnia, & statutos redditus assignavit. Mansionarium quoque eodem instrumento constituit, qui in Sacello Corporis Christi a se in Ecclesia S. Salvatoris erecto quotidianam hostiam litaret, ex quo instrumento id quoque addiscimus, piissimum nempe Præsulem in Ecclesia illius Monasterii, quod diuturno suo incolatu, & religiosissimis exemplis decoraverat, voluisse perpetua munificentiæ suæ munera stabilire, quemadmodum & in altero suæ Congregationis domicilio, Cœnobio videlicet S. Antonii de Castello pietatis suæ illustre posuit testimonium, Sacellum nempe ibi ædificatum *Sepulcri Domini nostri Jesu Christi*, ut videre latius est in ipso instrumento, quod extremæ voluntatis dispositionem potius dixerimus, cum omnia in eo disponat, quæ obitus sui tempore exequenda erant. Omnia, quæ ad superius enuntiata Sacella pertinent documenta in unum collecta exhibemus, ad optimi Antistitis memoriam debitis laudibus prosequendam (R 2).

Fluxu autem temporis, cum ex rerum humanarum varietate statuti proventus admodum diminuti fuissent, vixque ullus reperiretur, qui ex tenuitate stipendii commissum sacræ servitutis onus assumeret, Laurentius Priolo Patriarcha Venetiarum ex Clementis VIII. sibi concessa facultate, instituta munera ad breviorem numerum die XV. Jan. anno MDIVC, Patriarchali super hoc edito decreto, redigi curavit. Anno deinde MDCXXVIII. Joannes Theupulo Patriarcha ex Urbani VIII. concessione Sacellum Sanctæ Crucis, Georgio Justiniano Equiti, lato decreto, concessit (S 2), ut in eo decenter ornato corpus tunc Beati Laurentii Justiniani decenter collocaretur; illud tamen Sacellum, reposito ad aram Principem (ut mox dicemus) Sanctissimi Patriarchæ corpore, ad antiquam Sanctæ Crucis nomenclaturam restitutum fuit.

Antonio Contareno Patriarchæ Venetiarum, Constantius Hierothæus Canonicus Regularis S. Salvatoris, dicavit anno 1514. opera varia Origenis a se latine reddita, & Venetiis vulgata typis Lazari Soardi.

Obiit piissimus Præsul anno 1524. die Veneris septima mensis Octobris hora sexta noctis, ejusque corpus tumulatum fuit

in SS. Crucis sacello, quod ipse vivens, ut dictum est, extrui mandaverat.

XI. Hieronymus ex Hieronymo Quirino, & Margarita Georgio Venetiis progenitus post sancte exactos in Prædicatorum Ordine, cui adolescens nomen dederat, triginta fere annos a Veneto Senatu plenis suffragiis electus fuit anno 1524. die 21. Octobris, ut demortui Antonii Patriarchæ locum impleret. Ejus electionem Clemens Papa VII. non solum confirmavit, sed & datis anno 1525. die 10. Febr. ei adhuc electo epistolis indulsit, ut redditus Patriarchalis mensæ ad biennium anticipata solutione distrahere libere posset, adeo ut si contigisset ipsum biennio hujusmodi durante e vivis excedere, prædicti redditus iisdem personis remanerent, quæ anticipatum pretium persolvissent (T 2). Anno inde insequenti die 7. Februar. idem Pontifex Apostolico diplomate ad vota Andreæ Gritti Ducis, & Dominii Venetiarum quasdam edidit constitutiones ad certam ordinatamque Plebanorum Titulatorumque institutionem, quam maxime opportunas (V 2).

Erat quidem Hieronymus vir justitiæ amator, & rigidus ecclesiasticæ disciplinæ zelator, quem nullius studium, neque ullus animi affectus a veritate deflecteret, acris tamen ingenii, & adeo propriæ mentis sententiæ adhærens, ut nulla posset ratione, a suscepto consilio removeri, quapropter dum nimis concitato zelo in Clerum invehitur, atque suæ dignitatis jura fortasse plus æquo extendere conatur, plurimorum odia, simultatesque contraxit. Asperas Hieronymi leges Apostolica lenitate mitigavit aliquando Clemens VII, cum enim sub excommunicationis pœna Patriarcha Plebanis Clericisque sibi subjectis inhibuisset, ne in privatorum domibus etiam facultatem Apostolicam habentium Missam celebrarent, atque ob id regulares cum præjuditio Cleri sæcularis evocarentur; *Plebanis, & Presbyteris Venetiarum* Clemens indulsit die XI. Decembris anno MDXXIX, *ut quotiescumque ab habentibus facultatem in casu necessitatis requisiti* essent, Missas in ipsorum domibus celebrare possent (X 2). Simultates etiam, & controversias, quæ inter Patriarcham, & Clerum suum exortæ fuerant *super electionibus, & præsentationibus ad beneficia ecclesiastica* Venetiarum, cum penitus abstulisset Apostolica authoritate idem Clemens Pontifex, novo deinde diplomate Patriar-

triarcham hortatus est, *ut pro sua, & suæ Civitatis quiete potius viam misericordiæ, quam severitatis eligere vellet* (Y 2) Nec tamen Pontificiis licet monitis eruditus sibi temperavit Hieronymus, qui de juribus suis Patriarchatus ampliandis nimis anxius *Collegiis, Capitulis, & Patronis licentiam eligendi personas ad beneficia vacantia juxta constitutionum tenorem petentibus licentiam ipsam concedere, & personas per eos electas, & sibi præsentatas instituere seu confirmare absque rationabili causa sæpenumero* recusavit. Quapropter Ducis, & Dominii Venetiarum votis excitatus Pontifex constitutiones prædictas novo Apostolicæ confirmationis munimine roboravit, atque Patriarchæ *districtius* inhibuit, ne adversus antiquas probatasque consuetudines aliquid agere, vel intentare præsumeret, utque id firmius observaretur, Hieronymo Barbadico tunc Primicerio Ducalis Basilicæ datis die 30. Maii anno 1532. (Z 2) Apostolicis litteris mandavit, ut si licentias hujusmodi concedere, & personas idoneas rite electas confirmare Patriarcha detrectasset, Legatus Apostolicus, seu eo absente ipse Primicerius *Collegiis, Capitulis, & Patronis licentiam ipsam concedere, & personas per eos electas juxta Apostolicarum litterarum, ac constitutionum tenorem instituere* deberet, quibus deinde constitutionibus Georgius Andreatius Episcopus Clusinus & Apostolicæ Sedis Legatus, alias suæ Legationis authoritate adjecit die 29. Julii anno 1541. ad electionum (A 3) hujusmodi ordinem opportuna. Cum vero ad has quas attulimus controversias aliæ, & quidem majoris momenti inter Patriarcham ipsum, & Legatum *super jurisdictione* utriusque sæpenumero accederent, ita ut *quidquid fere Patriarcha jure suo* instituebat, *Nuntii authoritate* destitueretur, ratus ille se inter tot dissidia pacem ulterius neque cum Clero, neque cum Apostolico Legato habere posse, suæ potius quieti, quam aliorum utilitati consulens, se cuidam *quasi voluntario exilio* addixit, seligens de civitate potius, quam *ullo pacto de jure suo* discedere, *quod sane si non culpa, at non sine nota tum ipsius civitatis, tum Pontificis Maximi tunc viventis accidisse* testatur Paulus Papa IV. in mox efferenda epistola, quam ad successorem ipsius Hieronymi Vincentium Diedo dedit anno 1556. Ne autem ex absentia Patriarchæ aliquid detrimenti paterentur jura Parochialium Ecclesiarum Paulus Papa III. Legato

Apo-

Apostolico in Urbe Venetiarum degenti, atque Primicerio Ducalis Basilicæ die 27. Februar. anno 1542. (B 3) datis epistolis mandavit, ut absente, vel impedito Patriarcha, litteras Apostolicas a Sixto IV, & Leone X. pro juribus Patriarchalium Ecclesiarum tuendis emanatas, & Patriarchæ Venetiarum directas ita exequerentur, *perinde ac si litteræ prædictæ ipsis a principio directæ fuissent*. Alteri etiam malo, quod ex antiqua consuetudine in Clero Veneto irrepserat, quoque divinus cultus imminuebatur, occurrit Apostolico Decreto a Duce, & Dominio Venetiarum, requisitus idem Paulus Pontifex, gravi enim constitutione epistolis Petro Lando Duci, & Dominio Venetiarum datis inserta inhibuit die 29. Nov. eodem anno 1542, quod de cætero nullus in Venetis Ecclesiis ultra unum beneficium obtinere, & retinere valeret (C 3). Ad evitanda etiam detrimenta, quæ novem Congregationum Collegio ob Patriarchæ absentiam eventura metuebantur, Julius Papa III. supplices ejusdem Collegii libellos benigne excipiens Victorem Puteolanum Vicarium, & Locumtenentem Generalem Hieronymi Patriarchæ, Judicem anno 1551 die 30. Jul. destinavit, qui *in absentia ipsius Patriarchæ solum*, ea judicaret, & ageret, quæ ipse Patriarcha facere, & terminare posset, *si præsens & personaliter interesset* (D 3).

Nec tamen, quamvis ob excitatas turbas absens esset Hieronymus, Cleri sibi crediti sollicitudinem dimisit, pueris enim in ecclesiasticis studiis erudiendis magistros prope Cathedralem Basilicam degentes propriis sumptibus instituit, ne tenues ipsius Cathedralis redditus Præceptoris alendi gravi onere distraherentur. Patet hoc ex Apostolico Julii III. diplomate, dato die 28. Martii anno 1553 (E 3), quo ipse Pontifex litem, quam *Alexander, & nonnulli alii magistri in sexterio Castelli deputati* Canonicis Cathedralis Ecclesiæ pro mercede, quam sibi deberi contendebant, injuste indixerant, Legato Apostolico dirimendam delegavit.

Post hæc anno insequenti 1554. Hieronymus Patriarcha, qui in Colle S. Sebastiani prope Vicentiam, in quo sibi habitationem statuerat, Monachi vitam agens die 19. Aug. e vivis excessit, cujus obitus memoriam inter Monasterii regesta signavit Fr. Hieronymus Trivisanus Monasterii S. Dominici Venetiarum Prior, his verbis:

Re-

„ Reverendissimus Dominus D. Hieronymus Quirinus, qui „ ex Prædicatorio instituto ad Venet. Patriarchatum 1524. „ est assumptus, in eo tamen vivendi formam, quam sibi „ ex legibus suæ Religionis servandam præstituerat, perpetuo „ tenuit. A nemine unquam, neque precibus, neque minis, „ quoniam justitiæ tenacissimus erat, suaderi cogive potuit, „ ut ab ea deflecteret, 30. fere anno, quo Venetæ Ecclesiæ „ præest, integris omnibus sensibus, mortemque, ut in Chri- „ sto tandem adjungeretur, quam maxime appetens, requisi- „ tis, perceptisque omnibus Ecclesiæ Sacramentis 86. ætatis „ suæ anno. Religionis vero 64. Vincentiæ in Colle Divo „ Sebastiano dicato, æque, ut vixit, sanctissime moritur 19. „ Aug. 1554. Ejus corpus Senatus Veneti jussu, Venetias de- „ latum in Cœnobio D. Dominici, in quo Monasticam vi- „ tam erat professus, ac multum antea tumulum sibi condi- „ derat eo loci, quo Fratres sepeliuntur, 22. die ejusdem „ mensis, Fratrum manibus sepelitur. Funus celebre juxta „ Reipublicæ morem a Principe, Senatoribusque universis ha- „ betur. Ejus filius sanctæque memoriæ F. Hieronymus Tri- „ visanus ejusdem Cœnobii Prior 8. Kal. Septembris; hæc „ propria manu scripsit.

In emortuali etiam ejusdem Cœnobii libro depositio Hieronymi Patriarchæ taliter memoratur.

„ 1554. Die 19. Aug. Reverendiss. Patriarcha Hieronymus „ Quirinus obiit Vincentiæ, delatus Venetias, sepultus in „ ostio Capituli, in sepulcro sibi præparato, cujus exequiæ „ fuerunt Dominica sequenti a toto Dominio, & Clero, & „ populo cum maxima solemnitate celebratæ.

Sarcophago autem, in quo depositum fuit ejus corpus insculpta fuit hæc epigraphe:

„ Hieronymus Quirinus, ne servi cadaver inferretur, ubi „ corpus conficitur Domini, hic voluit humari, qui adole- „ scens in Thomæ Donati verba primum juravit, quem in „ Monastica dignitate subsecutus, & Patriarcha justi tenax „ imitatus, obiit anno salutis MDLIV. Id. Decembris.

Bononiæ degens anno 1534. Altare S. Dominici, in quo sacrum ipsius Divi corpus quiescit, consecravit, Opera, quæ docto calamo concinnavit *acuminis* sui evidentissima testimonia recensent Roveta, & Echardius. Hi & laudes quoque dignis-

gnissimi Præsulis efferunt, *quem virum alioquin optimum permulta* religione, ac pietate præditum nuncupavit in superiusenuntiato Diplomate Paulus Papa IV.

XII. Petrus Franciscus, Thaddæi Contareni filius vir Laicus dum in Veneta Republica amplissimum Censoris munus ageret, die 21. Augusti anno 1554. Hieronymo Patriarchæ defuncto sufficitur, Senatus enim, qui *ob inclementes* Joannis Baroccii mores in eam sententiam adductus fuerat, ut *Patriarchas e Claustralium Religiosorum numero* assumeret, nimia deinde Quirini severitate exacerbatus ad eligendos e Senatorum cœtu Præsules animum adjecit, fausto quidem consilio, illustres enim viros taliter delectos Veneto Patriarchatui proposuit, quorum primus Petrus Franciscus, cum animi sui virtute, & præclara litterarum doctrina universæ urbis expectationem excitasset immatura morte correptus XVI. sui Præsulatus mense vix expleto in ipsa Dominicæ Nativitatis nocte ad meliorem vitam assumitur anno 1555, de quo illud ex constanti traditione receptum est, quod illibatum virginitatis lilium ad sepulcrum deduxerit. Orator, & Philosophus doctissimus explanationes super libros Aristotelis de Physico auditu concinnavit.

XIII. Vincentius Aloysii Diedo, & Elisabeth Priolo filius Senator Clarissimus e Patavina, quam eximie administrabat, Præfectura ad Patriarchalem patriæ sedem P. C. suffragiis evocatur die 24. mensis Jan. anno 1553, cujus Præsulatus exordia, ut in quiete disponerentur, Paulus IV. Pontifex Maximux datis ad Legatum Apostolicum litteris die ultima Febr. anno 1556. eum hortatus est (F 3), ut cum Vincentio Patriarcha ea semper concordia, & charitate se gereret, quæ Fratres in Christo decet, *hoc enim Divinæ Majestatis & honor, & amor, & timor est, quibuscum reliqua conjuncta sunt*, quæ ad officium pastoralis muneris pertinere videntur. Grave itaque onus cum subjisset Vincentius, in eo omne studium adhibuit, ut collapsum ecclesiastici ordinis decorem in Veneta urbe restitueret, quapropter nonnisi viros moribus laudatos, & doctrina præstantes ad sacros ordines promovere disposuit. Hoc, ut præstaret validius, supralaudati Pauli Pontificis authoritatem, & protectionem imploravit, qui anno 1557. die 12. Maii (G 3) dato Diplomate universis Christianæ religionis

Præ-

Prælatis inhibuit, ne de cætero prætextu alicujus sibi collatæ facultatis, aliquem Venetæ Diœcesis Clericum ad quemvis tam sacrum, quam non sacrum ordinem, absque Vincentii licentia promovere præsumerent. Quatuor igitur in Patriarchatu annis nondum expletis hominem exuit die IX. Decembris anno MDLIX, cujus sepulcro ante fores Ecclesiæ Patriarchalis posito insculptum fuit ipsius nomen *Vincentius Diedus Patriarcha Venetiarum*. Emortuale autem elogium marmori incisum parieti Ecclesiæ affixum fuit.

„ Vincentius Diedus amplifs. magistratibus domi, forisque „ ad quinquagesimum ætatis annum admirabili sapientia, at- „ que integritate perfunctus ex Præfectura Patavina ad hujus „ civitatis Patriarchatum electus, cum in Templi ædium- „ que adjacentium reparationem, & Cleri institutionem ope- „ ram, atque impensam per quadriennium non frustra contu- „ lisset, multis religionis, & prudentiæ præclarissimis exem- „ plis editis, magno totius Civitatis mœrore sexagenarius obiit „ anno salutis MDLIX. VI. Id. Dec.

XIV. Joannes Trivisano Patre Paulo Trivisano, & Matre Anna Mauro Venetiis ortus, Abbas S. Cypriani de Muriano Ordinis S. Benedicti professus, Abbatiam ipsam per renunciationem Joannis Trivisani Patrui sui, concedente Clemente VII. Pontifice, recepit, uti fusius dictum est, quando in Torcello Sacro Ecclesiam ipsam S. Cypriani illustravimus. Dum itaque ei Abbatiæ præesset, Vincentio Patriarchæ, Senatu eligente, suffectus est anno MDLX. ineunte, cujus electionem die XIV. Febr. ejusdem anni Pius Papa IV. confirmavit, eademque die indulsit, ut Monasterium S. Cypriani, simul cum Patriarchali dignitate in commendam, quoad viveret, retineret; nec multo post, die scilicet prima insequentis Mart. eidem Patriarchæ concessit, ut licet S. Benedicti Ordinem expresse professus fuisset, *habitum* tamen, & *alia insignia Episcoporum sæcularium*, quoad viveret, ubique gestare valeret (H 3). Gemino deinde diplomate idem Pius Pontifex Ecclesiæ Venetæ jura, & communivit, & ornavit die enim XIX. Jul. anno eodem MDLX. (quod prius pro Vincentio Patriarcha egerat anno 1557. Paulus IV.) appellationes omnes, & lites, quas Presbyteri ad titulum electi, & a Patriarcha utpo-

te minus idonei ab institutione rejecti quomodolibet, vel ad Sedem Apostolicam vel ad ejusdem Sedis Legatum interposuerant, ad se advocavit, & penitus extinxit (I3), ac deinde anno insequenti MDLXI. die v. Augusti omnia, & singula privilegia a prædecessoribus suis Gradensi Patriarchatui concessa, novo diplomate Venetæ Ecclesiæ confirmavit, & Ecclesiam ipsam Patriarchalem sub sua, & B. Petri protectione suscepit (K3).

Mensæ Patriarchalis redditus Joannes adjecta S. Cypriani Murianensis Abbatia a Sixto V. augeri impetravit, amplo diplomate, Romæ dato die xv. Mart. anno MDLXXXVII, quod relatum legitur in Italia Sacra Tom. v. col. 1318. De ea autem olim celeberrima Abbatia fusius in Torcello Sacro, dictum fuit. Interfuit Concilio Tridentino, ejusque mentionem ingerunt ii, qui ejusdem Concilii acta scriptis exararunt.

Vigesimo sui regiminis anno, Christi nempe 1581, Venetias accesserunt Laurentius Campeggius Bononiensis, & Augustinus Valerius Venetus, ex Gregorii XIII. Decreto Visitatores Apostolici, ut Cleri mores, & Ecclesiarum cultum perspicua sollicitudine inquirerent, & salutari providentia reformarent. Qualem illustres viri (postmodum ob præclara merita in Sacro Cardinalium Collegio cooptati) Ecclesiam Venetam invenerint, ipsi in libello hortatorio ad Clerum Venetum testantur his verbis: "Gregorius XIII. visitandum nunc Clerum Venetum jussit, ex qua visitatione a maxima ejus pietate, & ab amore in vos, & in inclytam istam urbem profecta, utinam ii capiantur fructus, qui sperantur. Nos qui a Summo Pontifice Clerum vestrum visitare sumus jussi, trium mensium spatio, quo vobiscum fuimus, non minimam certe animi lætitiam sensimus. Fuerunt sane multæ, & justæ lætitiæ causæ: singulas enim Parochiales Ecclesias vestras, Episcopales fere Ecclesias recte nuncupaverimus, cum sacris vasis, & Ecclesiasticis ornamentis maxime abundent, non minima etiam Sacerdotum, qui rerum usu præstant, & qui in Pastorali cura sunt eruditi, copia, aliqui etiam vestrum doctrina præstantes, omnes obedientia erga Sanctam Sedem Apostolicam, & amore erga Reverendiss. Patriar-

„ triarcham inter vos perpetuo certantes, in nos etiam, qui
„ vos paterna quadam benevolentia visitabamus, non obscura
„ amoris inditia dedistis. Utemur scribentes ad vos, illis ver-
„ bis, quæ dum apud vos sermonem haberemus, in Sancto-
„ rum Angelorum Templo protulimus, verbis nimirum Bea-
„ tiss. Apostoli Pauli, in Epistola ad Philippenses. Gaudete,
„ Sacerdotes Veneti, iterum dico gaudete: modestia vestra
„ nota sit omnibus hominibus. Gaudete fratres, quod in tot
„ Sacerdotum numero inventus sit nemo, qui vel minima
„ hæreseos labe sit contaminatus, qui ne levem quidem ul-
„ lam pravarum opinionum suspicionem præbuerit. Gaudete,
„ quod in maxime Catholica Urbe vivitis, quod formam pul-
„ cherrimæ Reipublicæ intuemini, quod jucundissima pace
„ ad gloriam Dei fruimini, quod in tanta copia Religioso-
„ rum hominum doctrina varia, & Sanctis moribus præstan-
„ tium viventes, præcepta ad bene beatæque vivendum po-
„ testis sumere, quod divitum, & piorum hominum eleemo-
„ synis sponsas vestras ornatis, quod Gregem nobilem pasci-
„ tis, quod veræ fidei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ
„ defensoribus perpetuis Sancta Sacramenta ministratis, quod
„ in ea urbe estis, ubi virtuti est locus, ubi magno in ho-
„ nore viri boni habentur, ubi nemo bonus Sacerdos unquam
„ eguit, variis etiam titulis non est honestatus. Gaudete, quod
„ in tempus Apostolicæ visitationis Dominus Deus vos reser-
„ vaverit, quod Vicarius Christi paternam de vobis curam
„ habuerit, vosque charitate summa ad munus vestrum ob-
„ eundum hortatus fuerit, benedictione etiam sua vos cha-
„ rissimi fratres adjuverit. Grex Venetus Gregorii XIII. Grex
„ est commissus a Principe Pastorum Christo Romano Pon-
„ tifici. In partem solicitudinis vocatus est Joannes Trivisa-
„ nus, qui viginti ab hinc annos huic Urbi præest, plurima
„ diligentiæ, & amoris erga vos documenta præbens“. Cum
verò per ea tempora Sacerdotes eo bireto uterentur, quod vi-
ris nobilibus proprium est, visum est prudentissimis Visitato-
ribus Venetum Clerum Apostolicis verbis hortari, ut eccle-
siasticum potius biretum in formam Crucis dispositum assu-
merent, neminem tamen ex Apostolico sibi facto mandato ad
deponendum laicum biretum cogi voluerunt: Hæc sunt sua-

via Visitatorum verba ipsi hortationi inserta. " Audiatis Ple-
„ bani Veneti Christum; Qui mollibus induuntur, in domi-
„ bus regum sunt. Quod ad biretum attinet, audivisse vos
„ crediderimus SS. D. N. Gregorius XIII. rerum sacrarum
„ moderatorem, & principem a nobis fuisse consultum, num
„ expediret vos bireto in formam Crucis uti, an illo potius,
„ quod ad hæc usque tempora gestatis, quo laici viri nobi-
„ les utuntur: sic vivæ vocis oraculo respondit Beatiss. Pon-
„ tif., moderatricem, & magistram decoris ecclesiastici, & lau-
„ dabilium consuetudinum esse Sanctam Sedem Apostolicam
„ Romanam, placere, ut illa bireti forma uterentur omnes,
„ quam eadem Sancta Sedes probat, nolle tamen cogi quen-
„ quam, nisi illos, qui ad sacros ordines promoveri petierint,
„ quibus posthac prohibendum esse jubet, ne alio bireto
„ utantur, quam illo quo Romana utitur Curia. Decorum
„ servate fratres, Romano Pont. Christi Vicario obtemperate.

Cum autem Joannes Patriarchali Sedi per triginta annos egregie præfuisset e vita migravit die 3. Augusti anno 1590, quo anno Sixtus V. Romanus Pontifex die 30. Decemb. amplo diplomate indulsit, ut Veneti Clerici licet beneficii, seu patrimonii titulo destituti ad quatuor minores, & sacros etiam ordines promoveri possent, dummodo alicui ex Venetis Ecclesiis *de consensu ejusdem Ecclesiæ Rectoris adscripti essent*. Apostolicas Sixti bullas Italiæ Sacræ inseruit Adnotator Ughelli Tom. v. col. 1322.

Defuncti Patriarchæ corpus post funebre obsequium rite completum sepulturæ demandatum fuit in Patriarchali Templo, in quo Divo Joanni Evangelistæ Altare ipse pridem propriis sumptibus erexerat, atque dotaverat.

Ad aræ autem dexterum latus marmori insculpta hæc leguntur:

„ Joannes Trivisanus J. U. D. Patriarcha Venetiarum, D.
„ Cypriani Abbas omni virtutum genere ornatissimus, & in
„ obeundo munere Episcopali præstantissimus hanc Aram Di-
„ vi Joannis Evangelistæ dicavit, dotavit, & Sepulchrum si-
„ bi vivus posuit CIƆ. IƆ. LXXXVIII.

„ Patriarchales proventus valde auxit, annexa Abbatia S.
„ Cypriani; Sixti Papæ auctoritate, ac Senatus favore. Vi-

xit

„ xit annos LXXXVII. Patriarcha XXX. Abbas LX. Decessit III.
„ Non. Augusti M.D.XC.

XV. Laurentius Patriarcha parentes habuit Joannem de Priolis, & Lauram Donato, quorum sollicita cura educatus, illustris generis splendorem suis virtutibus auxit, dexteritate præsertim, & prudentia in rebus agendis clarissimus, quibus Reipublicæ suæ negotia apud maximos Europæ Principes laudatissime egit. Vix enim publicis officiis initiatus sapiens Ordinum (ut vocant) ad Cosmam I. Magnum Etruriæ Ducem destinatur, eidem de nuptiis Francisci filii sui publico nomine gratulaturus, quam sibi commissam legationem cum egregie obiisset, ad Philippum II. Hispanum Regem anno 1572, mox anno 1579. ad Henricum III. Galliarum Regem designatur. His perfunctus muneribus cum Brixiæ Prætorem ageret, a P. C. ad Patriarchalem Venetiarum Sedem evectus fuit mense Jan. anno MDXCI. Ea ornatus dignitate Ecclesiasticis virtutibus adeo excultus apparuit, ut non inter sæculi negotia versatus, sed in clericali militia a teneris annis enutritus videretur. Clericorum mores exemplo, & sanctissimis legibus reformavit, & erudivit, quem deinde Clemens VIII. Apostolicis litteris datis die XXV. Aprilis anno MDXCII. (L 3), amplissima authoritate munitum hortatus est, ut omnes, & singulos suæ Civitatis, & Diœcesis subditos tam sæculares, quam cujusvis Ordinis regulares, ipsorumque Ecclesias, & Monasteria visitaret, & rite corrigeret, & *ad honestam vitam* regularemque observantiam reduceret, ad quæ validius agenda *Diœcesanam, vel Metropolitanam Synodum* convocaret, *in qua de Cleri reformatione, & pravarum consuetudinum abolitione nominatim* ageretur. Ex Pontificio itaque præscripto non magis, quam ex insita animi pietate Synodum Diœcesanam Laurentius indixit, & in ea constitutiones edidit prudentia, zelo, & discretione mirabiles, quas secunda deinde Synodo coacta auxit, & approbavit. Jurium suæ dignitatis custos vigilantissimus pro iis tuendis indefesse laboravit, & ardua quæque negotia constanti animo prudentique consilio perfecit. His itaque egregiis dotibus, & rerum agendarum peritia clarissimus a Clemente VIII. in amplissimum Apostolici Senatus ordinem cooptatus fuit anno MDXCVI. die V. Junii; cujus mensis die XXX. purpureum biretum obtulit Ascanius Columna Se-

cretus

cretus Pontificis cubicularius. Romam deinde a Pontifice accersitus, atque honorifice exceptus novæ dignitatis insignibus, & titulo S. Mariæ Transpontinæ decoratur, quibus actis ad Ecclesiæ suæ regimen, quod in votis habuerat, inde regreditur, ut inchoatum reædificandæ Cathedralis Ecclesiæ opus absolute compleret.

Labentem vetustate Basilicam a fundamentis restitui pridem jusserat anno sui Præsulatus IV. Christi nempe MDVIC. piissimus Patriarcha, cujus renovationis numisma dedimus in præfatione Tom. VI. mox accepto Romæ pileo in patriam redux exteriorem Templi prospectum e marmore erigi propriis expensis jussit, at rei testem epigraphen apponi.

„ Domus Dei ædificata super firmam petram in longitudi-
„ nem dierum anno sal. MDLXXXXVI. Clemente VIII. Pont.
„ Max. Laurentii S. R. E. Cardinalis Priuli Patriarchæ Ve-
„ netiarum pium monumentum anno sui Patriarchatus VI,
„ Marino Grimano Duce Venetiarum.

Nec multo ab his superstes fuit Laurentius, qui nono Præsulatus sui anno vix expleto laborum suorum cursum felicissime absolvit anno sæculari MDC. die XXVI. Jan., cui universi civitatis ordines solemniori pompa parentarunt. Corpus in Ecclesia Patriarchali humatum fuit, ipsius autem emortuale elogium ad latus aræ visitur, quam Divi Joannis Evangelistæ Martyrio sacram, prout Laurentius Cardinalis ex Testamento jusserat, erexit Marcus Priolus ejusdem Cardinalis Nepos.

„ Laurentii S. R. E. Card. Priuli Patriarchæ Veneti pium
„ monumentum anno sui Patr. VI, Marino Grimano Duce
„ Venetiarum.

XVI. Matthæus Zane Hieronymum Equitem, & D. M. Procuratorem, atque Elisabeth Victurio clarissimos parentes habuit. Patris gloriam æmulatus in primo Reipublicæ administrandæ limine ad Urbinatem Ducem Franciscum Mariam Legatus profectus est, ut ei Veneti Senatus dolorem de Patris obitu, ejusdemque lætitiam de inito feliciter Principatu testaretur. Emmanuelem Sabaudiæ Ducem anno 1575, Henricum Lusitaniæ Regem anno 1578, Philippum Hispaniarum Regem anno 1580, Rodulphum II. Imperatorem anno 1584, ac denique Amurathem Turcarum Dominum anno 1591. legationem Patriæ apud ipsos agens adivit. Parta itaque domi foris-

que

que gloria, dum anno 1060. Consiliarii (quod munus est in Veneta Republica amplissimum) dignitatem sustineret, a publicis negotiis, ad Ecclesiasticum Patriarchatus onus subeundum die 28. Januarii, Senatorum suffragiis, evocatur; quod annos quatuor laudatissime sustinuit. Ecclesiam S. Nicolai de Tolentino a Clericis Regularibus ornatius reædificatam sacra consecratione insignivit anno 1602, indeque anno 1605. die 24. Julii viam universæ carnis ingreditur; cui in Patriarchali sacra æde tumulus positus fuit cum hac epigraphe:

„ Ossa Mathæi Zane Patriarchæ Venetiarum. Obiit MDCV.
„ IX. Kal. Augusti.

XVII. Franciscus Vendramenus ex Marco Patre, & Maria Contareno nobilissima uxore procreatus, vix primos Senatus honores ingressus ad Sabaudiæ Ducem Carolum Emmanuelem Orator destinatur anno 1585, anno deinde 1591. apud Philippum II. Hispaniarum Regem, mox anno 1595. apud Rodulphum II. Romanorum Imperatorem Venetæ legationis munere functus est. Mox anno 1598. ad Henricum IV. Galliarum Regem profectus eidem de pace cum Hispanis inita deque sororis suæ nuptiis publico nomine gratulatus est. Anno demum 1600. ad Clementem VIII, atque anno 1605. ad Leonem XI. Orator designatus secundam hanc Legationem, morte Pontificis interveniente, non obivit. Anno 1605. die 17. Maii Paulo V. recens ad Summi Pontificatus apicem assumpto Legatus extra Ordinem cum aliis tribus destinatus, dum officium sibi creditum exequi disponit, defuncto Matthæo Patriarchæ suffectus fuit eodem anno 1605. die 16. Julii, cujus electionem ob controversias cum Veneto Senatu exortas confirmare distulit Paulus Papa V. usque ad annum 1608. die 22. Maii. Die deinde 18. Jan. insequentis anni 1609. possessionem iniit suæ dignitatis, quam cum integre, & sollicite octo fere annos administrasset a Paulo V. S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Joannis ante portam Latinam declaratus fuit anno ab Incarnatione Domini 1616. Pietate in Virginem Deiparam excelluit, ex cujus singulari affectu ductus nobilissimum ei sub Carmeli titulo Sacellum ex selectis marmoribus ædificari propriis sumptibus jussit, in quo & sibi supremæ quietis locum parari mandavit. Quartodecimo sui Præsulatus anno æræ nempe vulgaris 1619. die 17. Octobris mortalitatem explevit, in

eo

eo quod supradiximus monumento sepultus; nulla tamen apposita tumulo inscriptione, in eo autem sacello insculptum legitur incomptum hoc epigramma.

Olim Franciscus Vendramenus Venetæ Urbis
Et Patriarcha pius dignus & Ecclesiæ
Atlas aut Cardo a Paulo Quinto creatus
Inclyta progenies moribus ingenuis
Fert Fraternæ Evangelistæ Crux simulacrum
Vexillum Christi mors tenet illa manu.

In Ecclesia S. Mariæ Servorum ad pedes Mausolæi, quod Andreæ Vendrameni Ducis memoriæ erectum visitur monumentum (non tamen sibi) poni curavit Franciscus Cardinalis. Hoc testatur incisa epigraphe Franc. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. Vendrameno.

„ Franc. S.R.E. Card. Vendramenus Patr. Venet. Dalma-
„ tiæque Primas Andr. Ducis Pronepos hoc monumentum P.
„ C. Anno MDCXVIII.

XVIII. Joannes Theupulo, quem ex Laura Bragadeno Augustinus Theupulo suscepit, ab ipsa infantia in litteris, & pietate miros fecit progressus. Juvenis, dum prima capesseret Reipublicæ munia, a Deo evocatus Clericali militiæ nomen dedit, & Primiceriali in Basilica Divi Marci dignitate ornatus anno MDC. se ad ecclesiastica studia totum convertit, ut ab eo edita laudatissima opera abunde testantur, quæ inter indicem seu Catalogum ms. texuit, eorum nomina exhibentem, qui singulari sanctimonia in Urbe Veneta floruerunt. Quare crescente in dies pietatis ejus, & doctrinæ fama Francisco Cardinali Patriarchæ defuncto, universa civitate plaudente, anno XDCXIX. die xx. Novembris sufficitur. Auctus tanta dignitate nihil propterea de priore vivendi instituto remisit aut immutavit, in gregis cura sollicitus, in pauperes liberalis, & in Divini cultus augumento religiosus. Cathedralem Divi Petri Ecclesiam, quam a fundamentis renovari Cardinalis Priolus præcessor ejus pridem jusserat, ipse gravibus impensis

sis perfici curavit, cujus absoluti operis numisma Tom. V. Operis hujus in calce Præfationis obtulimus. Piissimi Patriarchæ memoriam multis in locis ingessimus, ubi Beatos illustravimus, quorum effigies ipse in Ecclesia S. Mariæ ab Horto ad perennem ipsorum memoriam depingi mandavit.

In eo autem plurimam operam pius Præsul adhibuit, ut juxta Œcumenicæ Tridentinæ Synodi sanctiones (Seff. 5. c. 1. de Reformat.) Theologalis Canonicatus erigeretur, quapropter cum Jacobus Bagattinus Cathedralis Ecclesiæ Canonicus anno MDCXX. e vivis excessisset, Canonicatus vacantis Præbendam in Theologalem erexit, atque die x. Jan. anni citati, qui Præsulatus sui secundus numerabatur Canonicum Theologalem instituit Joannem Paulum de Saviis virum prudentia, & doctrina clarissimum, qui deinde Sebenicensem, Feltrensem, & Adriensem Ecclesias, aliam post aliam administravit. Electione peracta, Canonicorum Collegium insequenti die Patriarcham adiit, eique modestis verbis significavit, electionem Canonicorum ex antiquo Eugenii Papæ IV. indulto ad Cathedrale Capitulum pertinere, quapropter, cum in sui Præsulis venerationem promulgatæ Canonici Theologalis electioni aquiescere dispofuissent, attamen ex hoc nullum juribus suis præjudicium inferri profitebantur: Quibus a Patriarcha auditis, & humaniter susceptis Joannes Paulus electus dignitatis suæ possessionem iniit. Seriem Theologalium Canonicorum mox post enuntiatos Castellanos Primicerios efferemus.

Quum itaque optima hæc, pro Ecclesiæ suæ dignitate, atque pro utilitate Cleri perfecisset Joannes Patriarcha, meritis, & piis operibus cumulatus, anno XIII. in Patriarchali dignitate nondum expleto, pie, ut vixerat, decedens ad laborum præmia evolavit die 7. Octobris anno 1630, cujus sepulcro in Patriarchali Ecclesia sito insculptæ fuerunt hæc litteræ DDDD, quæ religionem ipsius in perficiendo Domini Templo innuere volunt his verbis: *Dilexi Decorem Domus Domini*. Ipsius laudes, atque amplissima in Ecclesiam merita recenset affixa Templi pilis epigraphe marmori insculpta.

D. O. M.

„ Joanni Theupulo Patriarchæ Venetiarum Ingenii, & ani-
„ mi magnitudine eximio, Innocentiæ, ac Sanctitatis fama Cla-
„ rissimo, qui posthabitis raro exemplo consanguineis, ac
„ divitiis asperitatem secutus vitæ assiduis ad solam Dei glo-
„ riam vigiliis ac laboribus perfunctus plurima eloquentiæ ple-
„ na præsertim de Christi Passione Domini affluenter pie ac
„ mirifice monumenta conscripsit Accademias sapienter insti-
„ tuit, Templum hoc Cathedrale Divi Petri egregium plane
„ opus immensis prope sumptibus a fundamentis in augustio-
„ rem formam restituit dignitatibus, & redditibus decoravit.
„ Ecclesias DD. Bartholomæi, ac Benedicti labentes extruxit
„ Cœnobium Sancti Cipriani igne absumptum instauravit Æ-
„ dem SS. Philippi, & Jacobi D. M. Primicerius auxit, &
„ ornavit. Illustria per Urbem Sacella pene innumera consti-
„ tuit in Oppidis Coloniæ Leonici Montis Silicis Plebis Sac-
„ ci, & alibi ea erexit, ac ditavit amplissimas opes in pau-
„ peres omnes liberalissime effudit celestia ægris auxilia ar-
„ denti animarum salutis zelo attulit, demum ingentibus præ-
„ clare gestis insignis in maxima rerum expectatione Patriæ
„ amantissimus publico luctu decessit Nonis Maii 1631. me-
„ morabile, atque imitandum Pastoris optimi exemplar. Joan-
„ nes Theupulus ex Fratre Nepos tanto Patruo.

XIX. Federicus Joannem Cornelio Ducem Venetiarum patrem habuit, matrem Claram Delphino. Adolescens in liberalibus scientiis eruditus anno ætatis suæ xxi. in Patavino Liceo insignem Doctoratus Lauream consequutus est, mox Clericali militiæ adscriptus Romam se contulit, ibique a Clemente VIII. Clericis quos vocant Cameræ adscriptus, paulo post a Gregorio XV. Episcopus Bergomas renunciatus fuit. Ab Urbano VIII. anno 1626. Cardinalitia dignitate auctus ad Vicentinam primum, mox anno 1629. ad Patavinam Ecclesiam deducitur, a qua deinde ad patriam Patriarchalem Sedem Senatu adligente evocatur anno 1631. peste adhuc per Urbem Venetam fœde grassante. Liberata autem Virginis Deiparæ patrocinio civitate Federicus Patriarchalis dignitatis possessionem solemni pompa iniit anno 1632. Plurima suæ liberalitatis,

tis, & religionis monumenta reliquit, Patriarchalis enim Palatii ædes in augustiorem formam redegit, addito prope Aulam Principem Sacello Divi Justi Martyris nomine insignito, Cancellariæ Archivum temporum fluxu, & hominum incuria incompositum novo meliorique ordini restituit, parvumque ei adhærens Sacellum in Palatii Claustro disposuit Divo Ivoni Presbytero, & pauperum advocato sacrum, cujus diem inter Patriarchalis Palatii festa adnumerari mandavit. Cathedrale Templum a Joanne prædecessore elegantissime absolutum solemni ritu sacravit, cujus rei memoriam effert marmorea tabula Ecclesiæ parietibus affixa.

„ Federicus tit. S. Marci S. R. E. Presb. Card. Cornelius
„ Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas Castellanam
„ Principis Apostolorum Basilicam a D. Magno Episcopo ex-
„ tructam in amplissimi templi forma religiosa Jo. Patr. Theu-
„ poli munificentia redactam instruxit. Francisco de Grassis
„ Clod. & Vinc. Milano Caprul. Episcopis suffragantibus so-
„ lemni ritu consecravit, sacro reliquiarum thesauro ditavit,
„ Sacrarium & D. Justi M. sacellum collapsa restituit. Anno
„ sal. MDCXLII. Dedic. die XII. Sept. qua visitantibus templum
„ ipsum quotannis centum dierum Indulgentiam concessit Ur-
„ bano VIII. Pont. Max. Franc. Ericio Duce Venet.

Veneto Clericorum Seminario ab antiquis ædibus S. Trinitatis, ut novum ex publico voto Deiparæ Virgini sub Salutis titulo Templum erigeretur, digresso Monasterium S. Cypriani in Muriano concessit munificus Patriarcha, in quo & Nobilium Accademiam a præcessore institutam, sed pestis furore dissipatam sollicite renovavit. Cum itaque perfecti Pastoris partes in omnibus suæ dignitatis officiis eximie explesset, ætatis pariter, & podagræ incommodis non leviter affectus muneri renuntiavit summo cum totius Cleri dolore, qui lapideam epigraphen voluit mœroris sui testem extare perennem, in ea enim hæc leguntur:

„ Federico tit. S. Marci S. R. E. Presb. Card. Cornelio
„ urbis Patriarchæ religiosissimo, Joannis Cornelii celebratis-
„ simæ memoriæ Venetiarum Principis optimi pietatis studio,
„ moderatione animi nato dignissimo, mira dexteritate, am-
„ plitudine, prudentia, vigilantia, clementia, tota virtute
„ eminentissimo Pastori, Patrono, Patri benemerenti; ab Ec-

„ clesiæ Patriarchalis vinculo, cujus dignitatem ornavit, Apo-
„ stolica impetrata auctoritate, ab ecclesiasticæ Reipubl. am-
„ pliora commoda absoluto communis mœroris, & amoris,
„ publicæ jacturæ immortale simulacrum, mansuræ tutelæ
„ summæ beatitudinis æternum votum Clerus Venetus addi-
„ ctissimus, mæstissimus P. P.

Romam renuntiato Patriarchatu regressus apud Urbanum VIII. hoc egit, ut ablatum ab aula Regia Venetorum elogium restitueretur, quod deinde ab Innocentio X. ejus successore feliciter impetravit. In ea etiam urbe egregia suæ religionis monumenta disposuit Sacellum enim Seraphicæ Theresiæ Virgini excitavit, in quo & tumulari mandavit, ut signat adjecta epigraphe.

„ Federicus S. R. E. Cardinalis Cornelius, Joannis Vene-
„ tiarum Ducis filius a Clemente VIII. inter Apostolicæ Ca-
„ meræ Clericos adlectus, a Gregorio XV. Bergomatum in-
„ fulæ, ab Urbano VIII. Romanæ purpuræ admotus, mox Vi-
„ centinus Antistes, tum Patriarcha Venetus creatus, cum
„ postremum hoc munus aliena voluntate susceptum sua de-
„ posuisset, deponendi quoque corporis memor D. Teresiæ
„ immortalem aram, sibi ante aram tumulum mortalitati suæ
„ custodem posuit, atque in partem obsequii erga Virginem
„ discalceatorum matrem vocatis cum parente sex aliis ex
„ Cornelia gente Cardinalibus inducens pro exuviis corpo-
„ rum spirantia vultum simulacra, providit vivens quomodo
„ extinctus obsequium æternaret. Anno salutis MDCXLVII.
„ ætatis suæ LXVIII.

XX. Joannes Franciscus Joannis Mauroceni, & Mariæ Bernardo filius, Joannis Francisci Mauroceni Cardinalis amplissimi ex Fratre nepos Abbas sæcularis post renunciationem Cardinalis Cornelio ad Patriarchalem sedem Senatorum suffragiis elevatur anno 1644. die 3. Aprilis. Gravissimo iis temporibus præmebatur Veneta Respublica Cretensi bello, cui bene gerendo, ut præsentem Numinis opem experiretur, se Beato Laurentio Protopatriarchæ marmoreum monumentum erecturam promisit, quod multa impensa absolutum in Sacello Principe prodiit anno 1665. exeunte. Anno itaque insequenti die IV. Jan. Joannes Franciscus Maurocenus Patriarcha sacras Beati Prædecessoris sui exuvias ex antiqua capsa, in qua

dius

diu jacuerant ad ornatissimum sepulcrum publicæ pietatis magnificentia ex selectis marmoribus extructum solemni pompa detulit, ad quas deinde rite colendas Princeps, & Senatus venerabundi accesserunt die 8. ejusdem mensis, quod ut quotannis pia devotione ageretur, religioso S. C. Decreto statutum est. Diligentiam, qua sibi creditam Ecclesiam administravit, testantur ea, quæ in coacta Diœcesana Synodo anno 1663. ad Cleri reformationem observanda decrevit. Præfuit Venetæ Ecclesiæ annis ferme XXXIV. decessit anno Domini 1678, cui elegans Mausoleum erectum visitur in Ecclesia Divi Nicolai Tolentinatis Clericorum Regularium cum hac epigraphe.

D. O. M.

„ Jo. Franciscus Maurocenus Venet. Patriarch. morum in-
„ nocentia, animi constantia Pastorali sollicitudine, in pau-
„ peres beneficentia, in Patriam largitate, immortale Præsu-
„ lum, ac Civium exemplar: Maximis laboribus pro disci-
„ plina Ecclesiastica firmanda susceptis, domesticis Opibus to-
„ to bello Cretico ad evertendos Turcas liberalissime eroga-
„ tis de sua Ecclesia, atque Republ. optime meritus. Obiit
„ Oct. Id. Aug. Ætat. suæ anno LXXIV. Christi MDCLXXVIII.
„ Jo. Franciscus ex Fratre Pronepos H. M. P.

XXI. Aloysius Sagredo Zachariæ Divi Marci Procuratoris, & Paulæ Foscari filius in arduis Reipublicæ officiis optime meruit, anno enim 1662. apud Carolum Sabaudiæ Ducem Legationis munere functus est, unde & equestrem dignitatem obtinuit. Post Nicolai Ducis Fratris sui obitum ad Turcarum Inperatorem anno 1678. die 18. Aprilis Orator destinatus, haud multo post die nempe XI. Augusti ejusdem anni ad Patriarchalem Sedem evehitur, quam per decennium administravit. Duas publicæ pietatis voto Deiparæ Virgini erectas dicatasque Ecclesias S. Mariæ videlicet titulo Salutis, & S. Mariæ de Planctu consecrationis munere decoravit, Synodumque Diœcesanam convocavit, in qua multa statuit ad regimen Ecclesiæ, & Cleri utilitatem opportuna. Obiit anno 1688. in Choro Patriarchalis Ecclesiæ tumulatus, cujus sepulcrum brevi hac epigraphe notatur: *Aloysius Sagredo Venetiarum Patriarcha*. Cum in supremis tabulis Rempublicam extincta gen-

gentis suæ prole mascula hæredem instituisset, benemerito Civi S. C. monumentum in Ecclesia Patriarchali erigi mandavit hoc apposito elogio:

D. O. M.

„ Statuam hanc marmoream in hoc Templo, ubi Præsul
„ fuit Præclaro Civi Antistiti præstanti Aloysio Sagredo, qui
„ bona sua Reipublicæ legavit in grati animi monumentum
„ Senatus ponere curavit. Anno Salutis MDCCXLII.

XXII. Joannes, quem Franciscus Baduario ex Helena Michaelia uxore suscepit, patruum habuit Albertum Baduario Cremensem Episcopum, a quo liberaliter, & pie educatus Cremensis etiam Archidiaconus ordinatus fuit. Abbas deinde Commendatarius S. Petri de Colle, mox Patavinus Canonicus electus, tandem Ducalis Basilicæ S. Marci Primicerius eligitur anno 1681. Eo in munere, cum virtutum omnium splendore emicaret, solemni Senatus electione ad Patriarchalem Patriæ sedem deducitur anno 1688. die 16. Septembris. Pastoralis ejus sollicitudo, & charitas Dei qua fervebat, ab ipsis statim initæ dignitatis primordiis se prodiderunt, ut enim Divinum cultum augeret, & Ecclesiastici ordinis decorem antecessorum lenitate collapsum pristino splendori restitueret, nulli industriæ, nulli labori pepercit, gravissimaque proinde perpessus incommoda. In eo autem omne studium adhibuit, ut Sanctimonialium Monasteria ab omni sæculi consortio divelleret, quod prudenti suavitate potissimum assequutus est, animarum salutem summis conatibus, omnique studio promovit, Christiana Doctrina pueris, Catechismus adultis, ut traderentur, & rite explanerentur adhibitis ad id operis piis viris indefessa diligentia curavit, Academias ad erudiendos in politioribus litteris Clericos in proprio Palatio aperuit, doctos viros præmiis, & muneribus egregie fovit, Conservatorii erectionem, in quo vilioris conditionis meretriculæ ad pœnitentiam exciperentur, ope, & opere sanctissime adjuvit, omnibusque omnia ad eorum animas lucrandas se fecit. Cum igitur Patriarchæ Baduarii zelo, prudentia, & pietate clarissimi fama in dies cresceret, Clemens Papa XI. in numerosa XIX. Purpuratorum Patrum promotione anno Christi 1706. die 17. Maii ab eo

facta

facta ipsum Presbyteri Cardinalis honore insignivit, atque Brixiensi Ecclesiæ Pastore viduatæ præfecit, eo potissimum intuitu, ut nefandas ibidem gliscentes hæreses noviter extingueret, fideique puritatem ab impii Beccarelli erroribus in ea Diœcesi fœde deturpatam, suo candori restitueret. Hoc cum Dei ope protectus egregie præstitisset optimus Cardinalis, ad premia laborum evocatus fuit die 17. Maii anno 1614, cujus prætiosam in conspectu Domini mortem plurima, quæ inde sequuta sunt, miracula comprobarunt.

XXIII. Petrus ex nobili Barbadica gente progenitus Genitores sortitus est Hieronymum Barbadico, & Lucretiam Maripetro. Juvenis a Reipublicæ administratione ad Ecclesiastica munia evocatus, Primicerii Divi Marci dignitatem sibi a Silvestro Valerio Duce Venetiarum collatam suscepit, quo in munere cum præclarum pietatis, & vigilantiæ specimen edidisset, Joanni Baduario Cardinali ad infulas Brixienses translato suffectus fuit 1706. die 25. Junii. De Cleri reformatione sollicitus nullum nisi spectata doctrina, probatisque moribus ad ecclesiasticos ordines promovere inviolate decrevit, a quo consilio nulla spe, timore nullo unquam potuit dimoveri. Hac agendi ratione Baduarii prædecessoris sollicitudinem æmulatus id tandem assequutus est, ut Venetus Clerus doctrina, & probitate cæteris Italiæ urbibus præluceret ad exemplum. Subjectas sibi Ecclesias, ut in eis Divinum cultum firmaret, attentissime visitavit, & coacta anno 1714. Synodo Diœcesana plurimas ad Cleri, & Ecclesiarum utilitatem edidit constitutiones. Anno tandem 1725. die 1. Maii ætatis suæ LIV. Præsulatus vero XIX. nondum expleto obiit, in Parochiali Divi Viti Templo sepultus, ut innuit emortualis ejus epigraphe.

„ Petri Barbadici Patriarchæ Venetiarum Cineres. Vixit in Patriarchatu Annos XVIII. Menses X. dies vero XXIV. Ob. Kalendis Maii MDCCXXV. Ætatis suæ Annorum LIV.

XXIV. Marcus ex Gradonica familia, Hieronymo D. Marci Procuratore Patre, & Donata Foscari Matre in lucem editus fuit. Clericali militiæ ab ipsa juventute nomen dedit, in qua cum ecclesiastici viri virtutibus, ac præcipue in pauperes misericordia eluceret, Filopopoliensis in partibus infidelium Episcopus, & Aquilejensis Patriarchæ cum jure futuræ successionis

nis Coadjutor eligitur, mox anno 1714. die 1. Octobris Joanni Francisco Barbadico Episcopo Veronensi ad insulas Brixienses evecto sufficitur. Eo in munere cum optimi Præsulis numeros omnes adimplesset, Senatus universi unanimi voto plausuque ad patriam Ecclesiam regendam assumitur die 5. Maii anno 1725. Misericordiam in egenos, quæ ab infantia secum creverat, adeo coluit, ut non modo universos suæ dignitatis proventus, sed & amplos domus suæ, qui sibi advenerant, redditus profusissime in pauperum alimoniam erogavit. Divino quoque cultui addictissimus Patriarchalis Ecclesiæ pavimentum bicolori marmore suis sumptibus stravit, & venerandam (ut referunt) Divi Petri Apostoli Cathedram, qua Antiochiæ primum sedisse traditur, ex humili loco in eminentiorem ornatioremque situm disposuit, eidemque marmoream epigraphen, ne venerabilis sacræque adeo antiquitatis memoria deperiret, adjici mandavit.

„ Cathedram hanc Antiochiæ sedit D. Petrus annos VII.
„ Michael Orientis Imperator Theophili filius Petro I. Gra-
„ donico Veneto Duci Don. An. D. MCCCX.

Petrus Trandonico, ex quo familiam Gradonicam originem duxisse traditur, *Dux sublimatus est anno Domini* DCCCXXXVI. desiitque vivere ab iniquis interemptus anno DCCCLXIV. Michael vero Theophili filius *Patre defuncto cum Theodora Matre sua sumpsit Imperium Anno Domini* DCCCXLII, (ut notat Dandulus, & Calmetius), qui postea ob tyrannidem jugulatus fuit anno DCCCLXVII. Conveniunt itaque utriusque Principis tempora ab anno 842. electionis Michaelis ad annum 864. obitus Petri Ducis. Quid autem notet annus MCCCX. ab imperito in epigraphe signatus, mihi dubium est; fortasse annum posuit, in quo Petrus Gradonico alter Dux Venetiarum adhuc in vivis degebat, quem tamen annum mors Michaelis quatuor, & ultra sæculis præcessit.

Ex hoc arguitur, quænam fides in antiquis rebus adhibenda sit inscriptionibus nostri ævi, quarum specimen dedimus in epigraphe S. Mariæ de Virginibus.

Donationem hujusce Cathedræ recensent nonnulli ex Venetis Chronologis, quos inter Joannes Carolus Sivos his verbis: " Michiel Imperator per li molti favori ricevuti dalla „ nostra Republica le mandò a donare la Cattedra de piera,

sopra

„ sopra la quale fu sentato Pietro Apostolo primo Papa, la qua- „ quale fu posta in Chiesa di Castello dietro all' Altar Grande.

Nota autem marginalis in Codice Ambrosiano ad Chronicon Andreæ Danduli Ducis lib. 8. cap. 3. par. 1. apposita asserit Cathedram hanc marmoream, in qua primum Divus Petrus Antiochiæ sedit, donum fuisse Michaelis Imperatoris Constantinopolitani ob collatas suppetias missum Joanni Particiaco Duci, qui Petrum Trandonicum in dignitate præcessit: *Sunt qui scribant Michaelem Imperatorem Græcorum ob impetrata auxilia a Duce Venetorum, Joanni Particiaco dono misisse Cathedram marmoream, in qua primum D. Petrus Antiochiæ sedit, quæ post Altare majus in æde D. Petri, & nunc extat.*

Contra hujusce muneris veritatem nullum plane dubium moveri potest, siquidem a Michaele Theophili filio Imperatore ad Ducem Venetiarum Petrum Tradonico missum fuisse testantur vetustissimi rerum Venetarum Chronologi, ex quibus hauserunt Sivos, & Pinellus eruditissimus Chronici Danduliani adnotator, quibus etiam fidem adstruit antiquissima, quam ipsi exceperunt Venetæ Ecclesiæ traditio. Accedunt ejusdem Cathedræ tota forma litteræ insculptæ, & incisa ornamenta, quæ simul omnia opus hoc in Orientali plaga elaboratum, & inde huc advectum evincunt.

Quoniam vero in id genus rebus solerti examine utendum est, & minutiora quæque non negligenda, ne certa dubiis, & vera falsis admixta vitientur, idcirco cum litterarum characteres mihi non satis gnaro Orientales viderentur, placuit hanc etiam inveniendæ veritatis viam adire. Non quod de traditione dubitarem, quam certam & compertam habebam, sed de re ipsa: nimirum ut cognoscerem, an characteres a peritioribus haberentur tales, qui in ætatem Principis Apostolorum Antiochiæ sedentis cadere possent: Neque enim dissimulabo, ægre admodum adduci me potuisse, ut crederem, primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus, quum inter paupertatis, & persecutionum angustias succrescebat, Sanctissimum Apostolorum Principem voluisse, aut potuisse, talem sibi Cathedram ponere marmoream, nobilem, & mirifice ornatam, quæ Ecclesiam de Idolis & Tyrannis victricem melius decet, nec commode ad modesta, & obscura illa exordia referri potest.

Hæc mecum reputans figuram Cathedræ delineari jussi, pro-

ut in adversa pagina conspici potest, & exemplar in æs incisum cum ad alios, tum potissimum ad Clar. Virum Josephum Assemanum misi in alma Urbe Roma Prælatum, quem cum alia doctrinæ ortamenta, tum singularis Orientalium linguarum peritia mirifice commendat. Nihil opportunius præstare poteram. Vir doctissimus, & characteres probe novit, & interpretationem addidit, quam notis etiam eruditissimis illustravit. Itaque, ut veritati consulatur, & meritus Clarissimo Authori honor reddatur, interpretationem hanc, & adjunctam illustrationem verbis ejus ipsissimis vulgabo.

In medio Cathedræ: *Civitas Dei Antiochia.*

In circitu Cathedræ: *Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & potestas tua usque ad terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vasa figuli conteres eos. Opus Abdallæ Servi Dei.*

Sedes tua Deus in sæculum sæculorum
Virga æquitatis virga regni tui.

Inscriptio Arabica litteris antiquis quas Cufenses appellant.

„ Antiochiæ nomen *Theopolis* seu *Civitatis Dei* indictum
„ fuit anno Christi 528. Vide Theophanem, & Cedrenum ad
„ ann. 2. Justiniani Imperatoris.

„ Antiochia ab Arabibus capta anno Christ. 637. Heraclii
„ Imperatoris 28. Cedren.


„ Ab anno 637. ad 742. nullus Antiochiæ sedit Patriarcha.

„ Sub Isamo Arabum Chalipha Stephanus Syrus ordinatus
„ est Antiochiæ Patriarcha. Theophanes ad ann. 1. Constantini
„ Copronymi.

„ *Hic* (Isamus) *Sanctam Antiochiæ Ecclesiam, Pastore jam*
„ *annos* XL. *viduatam, Arabibus nimirum Patriarcham eligi*
„ *prohibentibus, pristino statui reddidit. Quemdam enim mo-*
„ *nastici instituti Syrum nomine Stephanum, sibi familiarem,*
„ *rusticioribus quidem moribus, sed pietate clarum, Christianis*
„ *in Oriente positis, si modo hunc admitterent, Patriarcham eli-*
„ *gendi liberam fecit potestatem. Qui divinitus hoc fieri arbi-*
„ *trati, ipsum Stephanum in Theopolis throno Episcopum collo-*
„ *cant, atque ad hunc usque diem nullum impedimentum a*
„ *Saracenis afferunt.*

„ Usque ad annum 637. Arabicus sermo non fuerat Antio-
„ chiæ usurpatus.

Usque







Pietro Monaco scol.



„ Usque ad ann. 742. nullus Antiochena in Urbe sedere „ permissus fuerat Patriarcha, postquam illam Arabes occu- „ paverant.

Hæc igitur (ut ex superius dictis liquido constat) Cathedra octavo sæculo est constructa, post annum scilicet DCCXLII, neque illa certe usi sunt aut ipse Apostolorum Princeps, aut quisquam ex ejus in Antiochena Sede ante annum illum successoribus. Neque idcirco, tam nobile monumentum Ecclesiasticæ antiquitatis admiratione, & veneratione carere debet, verisimile enim est, Cathedram hanc in memoriam & cultum Sancti Petri Apostoli, qui Antiochiæ sedit, fuisse erectam.

Non in dissimilem sententiam eunt doctissimi, & ornatissimi Viri de Cathedra Sancti Petri, quæ Romæ visitur, & in memoriam Principis Apostolorum, qui Sedem Antiochia Romam transtulit, super aram magnifice elevatur, neque enim verisimile dici potest, ut Cathedram marmorem haberet Apostolus ille, qui ligneo altari ad sacra mysteria peragenda utebatur.

Nec sit, qui mihi succenseat, si idem sentiam etiam de Cathedra Divi Marci, quæ ex (ut alibi allatum est) Heraclii Imperatoris munere ad Primigenium Patr. Gradensem delata fuit, & deinde in Ducali Basilica collocata, neque enim adeo pronum est credere, Sanctum Evangelistam, qui Principis Apostolorum Præceptoris sui paupertatem, & modestiam æmulabatur, sibi erexisse, aut erigi permisisse Cathedram supra eorum temporum conditionem adeo magnificam.

Ut ut res se habeat, mihi sat est, juxta institutum meum veritatis fontes adiisse, & aliis indicasse, ut quæ vel dubia sunt, vel fabulosa, a certis, & incertis secernantur.

Libet huic sacræ antiquitatis ornamento adjicere prætiosiores hujusce Templi thesauros, quorum tamen aliquos enuntiavimus dum sacras Sanctorum Sergii, & Bacchi Martyrum ibidem translatas exuvias retulimus, & veneranda Antonii Contareno Patriarchæ munera in Sacellis disposita recensuimus. Iis itaque addere opus est, dexteram Sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi, & Martyris manum, quam ex antiqua ejusdem Sancti Murianensi Abbatia ad hanc Ecclesiam transtulit Joannes Trivisano Patriarcha, dum ex Pontificia Sixti V. indulgentia ejusdem Abbatiæ jura Patriarchatui Ve-

neto adnexa fuerunt. Corpora S. Lucillæ Virg. & M. & alia plurima Sanctorum Mart. ossa ex Cœmeteriis Romanis eruta huic Ecclesiæ donavit Joannes Franciscus Mauroceno Patriarcha Venetiarum.

Quum autem, ut de sacris Cathedralis Ecclesiæ Reliquiis verba daremus, occasionem nobis obtulerit Marci Gradonico Patriarchæ religio, quæ cum in exornanda Principis Apostolorum Cathedra, tum in aliis Divini cultus officiis clarissime enituit, oportet modo, ut ad ipsum redeamus: Extremum diem explevit optimus Patriarcha anno 1734, & in sarcophago Canonicorum, quibus consepeliri mandaverat, tumulatus fuit: Ne autem tanti viri emortualis memoria deperiret, lapidi sepulcrali incisa fuit hæc epigraphe:

„ Hic in domo Pulveris congregati in unum Cineres Ca-
„ nonicorum Patriarchalium expectant Beatam spem in die
„ Domini, quibus eximia charitate conjunctus Marcus Gra-
„ donico Patriarcha, in morte quoque non est divisus XVIII.
„ Kal. Dec. MDCCXXXIV.

XXV. Franciscus Antonius de Venetiis, ex eo nomine, quod in Seraphicæ Capuccinorum Religionis ingressu assumpsit, Venetiis ortus a Laurentio Corrario Patre, & Peregrina Gussoni Matre in lustrali lavacro Franciscus vocatus fuit. Adolescens rei militaris tyrocinia in navali patriæ suæ classe posuit, quo in munere per omnes fere militiæ gradus ad maximum ipsius classis imperium (absoluto bello Peloponnesiaco secundo) pervenit. Ad arctiorem deinde Seraphici instituti militiam, Deo inspirante, amplexandam excitatus eidem nomen dedit in Capuccinorum (ut vocant) Fratrum Religione anno MDCCXXX, ex qua deinde ad Patriarchale onus subeundum evocatur anno MDCCXXXIV. die XVIII. Novemb. septimo sui Præsulatus anno Christi nempe MDCCXLI. Synodum Diœcesanam coegit, quæ mense Aprili peracta fuit, qua vix absoluta, cum ruri apud Montaneanæ oppidum relaxandi animi gratia se contulisset, ibidem inopinate decessit die XVII. Maii eodem anno MDCCXLI. Cadaver ipsius in Patriarchali Templo delatum ibidem in gentilitio majorum suorum sepulcro tumulatum fuit.

Præter superius enuntiatas Synodos, novimus alias etiam fuisse convocatas a Divo Laurentio Justiniano, Andrea Bondume-

dumerio, Thoma Donato, & Antonio Contareno Patriarchis, quarum acta ad nostras manus non pervenerunt.

Diœcesanas Synodos coegerunt multi ex Castellanis Episcopis, ex quibus aliqui in Constitutionibus, & Privilegiis Patriarchatus Venetiarum typis Pinellianis in lucem editis recensentur, confuse tamen, & minus attenta ipsorum dignitate, siquidem aliquis, qui Episcopus Castellanus nuncupatur, corrigendus est, ex eo quod revera fuerit Patriarcha Gradensis, ideoque Synodus licet in Castellana Urbe convocata, non Diœcesana, sed Provincialis enuntianda est, ex quo etiam emendari poterunt Ecclesiasticæ Tabulæ ad Divini Officii recitationem quotannis confectæ, quæ iterato errore referunt Concilium Ægidii Episcopi Castellani, de quo utpote Patriarcha Gradensi verba fecimus Tom. III. pag. 22. In constitutionibus igitur antedictis enuntiantur Episcopi Castellani primum Dominicus, Angelus, Thomas, & Bartholomæus, nullo tamen adjecto ipsis agnomine, quo ab aliis homonymis Episcopis discriminentur. Hoc novimus in Concilio Bartholomæi Episcopi fuisse statutum, ut *Natalia Sanctorum, vocabulis quorum Ecclesiæ Civitatis, & Diœcesis nominantur, solemniter cum novem lectionibus celebrarentur*, quod tamen *mandatum* a Bartholomæo *non sumpsit exordium*, sed jamdudum *a prædecessore suo*, ut ipse testatur, *Apostolica* dicebatur *authoritate firmatum*. Prædecessor autem Bartholomæi Quirini I. fuit Thomas Francus, & Bartholomæi Quirini II, Simeon Maurus. Rambertum quoque Polum, Angelum Delphino, Angelum Corrarium, Franciscum Bembo, & Marcum Lando Synodos convocasse novimus. Ex Synodo autem Marci Landi constitutionem afferimus, ex qua addiscimus ipsius tempore nempe circa annum 1416. Presbyteros latis manicis, apertis vestibus, & caputio usos fuisse, *corrigias* vero, *sive zenturias argenteas* vel deauratas solis Doctoribus fuisse permissas: " Item quod de
„ cætero aliquis in ordine clericali vel minoribus constitutus
„ non audeat, aut præsumat portare manicas largas, nisi dua-
„ bus palmis: nec apertas vestes a parte inferiori ante, vel
„ retro: & non audeant portare bandam caputii trascenden-
„ tem cingulum sub pœna solidorum quadraginta, pro me-
„ dietate accusatori, & pro medietate Curiæ Episcopali ap-
„ plicandorum. Item quod aliquis Clericus, aut Ecclesiastica per-

sona

„ sona non audeat portare corrigias, sive zenturias argenteas,
„ aut deauratas; nisi sit doctor, aut in dignitate constitutus;
„ nec etiam annulos aureos, vel argenteos sub pœna amis-
„ sionis rerum prædictarum, applicandarum Curiæ Episcopali.

XXVI. Aloysius Foscari Patri homonymus Pisanæ Mauro filius, vix in Patriis honoribus initiatus, ut Deo liberius inserviret, Clericali militiæ adscribi voluit, nec multo post Patavii in illustre ejus Urbis Canonicorum Collegium adnumeratus fuit, ubi cum Ecclesiastici viri virtutibus emicaret, in defuncti Corrarii Patriarchæ locum, evehentibus Senatorum suffragiis, collocatur die XXV. Maii anno MDCCXLI; quem deinde die III. Julii ejusdem anni Benedictus XIV. Apostolica authoritate Venetiarum Patriarcham datis ad eum Pontificiis epistolis (M 3) instituit.

Quamvis omnes Venetiarum Ecclesiæ, quæ Patriarchali jurisdictioni subjacent, Basilicam Principis Apostolorum veluti Cathedralem, & matrem agnoscant, attamen illæ peculiari titulo Filiales nuncupantur, quæ Cathedrali ipsi quatenus Matrici adhærent. Quinque autem sunt, quæ Matrices vocantur scilicet Cathedrale Templum S. Petro Apostolo dicatum, Basilica Ducalis Sancti Marci, Ecclesia Sancti Silvestri olim Patriarcharum Gradensium sedes, Ecclesia Sanctæ Mariæ Formosæ, & Ecclesia Sanctæ Mariæ Jubanico. Cum vero, ubi tres has Ecclesias Parochiales illustravimus, ipsarum quoque filiales Ecclesias enuntiaverimus, reliquum est ad rei complementum, ut Ecclesias quoque Patriarchali Templo, & Ducali Basilicæ subjectas recenseamus.

Ecclesiæ filiales Sancti Petri de Castello.

S. Crucis de Luprio, SS. Simonis & Judæ Apostol., S. Simeonis Prophetæ, S. Joannis Decollati, S. Mariæ Matris Domini, S. Martini Ep. C., S. Apollinaris Ep. M., S. Nicolai Ep. C., S. Basilii Ep. C., SS. Euphemiæ & soc. VV. MM. de Judaica, S. Luciæ V. M., S. Mariæ ad Elisabeth, de Litore, S. Hieremiæ Prophetæ, S. Leonardi C., SS. Hermagoræ, & Fortunati MM., S. Fuscæ V. M., SS. Trinitatis, S. Blasii Ep. M., S. Antonini M., S. Joannis Baptistæ in Bragora, S. Martialis Ep. C., S. Mariæ Magdalenæ, S. Eustachii M.

Eccle-

Ecclesiæ filiales S. Marci Venetiarum.

Sancti Geminiani Ep. Conf., Sancti Juliani Mart., Sancti Bassi Ep. M.

Conditum jacet in hac Patriarchali Ecclesia corpus Antonii Pizzamano Episcopi Feltrensis viri piissimi, qui a plurimis scriptoribus Beati titulo insignitur, de cujus sepultura hæc affert Ughellus Tom. V. Venetæ edit. col. 1181. " Beatus An-
„ tonius Pizzamanus Episcopus Feltrensis vir doctissimus, &
„ sanctissimus migravit Venetiis anno Domini 1512. sepultus
„ in Æde Patriarchali Sancti Petri in Castello, cujus corpus
„ octavo anno post integrum repertum quasi pridie tumula-
„ tum esset, & multi prodigiis illustratum ". Eadem ferme exhibet in Feltrensibus eodem Tomo col. 376. his verbis:
„ Antonius Pizzamanus Nobilis Venetus, Feltrensis Episco-
„ pus renuntiatus est 1504. die 25. mensis Augusti. Litteris
„ & sanctimonia vitæ fuit clarissimus. Venetiis decessit 1512.
„ sepultusque est in Cathedrali Ecclesia S. Petri de Castello,
„ cujus deinde corpus, ut Leander Albertus refert, repere-
„ runt incorruptum, inclaruitque miraculis. Scripsit de intel-
„ lectu, & intelligibili, de dimensionibus interminatis, de
„ quærenda solitudine, & periculo vitæ solitariæ.

Quoniam autem dignissimi viri mentio facta est, non abs re fore putamus, duo hoc loco afferre S. Veneti C., ex uno quorum colligimus Antonium ad ipsius Senatus preces Episcopatum Feltrensem obtinuisse anno MDIV, ex altero vero habemus, quanto optimus Antistes effulserit innocentiæ, integritatis, & singularium virtutum splendore, unde & Romano Pontifici *carissimus* semper fuit, atque ejus *promptissima, & diligentissima opera* in multis arduisque rebus usus fuit Senatus. Eapropter cum anno MDXII. *vir vitæ profecto exemplari gravi quadam ægritudine* correptus fuisset, decrevit Senatus Oratori suo in Curia Romana committere, ut apud Pontificem Romanum ageret pro deligendo in ipsius Episcopi successorem Gregorium Pizzamanum morientis Antonii Fratrem, *qui per omnem vitæ suæ cursum semper studuerat ipsum Antonium Episcopum imitari*. Res tamen in irritum cessit, siquidem in locum Antonii delectus fuit Laurentius Campeggius, ut videre est

eſt in Italiæ Sacræ loco ſuperius citato. Decreta electionem, & laudes egregii Præſulis afferentia hæc ſunt.

MDIV. Die ultimo Auguſti.

In Rogatis.

„ Contulit Pontifex Max. ad preces noſtras, prout notum eſt
„ huic Conſilio Rev. D. Antonio Pizzamano Prothonot. Apoſto-
„ lico Epiſcopatum Feltrenſem, vacantem per obitum Rev.
„ D. Andreæ Triviſano, prout conſtat per Breve Apoſtoli-
„ cum ſuperinde emanatum. Quapropter:
„ Vadit Pars, quod auctoritate hujus Conſilii ſcribatur, &
„ mandetur Poteſtati, & Capitaneo Feltri, & ſucceſſoribus,
„ ut præfatum Rev. D. Prothonotarium in tenutam, & cor-
„ poralem poſſionem prædicti Epiſcopatus ponat, & poſitum
„ conſervet, cum reſponſione quorumcunque reddituum, &
„ proventuum illius juxta formam, & tenorem prædictæ col-
„ lationis.

MDXII. Die ultimo Octobris.

Oratori Noſtro in Curia.

„ Agitur nunc ſeptimus annus, ex quo Rev. D. Antonius
„ Pizzamanus a Sanctiſſimo Domino noſtro benigne, ac me-
„ rito promotus fuit ad Epiſcopatum Feltrenſem, cujus gra-
„ tia ei non licuit frui amplius, quam per triennium per iſtas
„ belli devaſtationes, & calamitates, nam Civitas ipſa Feltri
„ tota igne ac ferro conſumpta fuit, in qua ipſe Epiſcopus
„ amiſit omnia bona ſua: huc accedit, quod ratione bulla-
„ rum ipſius Epiſcopatus reſtat adhuc debitor ducatorum mil-
„ le ducentorum & amplius, cujus debiti fidejuſſores ſunt no-
„ biles dilecti fratres ejus ad ſummam redacti paupertatem
„ ob ea belli, & temporum incommoda, quæ ſupra attigimus
„ idem Rev. Epiſcopus, quem ſua innocentia, integritate &
„ ſingularibus virtutibus Sanctiſſimo Domino Noſtro non ne-
„ ſcimus cariſſimum ſemper fuiſſe vitæ vir profecto exempla-
„ ris, cujus promptiſſima atque diligentiſſima opera, multis
arduis-

„ arduisque in rebus nostris per hæc tempora usi sumus. Is „ nunc gravi quadam ægritudine affectus, prope extra spem „ vitæ videtur esse constitutus, quod proculdubio erumnosissimum futurum est toti familiæ, nisi opportuno Dominii „ nostri remedio sublevetur. Est autem D. Gregorius Pizzamanus ejus frater clericus Venetus, de quo, ut summatim „ dicatur, is per omnem vitæ suæ cursum semper studuit imitari ipsum Rev. Episcopum. Quamprimum igitur sumpta „ occasione vobis cum Senatu efficacissime committimus, ut „ supplicare nostro nomine debeatis Beatitudini Domini Nostri, ut pro solita sua in nobiles, & benemeritos nostros „ clementia dignetur respicere in hanc miserandam familiam „ conferendo ipsi D. Gregorio Episcopatum prædictum, quod „ certe, & justum, & pium fuerit opus, & nobis quum gratissimum.

„ Et toties auctoritate hujus Consilii replicari possit, quoties opus fuerit ad impetrationem usque Episcopatus.

NOn injucundum Lectori fore existimamus si eos quoque, qui Episcopis Castellanis, & Patriarchis Venetiarum in Gen. Vicariatus officio deservierunt, quotquot ex veteribus, & recentioribus documentis haurire potuimus, chronologica serie exhibeamus, exemplum etiam afferentes ejus sigilli, quo sub Episcopis Castellanis pro sui dignitate muneris utebantur, ut videre est Operis hujus Tom. 1. pag. 151. in Diplomate, quod Bartholomæus Episcopus Agiensis Vicarius Pauli Foscari Episcopi Castellani jussit appensione Sigilli Vicariatus Curiæ Castellanæ muniri.



1235 Benedictus Presb. S. Pauli Vicarius Generalis Petri Pini Episcopi Castellani. Ex docum. Eccl. Castell. signato H.

1260 D. Simeon Maurus Doctor, Sancti Barnabæ Plebanus, Vicarius Illustr. Domini Episcopi Castellani, ut in Instrumento Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ 1260, ita legitur in quodam diligenti Notatorio Cartarum Antiquar. Fuit Episc. Castellan.

1295 17. Dec. Amadeus de Mantua Canon. Polensis Vicarius Generalis Bartholomæi Quirini hujus nominis II. Episcopi Castellani. Ex rog. Raymundi Menardi Provincialis.

1299 Lucas Trivisanus Archipresbyter Gradensis Vicarius Generalis Bartholomæi Quirini hujus nominis II. Episcopi Castellani. Ex Codice Publicorum, & ex Archivo Monasterii Sanctorum Joannis & Pauli ad annum 1300.

1303 Frater Franciscus de Burgo Ordinis Prædicatorum Vicarius Generalis Fr. Ramperti Polo Episcopi Castellani. Ex Archivo Monasterii Sanctorum Joannis, & Pauli. Hic anno insequenti 1304. facultatem indulsit Fratribus S. Stephani Venetiarum Ordinis S. Augustini constituendi Cœmeterium apud ipsorum Ecclesiam, ut patet ex Tabulario ejusdem Monasterii S. Stephani.

1305 15. Maii Marcus a Vinea Archipresbyter Castellanus Vicarius Generalis Ramperti Poli Episc. Castellani. Ex Tabulario Abbatiæ Sancti Gregorii. Marcum Plebanum S. Joannis Chrysostomi, Archipresbyterum, & Vicarium Castellanum recensuit in suis schedis Joannes Baptista Leonarduccius Sacerdos Venetus his verbis; " Marcus Venetiarum Cancellarius 1305. in Catastico Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum pag. 10. t. 1306. Ejusdem testam. rogatum manu Presb. Petri Sanctorum Apostolorum Notarii, in quo Commissarii Plebanus Sanctæ Mariæ Formosæ, & citatus Archipresbyter, & Vicarius Castellanus. Vedi ibi. Ex rogitis Marci Vendelin Diaconi Sanctæ Mariæ Formosæ ". Marcum a Vinea Archipresbyterum Castellanum, & Notarium, ac deinde Gradensem Patriarcham enuntiavimus Tom. III. pag. 23. ut ex testamento Albertini Mauroceni Ducis Sclavoniæ apparet, quod ipse Marcus de Vinea complevit, & roboravit anno 1305. Cum itaque nomen, & dignitas, & temporum circumstantia cohæreant, verisimile est Marcum a Vinea Archipresbyterum & Vicarium Castellanum eodem tempore etiam Parœciam Sancti

cti Joannis Chrysostomi Plebanum administrasse, nisi tamen dubium afferre possit, quod ipse Marcus jam in Patriarchali dignitate constitutus condito testamento nonnullas Venetæ Urbis Ecclesias legati beneficiis affecerit, nullamque de D. Joannis Chrysostomi Ecclesia mentionem fecerit. Quum autem nulla, præallatis, supersint documenta, poterit unusquisque, prout sibi mage placuerit, seu unum, seu duos statuere Marcos Archipresbyteros, & Vicarios Castellanos.

1307 2. Maii Cursendonius Clericus Vicarius Episcopi Castellani recensetur in sententia Saladini Dandulo Abb. Sancti Georgii Majoris lata pro juribus Abbatis, & Monasterii Sancti Cypriani de Murano, & inter Documenta ipsius Monasterii dup. V V signata.

1313 13. Januarii Petrus de Uccellis Archidiaconus Castellanus Vic. Gen. Jacobi Dei gratia electi Castellani concessit licentiam Frigdiano Abbati S. Illarii ducendi aliquem Episcopum ad Sanctum Illarium, qui ibidem Clericorum ordinationes teneat. Ex Tabul. S. Gregorii.

1316 16. Junii Accursius seu Bonacursius Præpositus Pistoriensis Vic. Gen. Jacobi Castellani electi. Ex Arch. S. Mariæ Servorum, ex quo documentum extractum est, & Tom. II. pag. 71. exhibitum. Fuit etiam Vic. Gen. Angeli Delphini Episcopi Castell., ut videre est Operis hujus Tom. I. pag. 182.

1327 9. Jul. Melchius, qui & Melgdius Archidiac. Castel. Vic. Gen. Jacobi de Albertinis Episc. Castell. Ex Archivo Patr. & ex Tabulario S. Georgii.

1331 30. Octob. Nicolaus de Musatariis J. U. D. Vic. Gen. Angeli Delphino Episcopi Castellani. Ex Arch. S. Stephani Venetiarum. De eo Tom. IV. pag. 267.

1340 7. Aug. Nicolaus de Fabris Canon. Eccl. Castell. Vic. Gen. Nicolai Mauroceno I. Episc. Castell. Ex Archivo Monialium S. Catharinæ.

1340 25. Octob. Joannes de Cypro licentiatus in Jure Canonico Vic. Gen. ejusdem Nicolai Mauroceni. Ex Arch. Patr.

1343 25. Sept. Jacobus Dei Gratia Avellonensis Episcopus Vicarius Generalis, & specialis ac Locumtenens Rev. in Christo Patris ac Domini D. Nicolai Mauroceno Dei gratia Episcop. Castell. absentis, de cujus Vicariatu patet publico instrumento scripto manu Bonaventuræ de Frabaldis Imperiali

auctoritate Notarii, & Scribæ Curiæ Castellanæ. Ex Documentis Publicæ Cancellariæ, in quibus ad eamdem diem enuntiatur Religiosus Vir Fr. Dominicus Ord. Carmelitarum socius dicti Episcopi Avellonensis.

1346 3. Sept. Jacobus de Fugatiis de Bononia Decret. Doctor, Nicolai Mauroceni Ep. Cast. Vic. Gen. Ex Arch. Monast. S. Andreæ Venet.

1346 29. Nov. Fr. Stephanus Ord. S. Augustini Episc. Tyriensis Insulæ Vic. Gen. Nicolai Mauroceno Ep. Castell. Ex Arch. S. Dominici Venet. Vide Eccl. Ven. T. IV. pag. 308.

1349 26. Novembris Michael de Salomone Archidiaconus Tarvisinus, Nicolai Mauroceni Episcopi Castellani Vic. Gen. Ita legitur ad calcem diplomatis, quo nonnulli Episcopi Avenioni degentes Indulgentias concesserunt Ecclesiam S. Salvatoris Venetiarum visitantibus; cui quidem diplomati ipse se subscripsit his verbis: *Nos Michael de Salamone Archidiaconus Tarvisinus Rev. in Christo Patris, & D.D. Nicolai Mauroceni Dei Dei gratia Episcopi Castellani Vicarius ipso Dom. Episcopo in remotis agente prædictas Indulgentias per suprascriptos* Episcopos *indultas approbamus, & confirmamus, & eisdem nostrum impartimur assensum pariter, & consensum. Dantes eisdem benefactoribus vere contritis, & confessis quadraginta dies de Indulgentia ordinaria authoritate, & in signum & approbationem prædictorum nostro sigillo mandavimus roborari. Datum Castelli die* XXVI. *Mensis Novembris anno Domini* MCCCXLVIIII. *Indictione secunda.*

1354 Leonardus Leonius Pleb. S. Joannis Baptist. in Bragora, Vic. Gen. Nicolai Mauroceni Ep. Castell. Ex ipsius Leonardi Testamento.

1357 Simeon Maurocenus Pleb. S. Leonis Vic. Gen. Nicolai Mauroceno Episc. Castell. Ex Arch. Eccl. S. Gervasii. De eo Ughellus Tom. V. col. 555.

1365 7. Junii Lucas Ep. Cardicen. Ord. Servorum, Nicolai Ep. Castell. in Romana Curia degentis Vic. Gen. Ex Archiv. Monast. S. Andreæ, ejusdem Vicariatus munus gessit etiam sub Paulo Foscaro Nicolai successore.

1375 Nicolaus Ciera Decret. Doctor Pauli Foscari Ep. Castell. Vic. Gen. Ex Arch. Patriar.

1375 17. Sept. Bartholomæus Agiensis Episc. Vic. Gen. Pauli

li Foscari Ep. Castell. Ex Arch. Monasterii Corporis Domini. Vide Tom. I. pag. 150. Tumulatus fuit in Ducali Basilica in Sacello Baptisterii sub deposito Andreæ Danduli Ducis.

1377 20. Sept. Gerardinus de Robertis Archipresb. Ecclesiæ Bononiensis Vic. Gen. Joannis de Placentinis Ep. Castell. Ex Arch. Patr.

1383 Bartholomæus Gionis de Florentia licentiatus in Decretis Vic. Gen. Angeli Corrario Ep. Castell. Ex Arch. Monast. S. Andreæ. Vide ejus sententiam Tom. I. pag. 216.

1385 3. Jan. Indict. IX. ex qua computandus est annus More Veneto, Christi nempe 1386. *Venerabilis Vir Dom. Marcus Justiniano qu. Dom. Nicolai Procuratoris Vicarius Domini Episcopi Castellani peritissimus in jure Canonico*. Ita reperitur in regestis publicæ Cancellariæ, dum recensentur nomina eorum, qui *fecerunt se scribi ad probam Patriarchatus Gradensis*. Non diu post Marcus Justinianus assumptus fuit ad Episcopatum Coronensem; ut compertum est ex publicis regestis in quibus ad annum 1387. die 26. Martii ejus nomen inter eos, qui se fecerunt *scribi ad probam Archiepiscopatus Cretensis vacantis per obitum Rev. Patris D. Antonii Contareni*, olim Archiepiscopi enuntiatur hoc modo *Reverendus in Christo Pater Dominus Marcus Justiniano q. s. Nicolai Procuratoris Episcopus Coronensis*.

Quod autem etiam Cretensem Archiepiscopatum obtinuerit ex publicis memoriarum codicibus innotescit, in quibus ad annum 1405. hæc leguntur: 1405. *Ultimo Julii. Infrascripti fecerunt se scribi ad probam Episcopatus Veronensis R. P. D. Marcus Justiniano Archiepiscopus Cretæ.*

Circa hæc tempora (ut patet ex autographo Martini V. Diplomate a nobis pridem exhibito, ubi Monasterium S. Laurentii illustravimus, & littera Q signato) Cosmas titulo Sanctæ Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Legatus Apostolicus factus fuit Ecclesiæ Castellanæ Administrator in spiritualibus, & temporalibus Generalis; qui suum Vicarium elegit Antonium de Belanzinis Plebanum Plebis S. Thomæ de Venetiis.

1398 20. Julii Carlotus de Albertis Canon. Veronens. Leonardi Delphino Ep. Castell. Vic. Gen. Ex Arch. Monast. S. Hieronymi Venet. de quo Tom. II. pag. 128.

1401 18. Martii Paulus de Candia egregius Decretor. Doctor Leonardi Delphini Ep. Castell. Vic. Gen. confirmat conventiones initas inter Capitulum Ecclesiæ Sancti Hermacoræ, & Moniales Sancti Hieronymi. Vide Tom. II. hujus Operis pag. 131.

1403 7. Sept. Fr. Hieronymus (Gilius) de Florentia Ord. Camald. Vic. Gen. Francisci Bembo Episc. Castell. Ex Arch. Patriarch.

1405 Mons de Camplo famosus Decretorum Doctor Vic. Gen. Franc. Bembo Episc. Castell. Ex tractatu Thomæ Antonii de Senis.

1414 6. Octobris Dominicus de Esculo Can. Esculanus Jurisperitus, ejusdem Francisci Bembo Castell. Ep. Vic. Gen. Ex Arch. Monast. S. Danielis Proph.

1422 20. Aug. Nicolaus de Paleariis de Cremona Abbas Monast. S. Laurentii de Cremona Decretor. Doctor Marci Lando Ep. Castell. Vic. Gen. Ex Arch. Patr.

1427 16. Martii Andreas Bono Decr. Doct. Abbas S. Gregorii Venet. Petri Donati Ep. Venet. Vic. Gen. Ex Arch. S. Hieronymi Venet. ut videre est Operis hujus Tom. II. pag. 136. Idem quoque Vicariatus munus exercuit sub Francisco Maripetro, & Divo Laurentio Justiniano Episcopo Castellanis, ut ex Documentis Archivi Patriarchalis colligitur. De Andrea Bono Abbate Sancti Gregorii albi multa attulimus, ubi ejusdem Sancti antiquam Abbatiam illustravimus.

1432 Bartholomæus de Benevento J. U. D. Divi Laurentii Justiniani Episcopi Castellani Vicarius Generalis. Ex Archivo Monasterii S. Helenæ Venetiarum.

1442 14. Februarii Vincentius de Recanato S. Laurentii Episcopi Castellani Vicarius Generalis. Ex Archivo Monasterii S. Mathiæ de Muriano.

1449 Nicolaus de Crucibus Decretorum Doctor Plebanus primum S. Geminiani, mox S. Juliani Parœcialium Ecclesiarum, ac postremo Episcopus Clodiensis Vicariatum Generalem Veneti Patriarchatus, quem sub Divo Laurentio Justiniano exercuit, ob probatas prudentiæ doctrinæque dotes sub Maphæo Contareno, & Andrea Bondimerio piissimis Patriarchis continuavit. Quod in Episcopali dignitate constitutus munus Veneti Vicariatus administraverit, id ex publicis regestis comper-

per-

pertum habemus, in quibus ad annum 1461. & diem 9. Oct. nominatim enuntiatur *Episcopus Clugiæ Vicarius Domini Patriarchæ*, qui Præpositum Humiliatorum in S. Mariæ ab Horto Monasterio commorantium duxit ad Patriarcham Andream Bondimerium, ut in ejus manibus *renuntiaret Officio Præpositi dicti Monasterii*. Ex quodam codice ms., in quo extat series Episcoporum Pharensium (di Liesina), collegimus, Nicolaum de Crucibus translatum fuisse ad Episcopatum Pharensem, ejusque nomen etiam in codice quodam ms. sic enuntiatur: *1465. Nicolò dalle Croci Vescovo di Lesina Vicario Generale di Giovanni Barozzi.*

1454 15. Septembris Nicolaus de Quatibus Eximius Decretorum Doctor Vicarius Rev. in Christo Patris Laurentii Justiniano Patriarchæ Venetiarum, cui astitit dum in Torcellano S. Margaritæ Monasterio quinque Monialibus munus benedictionis, seu consecrationis impenderet. Vide Operis hujus Tom. X. pag. 366.

1459 14. Augusti Dominicus Vicarius Generalis Maphæi Contareno Patriarchæ Venetiarum, de quo nihil præter nomen invenire potuimus. De eo sic legitur in Diariis Veneti Monasterii S. Mariæ Servorum: " 1459. 14. Agosto. Per un " paro di bone polastre, e per due libre di confetion al Vi" cario del Patriarcha M. Domenego per la fadiga che l'avè quando fo el caso de quei poveretti F. Mattio, & F. Filippo. " Hic fortasse fuit Dominicus de Groppis Decretorum Doctor, & Notarius, qui in Archivo Ecclesiæ Parochialis S. Barnabæ Apostoli in serie Plebanorum enuntiatur ad annum 1463. Plebanus Sancti Barnabæ Apostoli, & Vicarius Generalis Maphæi Contareno Patriarchæ Venetiarum. Quum autem eo anno 1463. Maphæo Contareno jam ad superos evolato Patriarchatum gereret Andreas Bondumerius, titulus Vicarii referendus est ad anteacta tempora, in quibus munus illud administravit.

1461 Dominus Simon Vicarius Andreæ Bondumerio Patr. Venet. uti videre est Operis hujus Tom. VIII. pag. 351. in sententia superius laudati Patriarchæ, in qua legitur: *Suprascriptus Reverendissimus Dominus Patriarcha Venetiarum, & Delegatus prædictam causam subdelegatam alias Rev. Patri Dom. N.* (Nicolao a Crucibus) *Episcopo Clugiensi, ac Domino Simoni ejusdem Vicariis ad se advocavit.*

1462 21. Augusti Marcus Gonella ex Plebano S. Benedicti Venetiarum, Archiepiscopus Antibarensis Vicarius Generalis Andreæ Bondimerio Patriarcha Venetiarum. Hic dum Venetiis Vicariatus officium laudatissime sustineret, Breve Summi Pontificis accepit, *per quod sibi imponebatur*, *quod ad suum Archiepiscopatum ire deberet*. Hoc Pontificis mandatum cum Xvirali consilio evenisset molestum, Nicolao Sagundino Veneto ad Summum Pontificem Secretario dedit in mandatis, ut publico nomine Sanctitati Suæ supplicaret, quod Archiepiscopum in officio suo permanere concederet, donec Patriarcha de alio sufficienti Vicario sibi provideret. Hæ sunt publicæ litteræ Sagundino missæ.

Nicolao Sagundino Secretario nostro ad Summum Pontificem.

„ Nicolae. Vidimus breve unum Summi Pontificis scriptum „ R. D. Archiepiscopo Antibari, qui erat, & est Vicarius Curiæ Patriarchalis hujus nostræ Urbis, per quod sibi imponitur, quod ad suum Archiepiscopatum ire debeat. At quia „ si idem Dom. Archiepiscopus permitteretur recedere, Curia prædicta Patriarchalis remaneret destituta, & maxime „ a tali ac tanto virtuoso ac perito viro. Ex quo cum nostro „ Consilio X. mandamus tibi, ut habitis præsentibus ad præsentiam Suæ Beatitudinis comparere debeas, & cum illis „ accommodatis verbis, qui tuæ prudentiæ videbuntur, nostro nomine Sanctitati Suæ supplicare debeas, quod dignetur nobis concedere, quod idem Dom. Archiepiscopus, „ remanere, stare, & continuare debeat officium suum, donec Reverendiss. Dom. Patriarcha noster de alio sufficienti „ Vicario sibi providebit 1462. 21. Augusti.

Publicis precibus annuisse Pontificem arguimus ex S. C., quod anno insequenti 1463. latum fuit, in eo enim enuntiatur Archiepiscopus Antibarensis Vicarius Patriarchæ Venet.

MCCCCLXIII. *Die* XXVI. *Maii*.

„ Quod auctoritate hujus Consilii scribi possit oratori Nostro in Curia existenti & Cardinalibus in illa convenienti, „ & honesta forma, quæ videbitur Collegio in commendationem

„ nem Reverendissimi Patris D. Patriarchæ Venetiarum ac Rev.
„ Domini Archiepiscopi Antibarensis ejus Vicarii ; nec non
„ Venerabilis, & Nobilis Civis nostri D. Victoris Marcello,
„ & Prioris, & Fratrum S. Spiritus hujus Civitatis nostræ
„ Venetiarum.

.... Aloysius de Medicis, & Andreas de Crema Jurisconsulti, quos Adnotator Ughelli Tom. v. Ital. Sac. pag. 1305. refert Vicarios fuisse a Pontifice Max. additos Maphæo Girardo Patriarch. Venet.

1476 17. Aug. Antonius Saracco primum Archipresb. Castel. mox Episcopus Milopotamensis, & demum Archiepiscopus Corinthiensis Vic. Gen. Maphæi Girardo Patr. Venet. De eo sæpe sæpius egimus in hoc opere, & præcipue Tom. II. pag. 87, & Tom. III. pag. 141. Accepti adeo fuerunt Dominio Veneto ornatissimi hujus viri labores, ut angustas ipsius facultates, amplissimæ, qua ornatus fuerat, dignitati impares, adjectis beneficiis adjuvari decreverit. Ita ex Xviralis Consilii Decretis innotescit.

MCCCCLXXXIII. Die XI. Augusti.

In Consilio Decem.

„ Quod Rev. Patri Domino Antonio Saracco Archiepisco-
„ po Corinthiensi Civi nostro Veneto, & fidelissimo, qui sem-
„ per studuit optime mereri de Statu nostro, & est pauperi-
„ mus, nec potest dignitatem Archiepiscopalem sustinere, de
„ benignitate hujus consilii detur possessio tot beneficiorum
„ in terris, & locis nostris tam a parte terræ, quam a par-
„ te maris, quæ ascendunt ad summam ducator. cc. non de-
„ rogando tamen per præsentem concessionem illis, quibus
„ per hoc consilium, & per consilium Rogatorum provisum
„ est de aliqua summa beneficiorum.

Collata itaque viro dignissimo fuerunt, aliud ex alio sequentia beneficia.

Canonicatus Montis Silicis reditus ducat. L.

Archidiaconatus, & Canonicatus Tarvisii reditus duc. L.

Canonicatus Asili reditus ducat. V.

Clericatus S. Justinæ de Solico reditus duc. VII.

Beneficium de Carpenedo reditus duc. . . .

Altare S. Georgii Montis Bellunæ reditus duc. . . .

Beneficium de Carpenedo intelligitur Plebanatus Ecclesiæ SS. Gervasii, & Prothasii de rure Carpenedi in Diœcesi Tarvisina, non longe ab Oppido Mestris, cui tunc temporis præerat Presbyter quidam nomine Nicolaus Pacis. Eo defuncto Plebanatum sibi obvenire contendebat Gulielmus de Rubeis Plebanus Ecclesiæ S. Fuscæ Venetiarum, obsistente sibi Antonio Archiepiscopo, qui Plebanatus possessionem pridem inierat, quare controversia ad Xvirale Consilium delata statutum fuit anno 1486. die 12. Augusti, ut Archiepiscopus *in possessione dicti beneficii* remaneret, *ad quod* fuerat *admissus, & jampridem introductus per ordinarium in satisfactionem, & executionem litterarum Capitum Consilii X. ex deliberatione ipsius Consilii.*

Collata sibi beneficia quum lente admodum, & difficulter consequeretur Archiepiscopus, atque septennii spatio *ex ipsis nisi pro valore Duc.* LXII. *annualium assecutus* esset, ad præsentiam Capitum Consilii X. accessit, suamque paupertatem, & grave multorum Nepotum ex Fratre onus, quod sibi advenerat, exposuit; ut ex publica liberalitate aliquod sibi munus deveniret. Supplicantis vota excepit Xvirale Consilium, latoque Decreto statuit, ut officium quoddam publicum *Sansaria del Fontego de Todeschi* nuncupatum, uni ex ipsius Archiepiscopi Nepotibus concederetur.

MCCCCLXXXX. *Die* XVIII. *Augusti*.

„ Provisum fuit per hoc Consilium Rev. D. Antonio Saracho Archiepiscopo Corinthiensi, & Reverendiss. Patriarchæ Venetiarum Vicario, ut habere deberet tot beneficia Ecclesiastica in terris, & locis nostris, quæ caperent summam, & valorem CC. Duc. & hoc promeritum suum, modo lectum, & declaratum, & quoniam idem Rev. D. Archiepiscopus, visa tarditate, & difficultate, quæ est in possendo consequi beneficia Ecclesiastica, qui ad hanc usque diem non est assecutus ex ipsis nisi pro valore Duc. LXII. annualium, & propterea ad præsentiam Capitum Consilii Nostri X. comparens, & post expositam paupertatem suam, & quanto onere Nepotum ex fratre gravetur, humiliter supplicaverit

„ verit illis provideri, de una Sansaria, & statero loco dicto-
„ rum beneficiorum Ecclesiasticorum, & honesta petenti non
„ sit denegandus assensus. Eapropter
„ Vadit Pars, quod auctoritate hujus Consilii ex nunc ca-
„ ptum sit, & provisum, quod in recompensa beneficiorum
„ Ecclesiasticorum, quæ habere restaret pro adimplenda con-
„ cessione sibi facta per hoc Consilium præfatus Rev. D. Antonius
„ habeat unam Sansariam in Fontico Theotonicorum pro uno
„ nepotum suorum ex fratre, sicuti ipsi D. Archiepisc. vide-
„ bitur, & cujus nomen idem D. Archiepiscopus teneatur, &
„ debeat infra triduum Capitibus hujus Consilii declarasse, &
„ hoc post alias concessiones, si quæ forte antehac fuissent con-
„ cessæ per Dominium.
„ Die xx. Augusti præfatus Rev. D. Archiepiscopus nomi-
„ navit Benedictum Saracum ejus nepotem.

1493 10. April. Jacobus de S. Daniele Patavinus Decretorum Doctor postulatus Archidiaconus, mox electus Primicerius Castellanus, & Vic. Gen. Antonii Suriano Patriarchæ Venetiarum. De eo, quod postulatus fuerit Ecclesiæ Patriarch. Archidiac. testantur publica regesta, in quibus hæc leguntur.

MCCCCXCIII. die x. Julii. In Consilio Rogatorum.

Oratori in Urbe.

„ Quemadmodum nudius tertius per alias nostras ex deli-
„ beratione Collegii nostri vobis scriptas declaravimus, ita per
„ præsentes nostras cum Senatu nostro vobis replicamus, &
„ affirmamus, quod cum nuper vita functus fuerit Archidia-
„ conus Ecclesiæ Patriarchalis hujus urbis nostræ, quæ prima
„ est dignitas post Patriarcham nos ingenti affectu & ex cor-
„ de cupimus illam nobis reservari, & propterea cum capi-
„ tulum Canonicorum postulaverit, & institerit, ut ad Ar-
„ chidiaconatum prædictum promoveatur, & confirmetur Ve-
„ nerabilis Decretorum Doctor fidelissimus civis noster Pata-
„ vinus D. Jacobus de S. Daniele Sacerdos doctissimus, exem-
„ plari vita, virtute, & moribus insignis impræsentiarum Vi-
„ carius Reverendiss. Dom. Patriarchæ Venetiarum, nobis &
„ universæ civitati nostræ gratissimus. Volumus, & cum Se-

„ natu nostro prædicto imperamus supplicetis Beatitudini Pon-
„ tificis dignetur in gratiam nostram nobis complacere de Ar-
„ chidiaconatu prædicto, & respectibus antedictis promovere,
„ & confirmare suprascriptum D. Jacobum, quod sane habi-
„ turi sumus, ut quam gratissimum & acceptissimum, & si
„ fortassis aliquis subditorum nostrorum, quicumque fuerit,
„ tentaret se opponere huic desiderio; & vellet optinere, aut
„ jam optinuisset dictum Archidiaconatum, ei nostro nomine
„ injungetis, ut quantum caram habet gratiam nostram discedat
„ ab hujuscemodi testamento, & quidquid jam optinuisset in tali
„ negotio revocet, & renunciet: quoniam nullatenus passuri
„ sumus, ut alius quisquam, quam prædictus Dom. Jacobus
„ Archidiaconatum nostrum possideat, & hæc est constans
„ mens, & intentio nostra, & ut cuncta vobis innotescant,
„ scitote, quod & si dictus Archidiaconatus sit prima digni-
„ tas in ipsa Ecclesia post Patriarcham, attamen non excedit
„ valorem florenorum ultra XL. in anno.

Electus deinde fuit Primicerius Castellanus, nec multo post a Parochianis Ecclesiæ S. Bartholomæi assumitur ad Vicariatum ipsius Ecclesiæ; eam tamen dignitatem non obtinuit, eo quod electio hujusmodi de jure esset Patriarchæ Venetiarum, qui alium ad id muneris evocarat.

1503 31. Aug. Joannes Franciscus Zucconianus J. U. D. Pleb. S. Thomæ Vic. Gen. Antonii Contareno Patr. Venet. De eo Tom. IV. pag. 233.

1523 22. Dec. Octavianus Brittonius J. U. D. Antonii Contareno Patriarch. Venet. Vic. Gen. quem memoravimus Tom. IV. pag. 123.

1525 21. Aug. Cæsar Baccotius J. U. D. Protonot. Apostolicus Vicarius perpetuus S. Bartholomæi; Vicar. autem Gen. Fr. Hieronymi Quirini Patr. Venet. de eo egimus ad Eccl. S. Bartholomæi Tom. I. pag. 353.

1522. Mense Martii Philippus Clavellus J. U. D. Can. Concordien. Vic. Gen. Fr. Hieronymi Quirino Patr. Venet. Ex Arch. Canonic. Castell.

1532 2. Julii Marcus Stella Canon. Corcyrens. Vic. Gen. Fr. Hieronymi Quirini Patriarch. Venet. Ex Bulla Clement. VII. confirmationis Nicolai Morarii in Plebanum Sancti Pantaleonis.

1541 Marcus Bettegha J. U. D. Pleb. S. Leonis Vic. Gen. ejusdem Patriarch. Quirino. Ex Arch. Patriarchali.

1545 Victor Puteolanus (da Pozzo) J. U. D. Vic. perpetuus S. Bartholomæi Vic. Gen. supradicti Patriar. Quirino. Qui deinde anno 1551. creatus fuit a Sede Apostolica Vic. & Locumtenens Gen. absente eodem Patr. Quirino. Ex Arch. Patr.

1573 11. Nov. Joannes Rennius J. U. D. Protonot. Apost. Vicarius perpetuus S. Bartholomæi Vic. Gen. Joannis Trivisano Patr. Venet. Ex Archivo Patr.

1590 Desiderius Guido J. U. D. Vic. Perpetuus S. Bartholomæi Vicarius Generalis Joannis Trivisano Patr. Venet.

1592 Joannes Mozzanegha J. U. D. Protonot. Apost. Vic. perpetuus S. Bartholomæi Vic. autem Gen. Laurentii de Priolis Patr. Venet. Ex Synodo I. ejusdem Patr. Prioli pag. 3.

1611 Scipio Bonaverius Vic. Gen. Franc. Vendrameno Patr. Venet. Ex Arch. Patr.

1614 Robertus Cusanus J. U. D. Vic. perpetuus S. Bartholomæi, & Vic. Gen. Franc. Card. Vendrameno Patr. Venet.

1617 Angelus Boscherius Pleb. S. Geminiani J. U. D. Vic. Gen. Franc. Card. Vendrameno Patr. Venet. Ex Arch. S. Laurentii, & S. Geminiani.

1630 Franciscus Lazzaronus J. U. D. Protonot. Apost. Pleb. S. Angeli, & Vic. Gen. primum Federici Card. Cornelio Patr. Venet. mox Joannis Francisci Mauroceno itidem Patr. Venet. De eo mentionem fecimus ad Monast. S. Clementis in Insula, & ad Ecclesiam Parœcialem S. Angeli.

1632 Joannes Paulus Savius Episcopus Feltrensis Vic. Gen. Federici Cardinalis Cornelio Patriarchæ Venetiarum, qui ejusdem Vicariatus munus agens electus fuit ab Urbano VIII. delegatus Apostolicus ad excipiendam resignationem Ecclesiæ Parochialis S. Ambrosii vulgo S. Bruson in agro Patavino positæ. Ejusdem Pontificis Apostolicas litteras exequutioni mandavit die 30. Junii 1632.

1633 Georgius Polacco J. U. D. Federici Cardinalis Cornelio Vic. Gen. Ipsius laudes dedimus ad Monasterium Sanctæ Luciæ Venetiarum.

1646 6. Martii Joannes Antonius Suardus Comes J. U. D. Joannis Francisci Mauroceno Patr. Venet. Vic. Gen. Ex Arch. Eccl. S. Fantini in processu Reliquiarum.

1646 Joannes Baptista Fabris Pleb. S. Lucæ Vic. Gen. Joannis Francisci Mauroceno Patr. Venet. Ex Archivo Patr.

1653 Bartholomæus Giera Sac. Theol. & J. U. D. Vicar. perpetuus S. Bartholomæi, & Joannis Franc. Mauroceno Patr. Vic. Gen. Ex Arch. Patriarch. Fuit deinde Ep. Feltrensis.

1671 Joannes Franciscus Montanarius J. U. D. Vic. perpetuus S. Bartholomæi, & Vic. Gen. supradicti Patr. Mauroceno. Ex Arch. Patr.

1674 Leonardus de Marinis Sac. Theol. & J. U. D. Protonot. Apostol. Joannis Francisci Mauroceno, & Aloysii Sagredo Patriarcharum Venetorum Vic. Gen. Ex Arch. Patriar.

1688 Joannes Antonius Zampelli J. U. D. Protonot. Apost. Pleb. S. Pantaleonis Vic. Gen. Joannis Baduario Patr. Venet. egimus de eo Tom. II. pag. 263.

1706 Marcus Antonius Ferro J. U. D. Protonot. Apostol. Vic. Gen. Petri Barbadico Patr. Venet.

1716 Marcus Mainardi J. U. D. Petri Barbadico Patr. Ven. Vic. Gen. quo in munere cum se laudabiliter gessisset, a subsequentibus Patriarchis Marco Gradonico, Francisco Antonio Corrario, & Aloysio Foscari coactus fuit sub eodem onere permanere.

Archipresbyteri Ecclesiæ Castellanæ.

1053 Hermagoras. Ex Ughello Vide Eccl. Ven. T. IX. pag. 4.
1152 Henricus Navigajosus. Ex Ughello.
1164 Joannes Cariolo. Ex Catastico S. Moysis.
1255 Joannes Longo. Ex Documento inferius signato M.
1306 Marcus Quirino.
1312 Marcus de Vinea postea Patriarcha Gradensis.
1334 Omnebonum.
1335 Guilielmus.
1353 Servusdei.
1362 Stephanus Pianigo Plebanus S. Stephani Conf. deinde Sancti Pauli.
1369 Simeon Soresinus.
1385 Nicolaus Cordon Presb. S. Geminiani, & Notarius.
1395 Augustinus Blanco Presb. S. Martini, & Notarius.
1404 Marcus Vignati.

1442 Rogerius Cataldo.
1462 Marcus Tomaxino Doctor.
1463 Petrus de Perusio.
1464 Antonius de Saracchis Decretorum Doctor, de cujus electione hæc leguntur in publicis regestis.

MCCCCLXIIII. *Die* XVIIII. *Octobris. In Consilio Rogatorum.*

„ Per Capitulum Canonicorum Patriarchatus nostri Vene-
„ netiarum nuper electus est legitime, & Canonice Archi-
„ presbyter ipsius Ecclesiæ Venerabilis Decretorum Doctor D.
„ Antonius de Sarachis Venetus noster loco Archipresb. defun-
„ cti, habuitque, & habet idem D. Antonius possessionem pa-
„ cificam, sed cupit etiam per Romanum Pontificem confirmari.
„ Vadit pars, quod de re ista scribi possit Summo Pontifi-
„ ci in ea decenti & pertinenti forma, que videbitur Dominio.

1483 Daniel.
1485 Gregorius Polo. De eo hæc leguntur in Necrologio Monasterii S. Mariæ Servorum de Venetiis: 1489. 24. Jan.
„ Gregorius Polus Sacræ Theologiæ Magister, qui ex Archi-
„ presbytero Castellano Monachus effectus, Ordini nostro no-
„ men dederat, Tarvisii Apoplexia correptus occubuit, ibi-
„ demque funebri pompa in Templo Divæ Catharinæ a Ma-
„ gistro Bernardino Ordinis Minorum laudatus tumulo datus est.

1503 Ludovicus Benemerito.
1504 Aloysius de Sabbadinis.
1527 Simplicius de Carminatis Decretor. Doct.
1544 Paulus Gambarello.
1570 Bernardinus Gambarello.
1580 Dominicus Vegla Archipresb. S. Canciani.
1592 Bernardinus Catena.
1606 Franciscus Luranus.

Archidiaconi Ecclesiæ Castellanæ.

853 Vitalianus Archidiac. subscriptus legitur Testam. Ursi Particiaci Ep. Olivolen. Vide T. XI. pag. 46.
876 Joannes Marini Patritii filius postea Ep. Olivolensis.
1142 Joannes Phaletro. Ex Ughello.

1151 Vitalis Michael. Subſcriptus in documento B Eccleſiæ S. Petri de Caſtello.
1181 Dominicus Pino.
1199 Petrus Vitturi.
1216 Petrus Pinus poſtea Epiſc. Caſtellanus.
1255 Thomas Franco poſtea Epiſcopus Caſtellanus.
1283 Jacobus Maglaenzocho Deleg. Apoſt. Martini IV. vide Operis hujus T. VIII. pag. 159. ad Monaſt. S. Georgii Majoris, & Tom. X. ** pag. 226. ad Baſilicam S. Marci. Electus poſtea fuit Pleb. S. Pauli Ap.
1294. 20. Martii Jacobus Gauſonus. Vide T. III. pag. 112.
1296 Joannes.
1303 Joannes de Canali. Vide Tom. XII. pag. 281.
1328 Melius de Prato.
1342 Joannes de Cypro Decret. Doctor. Vide T. III. pag. 122.
1354 Petrus Natali Eccl. S. Vitalis.
1377 Nicolaus Mauroceno. Vide ad Baſilicam S. Marci document. CC: fuit deinde Ep. Caſtel. hujus nominis II.
1396 Paulus Joannes ſeu de Joanne poſtea Ep. Clugien. & deinde Epiſc. Mothonen.
1416. Michael Bono Pleb. S. Pantaleonis.
1419 Leonardus de Valle.
1442 Dominicus a Fornacibus Not.
1453 Urbanus Vignati. Ex Diariis Expenſar. Monaſt. Sanctæ Mar. Servor. Venet.
1455 Joannes Rizzo Not. Pleb. S. Viti.
1465 Joannes Angelus de Bartholis.
1493 Jacobus de S. Daniele.
1493 Bernardus Saracco.
1504 Jacobus de Carionibus.
1527 Aloyſius de Bartholis.
1540 Angelus de Bartholis.
1585 Joſeph de Vitalibus.
1592 Antonius Vibroto.
1606 Petrus Antonius Ribetti.
1624 Joannes Pagnonius J. U. D. & Prot. Apoſt.
1642 Alexander de Franciſcis titul. S. Fuſcæ.
1647 Benedictus Cappis.
1670 Jacobus Zopelli.

1718 Stephanus Sesler.
1729 Antonius Mucca.
1741 Hieronymus Boldù. Fuit Vic. Gen. Capitul. ter Sede vacante.
1743 Joannes Antonius Michaelius.
1751 Maximilianus Offner.

Primicerii Ecclesiæ Castellanæ.

1138 Agapetus Mauro. Ex Ughello.
1153 Nicolaus Menzulo subscripsit Diplom. Joannis Polano Ep. Castellani pro Ecclesia S. Salvatoris.
1169 Andreas Pontini ex Catastico S. Moysis.
1181 Ottho.
1195 Leonardus Conrado Pleb. S. Martini.
1204 Angelus Baroccius, quem Innocentius III. constituit Judicem, & Delegatum Apostolicum in controversia, quæ vigebat inter Monast. S. Salvatoris, & Eccl. S. Bartholomæi de juribus Parochialibus. Fuit Pleban. S. Joannis de Rivoalto, & deinde Patr. Gradensis.
1210 Marcus Lambardo. Ex Cat. S. Margh.
1220 Jacobus Maximiano, qui & Mogrusio.
1242 Leonardus.
1255 Joannes Longo interfuit juramento Valterii Ep. Castell.
1303 Gabriel. Ex Eccl. Ven. Illust. Tom. XII. pag. 281.
1322 Petrus Baccari Jurisperitus, & Publicus Consultor.
1337 Nicolaus de Puteo.
1347 Petrus Spino.
1348 Albertus seu Albertuccius Quirinus.
1364 Nascimbenius de Scarera.
1367 Nicolaus.
1384 Joannes David.
1388 Petrus Pino.
1399 Gabriel ab Equis.
1403 Thadæus Bono.
1425 Antonius Pelacano.
1452 Daniel Catena.
1493 Victor Rizzo.
1503 Jacobus de S. Daniele Decret. Doct., de quo in Vic. Gen.
1505 Daniel de Adamo.

1537 Hieronymus de Accursio.
1574 Vincentius Cursio.
1591 Franciscus Hiloranus seu Luranus.
1606 Hieronymus Blanco.
1631 Franciscus Dei.
1633 Hieronymus Moscatello.
1647 Georgius Enno.
1657 Jo. Baptista de Gobbis.
1658 Joannes Simonetti.
1668 Natalis de Grassis.
1674 Jo. Baptista Moscatello.
1693 Joannes Vacca.
1695 Antonius Santherini.
1721 Franciscus Barbieri.
1730 Gaspar Solta.
1743 Laurentius Bon.

Canonici Theologales Castellani.

1620 10. Jan. Joannes Paulus Savius, de quo inter Vicarios Generales, qui Sebinicensi Ecclesiæ primum, mox Feltrensi, & postremo Adriensi Episcopus datus fuit.

1627 11. Nov. Franciscus Lazzaronus, de quo cum laude egimus inter Plebanos Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Arch.

1632 20. Dec. Bernardus Rota Diaconus Titulatus Ecclesiæ Parœcialis S. Mariæ Formosæ.

.... Franciscus Savius, qui deinde transiit ad Archipresbyteratum Cornecervinæ in Diœcesi Adriensi.

1644 29. Dec. Joannes Jugali Ecclesiæ Parœcialis S. Margaritæ alumnus, qui mox oneri renuntiavit.

1660 24. Martii Franciscus Pasquali Eccles. Patriar. alumnus.

.... Hieronymus Boldù, qui deinde transiit ad Archidiacon.

1741 28. Dec. Joannes Antonius Michaelius. Transiit ad Archidiaconatum.

1743 20. Maii Maximilianus Offner Ecclesiæ Parochialis S. Simeonis Prophetæ alumnus. Translatus fuit ad Archidiaconatus dignitatem.

1751 21. Octobris Cajetanus Depoutez S. Theol. Doctor Ecclesiæ Vicarialis S. Bartholomæi alumnus.

Adria-

Adrianus IV. probibet ne jura Ecclesiæ Olivolensis, seu Castellanæ lædantur.

A. 1155. 1. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

ADrianus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Johanni Olivolensis (1) seu Castellane Ecclesie Episcopo, ejusque successoribus Canonice substituendis in perpetuum. Ex injuncto nobis a Deo Apostolatus officio fratres nostros Episcopos, tam vicinos, quam longe positos debemus diligere, & Ecclesiis, in quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare, ut quemadmodum Patres vocamur in nomine, ita nichilominus comprobemur in opere. Ea propter Ven. in Christo Frater Johannes Episcope (2) tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & Olivolensem Ecclesiam, cui Deo auctore preesse dinosceris, ad exemplar predecessoris nostri fel. mem. Pp. Lucii Apostolice Sedis privilegio duximus muniendam. Sanctorum quippe Pontificum decretis constat esse statutum, ut nemo alterius terminos usurpet, nec alterius Parochianos judicare, aut excommunicare presumat, ut nullus primas, nullus Metropolitanus, nullus unquam reliquorum Episcoporum alterius adeat Civitatem, aut ad possessionem accedat, que ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est Parochie (3) super cujusquam dispositione, nisi vocatus ab eo, cujus juris esse noscitur, ut quicquam ibi disponat, vel ordinet, aut dijudicet. Quo circa per presentis scripti paginam prohibemus, & prohibentes statuimus, ut in Olivolensi, que & Castellana dicitur Ecclesia, vel in ejus Diocesi nullus Patriarcha, nullus comprovincialis Episcopus sine licentia tua, vel successorum tuorum Ecclesiarum, aut Clericorum, vel sanctimonialium consecrationes, seu benedictiones agere presumat, nec potestatem habeat inibi Crisma conficere, pueros Crismate confirmare, nec excommunicationes, aut absolutiones facere; Illud etiam adicimus, ut in eadem Parrochia sine voluntate vestra passim Episcopor. convocatio fiat, nisi comprovincialis concilii gratia; quod & ipsum cum vestre caritatis conscientia disponatur, nec ibidem nisi pro graviori necessitate inmorentur ultra terminos a canonibus constitutos. Preterea nullus eorum sine licentia vestra audeat Ecclesie vestre Clericos, aut illic aut alibi ordinare vel retinere, neque de publicis criminibus penitentias indicere. Porro tam B. Marci Ecclesia, quam cetere Ecclesie vel Ecclesiarum Clerici intra eandem Parrochiam sub vestra obedientia, & dispositione consistant. Inobedientes vero juxta Sanctorum Canonum sanctiones tue potestatis coherceantur arbitrio. Sane de Monasteriis SS. Illarii, Georgii, Nicolai, S. Crucis, S. Zacharie, S. Laurentii, S. Herasmi (4) & S. Servuli eamdem vobis obedientiam permanere sancimus, quam predecessores vestri obtinuisse noscuntur. Porro Abbates in vestra Parochia constituti publicas mis-

(1) Quamvis Henricus Contarenus titulum mutasset Olivolensis Ecclesiæ, eamque Castellanum nuncupari voluisset, attamen sæpe sæpius, tam Ecclesia, quam Episcopi antiquo titulo nominabantur.

(2) Joannes Polano, cujus nomen illustravimus.

(3) Parrochia hic ponitur pro Diæcesi.

(4) Monasterium S. Erasmi vocabatur illud quod nunc S. Secundi dicitur olim a Sanctimonialibus Benedictinis excultum.

ſas in Eccleſiis non ſuis minime celebrare preſumant. Sancimus etiam, ut illi, qui in veſtra Parrochia aſſidue commorantur, & quibus tam ipſis, quam eorum familiis ſpiritualia miniſtratis, decimas vobis abſque alicujus contradictione perſolvant. Prohibemus autem, ut nullus Epiſcopus nullus Abbas eis tam ſanis, quam infirmis publice penitentiam injungere vobis inconſultis, niſi forte mortis urgente articulo, audeat. Ad hec adicientes decernimus, ut quaſcunque poſſeſſiones, quecunque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte, & legitime poſſidet, aut in futurum Canonice preſtante Domino poterit adipiſci firma tibi tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum & intemerata permaneant. Salva in omnibus Apoſtolicè Sedis auctoritate. Si quis igitur in poſterum huic noſtre conſtitutioni temere contraire temptaverit, ſecundo, tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo corpore & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti quatenus, & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniat. Amen Amen Amen.

Ego Adrianus Catholice Eccleſie Epiſcopus ſs.
✠ Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus ſs.
✠ Ego Centius Portuen. & S. Rufine Epiſc. ſs.
✠ Ego Guido Presb. Card. tt. S. Griſogoni ſs.
✠ Ego Hubaldus Presb. Card. tt. S. Praſſedis ſs.
✠ Ego Manfredus Presb. Card. tt. S. Sabine ſs.
✠ Ego Julius Presb. Card. tt. S. Marcelli ſs.
✠ Ego Ubaldus Presb. Card. tt. S. Crucis in Hieruſalem ſs.
✠ Ego Octavianus Presb. Card. tt. S. Cecilie ſs.
✠ Ego Johannes Presb. Card. S. Joannis & Pauli tt. Pamachii ſs.
✠ Ego Johannes Presb. Card. tt. SS. Silveſtri & Martini ſs.
✠ Ego Oddo Diac. Card. S. Georgii ad velum Aureum ſs.
✠ Ego Guido Diac. Card. S. Marie in Porticus ſs.
✠ Jacinthus Diac. Card. S. Marie Cosmedin ſs.

Datum Beneventi (5) per manum Rolandi S. R. E. Card. Presb. & Cancellarii VIII. Kal. Februarii Indict. IV. Incarnationis Dominice Anno MCLV. Pontificatus vero D. Adriani Pp. IV. anno ſecundo.

(5) E Romana Urbe ab ipſis Romanis civibus expulſus fuerat Adrianus IV. qui per varias Italiæ urbes oberravit, ut remedio eſſet afflictæ Eccleſiæ. Ita Oldoinus in annotat. ad Ciacon. Tom. I. pag. 1061.

Johan

Johannes Polani Episcopus Olivolensis Dominico Gradonico concedit unam petiam terræ in Clugia majori statuto annuo censu unjus libræ olei.

B 1157. Julio.

Ex Autographo in Tabulario familiæ Gradonicæ S. Pantaleonis.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo mense Julio Indictione quinta rivoalto. Scribere rogavi Johannem Presbyterum S. Pauli Notarium hanc documenti paginam. Ego quidem Johannes Polanus dei gratia Sancte Olivolensis Ecclesie Episcopus, cum nostris successoribus dator, qui cartam tradidi, & eam ad scribendum instruxi, ubi & propria manu subscripsi & testes rogavi subscribendum & signum Crucis faciendum. Constat enim me ab hodie sub duplo rei dedisse, & dedi atque tradidisse, & tradidi optime, & absolute sine ulla reprehensione tibi quidem Dominico Gradonico aguello de confinio S. Johannis de rivoalto, & tuis heredibus & proheredibus, seu posteris tuis imperpetuum per futurum possidendum, sub annuali pensione hoc est una pecia de terra posita in Clugia majore. Habentem ipsam petiam de terra in longetudinem suam palmorum pedes triginta quattuor, & in latitudine sua palmorum pedes quatuordecim uno suo capite firmat in calle que sita est juxta cavanna (1) toti Justiniani. Alio namque capite firmat in calle communi, cum totis convicinantibus. (2) Uno suo latere firmat in petrohentio. Alio firmat in Johanne da Gurgo. Tamen vero constitutum & compositum est inter nos de calle & via, & ripa, & cavanna sicut consortes ejusdem loci habitatores debent habere. Hanc autem suprascriptam petiam de terra, cum omni longitudine & latitudine, cum capitibus & lateribus suis, & cum via, & calle, & cavanna, & cum omnibus suis habentiis & pertinentiis intus & foras, secundum quod superius dictum est do, trado, atque transacto in perpetuum possidendum, vel quidquid de ea tibi placuerit faciendum nullo tibi homine contradicente. Salvo tamen censo hoc est unam libram de oleo quia michi meis successoribus, & predicte Ecclesie S. Petri nostri Episcopatus dare, & persolvere debes omni anno in Nativitate (3) S. Petri Apostoli. Si vero aliquo modo predicta terra ad alienandum venerit, quintellum integrum, & censum suprascriptum dare, & persolvere debes michi meis successoribus, & predicto nostro Episcopatu, sine omni intermissione, aut ullo interposito capitulo. Quod si aliquo tempore contra hanc chartam ire temptavero, aut inde aliquid subtraere presumpsero recte te observante, & tuis heredibus, & proheredibus, & persolventibus predictum censum, & quintellum ego, & meis successoribus te inde defensare noluerimus, aut non poteri-

(1) *Cavana* locus est cimbis recipiendis aptatus, plerumque tecto coopertus, & muris circumdatus.


(2) *Convicinantes*, *Vicini*, & *Vicani* appellabantur ejusdem vici, & paræciæ habitatores, quod pariter significatur per voces *Convicinales*, & *Convicanei* ab authoribus medii ævi in usu habitæ.

(3) Idest in solemnitate S. Petri; festa enim Apostolorum & Martyrum vocantur Natalitia, eo quia per felicem mortem ad meliorem vitam renasci meruerunt.

terimus componere promitto, cum meis successoribus tibi, & tuis heredibus auri libras quinque, & hec documenti pagina maneat in sua firmitate.

✠ Ego Johannes Polanus Dei gratia Castellanus (4) Episcopus manu mea scripsi.
✠ Ego Vitalis Michael Castellane Ecclesie electus Archidiaconus m. m. ss.
✠ Ego Nicolaus Menzulo Castellane Ecclesie Primicerius m. m. ss.
✠ Ego Rainerius Presbyter m. m. ss.
✠ Ego Petrus Presb. m. m. ss.
✠ Ego Johannes Presb. m. m. ss.
✠ Ego Ato Presb. m. m. ss.
Ego Johannes Presb. & Notarius complevi & roboravi.

(4) Johannes, qui se dixerat Sanctæ Olivolensis Ecclesiæ Episcopum, se postea subscribit Castellanum Episcopum, quamvis enim sub ejus præcessore Henrico Contareno Episcopatus Olivolensis nomen in Castellani nuncupationem transierit, tamen modo uno, modo altero titulo usi sunt Episcopi, usque ad Johannem Polanum; ut diximus etiam in præcedenti documento.



Clemens Papa III. confirmat sententiam Episcoporum Equilensis, & Torcellani pro susceptione Episcopi Castellani ab Abbate S. Nicolai de Litore in die Ascensionis.

C 1188. 31. Octobris.

Ex Catastico Patriarchali.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Marco Castellano Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Ea que judicio statuuntur, in sua debent firmitate consistere, & Apostolico robore communiri, ne alicujus valeant malignitate per presumptionem turbari. Intelleximus siquidem, quod cum Ven. Fratres Nostri Equilensis (1) & Torcell. Episcopi (2) caussam, que vertebatur inter te & Abbatem ac Monachos S. Nicolai super susceptione tua ab ipso Abbate & Fratribus, in die Ascensionis Domini (3) in missa majori, & ad processionem, & ad refectionem tibi, cum tuis prestandam de mandato nostro appellatione remota diffiniendam suscepissent, tandem super susceptione ipsa, processione, ac refectione rationibus auditis plenius, & intellectis, & veritatem rei per confessionem Abbatis, & Monachorum ejusdem Monasterii sufficienter cognita sententiam pro te diffinitivam tulerunt, quam utique ratam & firmam habentes, ad exemplar bon. mem. Urbani Pape. (4) Predecessoris nostri auctoritate Apostolica confirmamus, & pre-

(1) Vivianus Floravante de quo Tom. X. P. III. pag. 394.
(2) Quis hoc anno Ecclesiæ Torcellanæ præfuerit Episcopus difficile est asserere, cum eorum temporum Torcellani Episcopi Chronicis notis tam electionis, quam obitus careant.
(3) De solemnitate Ascensionis satis discimus, ad Monast. S. Nicolai de Littore, Tom. IX. pag. 61. ad Ducalem Basilicam Tom. X. * * 217. & superius ad hanc Cathedralem pag.
(4) Urbanus III. electus fuit die xxv. Novembris 1185. Obiit die xx. Octobris 1187.

presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominium liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani II. Kal. Novembris Pontificatus nostri anno primo.

Celestinus III. committit Leoni Procuratori Constantinopolitano, ut faciat solvere quasdam decimas debitas Episcopo Castellano.

D 1197. 13. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

CElestinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Magistro Leoni Procuratori Constantinopolitano salutem & Apostolicam benedictionem. Ven. Frater Noster Castellanus Episcopus transmissa nobis querella proposuit, quod decimaciones, que ipsum & ejus Ecclesiam de bonis, que fuerunt olim Johannis Canalo-lupi de jure contingunt, eidem detinentur injuste, & ipsis minus licite defraudantur. Nolentes igitur, ut dictus Episcopus sui juris lesionem incurrat per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus heredes, & commissarios ejusdem defuncti ad debitam solutionem decimationum ipsorum nuncio prefati Episcopi, cum requisitus fueris faciendam per censuram Ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione cessante, compellas. Volumus etiam, & mandamus, ut memorati Episcopi in omnibus justitiis (2) suis, & precipue in decimis, quas sui predecessores hactenus habuerunt, & que ad ipsum & ejus Ecclesiam rationabiliter pertinere noscuntur auctoritate nostra conserves indempnem. Nullis litteris veritatis & justitie prejudicantibus a Sede Apostolica impetratis.

Datum Laterani II. Idus Augusti Pontificatus nostri anno sexto.

L. S. Ego Wido Grausus Diac. & Not. Hoc exemplum exemplavi scripsi in Constantinopoli, sicut in ejus matre, scilicet in autentico Domini predicti Pape inveni. Anno Domini 1198. mense Septembris. Indictione secunda nec minui nec ampliavi, sed complevi & roboravi.

(1) Tom. III. hujus operis ad paginas 13. 82. memoravimus Joannem Berastro Procuratorem in Constantinopoli super redditibus Communis Venetiarum, cujus credimus successorem fuisse Leonem hunc, ad quem Diploma suum misit Calestinus III.

(2) In justitiis suis videlicet in juribus suis.

Lau-

Laurentius Pleb. S. Marci de Accone promittit censum Marco Nicola Episcopo Castellano pro Ecclesia S. Marci de Baruto.

E 1211. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo ducentesimo undecimo mensis Februarii Indictione quintadecima Accone. Promittens promitto Ego quidem Laurencius Presb. & Plebanus Ecclesie S. Marci de Accone. (1) Vobis namque D. Marco Dei gratia Castellano Episcopo, & vestris successoribus Videlicet de illo annuali censu, quod vobis dare debeo pro Ecclesia S. Marci de Baruto, sicut continet in una concessionis carta, quam michi fecistis in Rivoalto facta anno eodem mense Augusti, Indictione quartadecima, quod memores existentes quod quondam dedistis, & concesistis michi suprascriptam Ecclesiam B. Marci in Baruto sitam, que est de jure vestri Episcopatus, ad eam disponendam, & cetera, ut in ea legitur. Si igitur contra hanc promissionis cartam ire temptavero tunc tantum dare debeam vobis & vestris successoribus auri libras quinque, & hee promissionis carta maneat in sua firmitate.

✠ Ego Laurentius Presb. & Plebanus Ecclesie S. Marci Acconensis m. m. ss.
✠ Ego Philippus Tinto tt. ss.
Ego Leonardus Grino tt. ss.
Ego Nicolaus Justo Presb. S. Nicolai & Not. complevi & roboravi.

(1) De Ecclesia S. Marci de Accone fatis actum est ad Ducalem Basilicam.

Petrus Pino Episcopus Castellanus concedit Joanni Presbytero S. Trinitatis Ecclesiam S. Marci de Baruto statuto annuo censu.

1245. 13. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1245. mensis Februarii die 13. Ind. IV. Nos Petrus Dei gratia Episcopus Castellanus concedimus, & comendamus tibi Johanni Presbytero Ecclesie S. Trinitatis de Venetiis, nunc habitanti in partibus ultramarinis Ecclesiam S. Marci de Baruto, ad nos spectantem a Kalendis Madii proximis usque ad unum annum, ut eam habeas, teneas, officies, vel officiari facias decenter & honeste, possessiones domos sive ortus ad ipsam Ecclesiam pertinentes incolumes debeas retinere, salvo tamen quod nomine census, seu pensionis ipsius Ecclesie unam marcam sterlingorum (1) nobis apud Venetias in festo S. Andree vel ante de-

(1) *Sterlingus*, & *Esterlingus* voces Anglis, & inde cæteris nationibus familiares in re monetaria. Trifariam vero accipitur, primo pro monetario pondere; deinde pro quaqualitate monetæ, tertio denique pro quapiam monetæ specie. Ita Cangius in Gloss. ubi fuse de eis agit. Ex Galliæ regno, cujus antiqui annales sæpe sæpius *Sterlingos* nominant, transiit hoc monetæ genus ad Orientem, eo tempore quo Galli Venetis fœderati Constantinopoli potiti sunt; atque inde Petrus Episcopus certam ejusdem monetæ summam pro censu sibi solvendam statuit.

debeas exibere. In cujus rei testimonium presens instrumentum nostri sigilli munimine jussimus communiri presentes fuerunt D. Magister Laurentius electus Jadrensis. (2) Magister Thedaldus Canonicus Castellanus, & Stephanus Plebanus Ecclesie S. Sophie.

Actum est hoc in Episcopatu Castellano.

Ego Petrus Dei gratia Episcopus Castellanus m. m. ss.

L. S. Ego Paulus Clericus S. Marci Canonicus & Not. predictis intersui rogatus, & de mandato predicti D. Episcopi Castellani complevi & roboravi.

(2) Laurentii Archiep. Jaderensis primam mentionem haberi ad annum 1247. asserit Ughellus Tom. V. in Jaderensibus, ejus tamen tamquam electi mentio in hoc documento est ad annum 1245.

Stephanus Plebanus S. Sophiæ promittit Petro Episcopo Castellano pro Joanne Presbytero S. Trinitatis de censu ob Ecclesiam S. Marci de Baruto.

1245. 17. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi 1245. mensis Februarii die 12. exeunte Indictione IV. Rivoalti. Post concessionis & commendationis cartam factam hoc suprascripto anno, & mense die 13. exeunte quam vos D. Petro Dei gratia Episcope Castellane fecistis Johanni Presbytero Ecclesie S. Trinitatis de Venetiis, nunc habitanti in partibus ultramarinis per quam ei concessistis & commendastis Ecclesiam S. Marci de Baruto ad vos spectantem a Kalendis Madii proximis, usque ad unum annum, ut eam habeat, teneat, offitiet, vel offitiari faciat decenter & honeste, possessiones domo sive ortos ad ipsam Ecclesiam pertinentes incolumes debeat retinere, salvo tamen quod nomine census, seu pensionis ipsius Ecclesie unam marcam sterlingorum vobis apud Venetias, vel ad festum S. Andree, vel ante debeat exhibere, ut in ea legitur & cetera. Promittens promitto Ego Stephanus Plebanus Ecclesie S. Sophie, quod si predictus Presb. Johannes vobis prefatam Marcam Sterlingorum, usque ad predictum terminum non dederit, seu non miserit, & que in dicta concessionis, & commendationis carta continentur, non observaverit, tunc ego per me vel per meum missum vobis vel vestro misso predictam marcam Sterlingorum dare & solvere debeam & vos & Ecclesiam Castellanam de omnibus exinde indempnem reddere, sub pena librarum viginti Venetiarum parvorum.

☩ Ego Stephanus Presb. & Plebanus Ecclesie S. Sophie m. m. ss.
☩ Ego Bartholomeus Presb. & Canonicus Castellanus tt. ss.
☩ Ego Thomas Canonicus Castellanus tt. ss.

L. S. Ego Paulus Clericus S. Marci Canonicus & Nottarius complevi & roboravi.

Stephanus Pleb. S. Sophiæ promittit Episcopo Castellano pro Joanne Presbytero S. Trinitatis censum de Ecclesia S. Marci de Baruto.

1246. 16. Octobris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1246. Mensis Octubris die 16. intrante Indictione v. Rivoalti. Post concessionis & commendationis cartam factam hoc suprascripto anno mense Septembris die 8. intrante, quam vos D. Petre Dei gratia Episcope Castellane fecistis Presbytero Johanni Ecclesie S. Trinitatis de Venetiis, nunc habitante in partibus ultramarinis, per quam ei concessistis, & commendastis Ecclesiam S. Marci de Baruto ad vos spectantem a Kal. Madii nuper venturis usque ad tres annos, ut eam habeat & teneat, ac in ea divina celebrat, & ad suam voluntatem faciat celebrari decenter & honeste, possessiones domos sive ortos ad ipsam Ecclesiam pertinentes incolumes debeat retinere, de ipsis ad suam voluntatem disponendo, salvo tantum quod vobis nomine census seu pensionis ipsius Ecclesie unam Marcham Sterlingorum apud Venetias pro quolibet anno in festo S. Andree vel antea dare debeat, ut in ea legitur & cetera. Promittens promitto Ego Stephanus Presbyter & Plebanus Ecclesie S. Sophie, quod si predictus Presb. Johannes vobis prefatam Marcham Sterlingorum, ut dictum est, in quolibet anno non dederit seu non miserit, & que in dicta concessionis & commendationis carta continentur, non observaverit, tunc ego per me vel per meum missum vobis vel vestro misso predictam Marcam Sterlingorum dare, & solvere debeam & vos & Ecclesiam Castellanam de omnibus eorum indempnem reddere sub pena librarum viginti denariorum Venet. parvorum.

✠ Ego Stephanus Presb. & Pleb. Ecclesie S. Sophie m. m. ss.
✠ Ego Donatus Presb. Pleb. ss.
✠ Ego Marcus Urso Pleb. ss.

L. S. Ego Leonardus Presb. S. Felicis & Not. complevi & roboravi.

Benedicta relicta Jacobi Gradonici post susceptam vidualem vestem a Marco Nicola Episcopo Castellano facit procurationem Tribuno Barotsio ad exigendos redditus suos in Constantinopoli, & Romania.

F

1222. 27. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo secundo die quinto exeunte Augusto Indictione decima Ri-

voal-

voalti. Post susceptionem vidualis vestis, quam Ego Benedicta relicta Jacobi Gradonici de Confinio S. Johannis Confessoris de capite Rivialti pro eo quod idem vir meus ab intestato decessit infra annum & diem, quo audivi de obitu ejus, (1) suscepi a D. Marco Nicola Dei gratia Castellano Episcopo. Committentes committimus nos suprascripta Benedicta, & Maria uxor Jacobi Michaelis de Confinio S. Johannis Evangeliste filia q. ipsius Jacobi Gradonici pro nobis & Ego Benedicta pro filia mea Lena (2) filia etiam q. suprascripti Jacobi Gradonici, quam mihi dedit D. Dux ad custodiendum (3) & excutiendum (4) omnia sua bona secundum quod continetur in litteris D. Ducis missis D. Marino Storlado Potestati in Constantinopoli. Tibi Tribuno Barotio Fratri & avunculo nostro, ut ammodo in antea habeas plenissimam virtutem & potestatem inquirendi, interpellandi, placitandi, respondendi, advocatorem tollendi, & excutiendi nomine nostro, & nomine suprascripte Lene dilecte filie & Sororis filie nostre q. suprascripti Jacobi Gradonici. Omnes Cavalarias & possessiones universas & bona omnia & habere mobilia & immobilia, que fuerunt suprascripti Jacobi Gradonici q. Viri & patris nostri, tam in Galipoli & ejus pertinentiis, quam in Constantinopoli, & alibi per totam Romaniam positis & habitis, & etiam ubicunque vel apud quemcunque exinde invenire poteris, cum carta & sine carta per curam & extra curam, & securitatis carta vel quicquid inde opus fuerit faciendi. Preterea possessiones ipsas masandi & dismasandi, (5) & Cavalarias ipsas ordinandi, & disponendi per omnia, prout opus fuerit, & carta concessionis exinde faciendi, & generaliter quicquid de suprascriptis omnibus opus fuerit exercendi, & quamcunque securitatis cartam, seu concessionis cartam exinde expedierit faciendi. Preterea quicquid ex predictis excusseris vel habueris nobis ducendi, vel mittendi habeas potestatem in nostro periculo secundum quod tibi bonum apparebit. Si igitur contra hanc commissionis cartam ire temptaverimus, tunc emendare debeamus cum nostris successoribus tibi & quibuscunque securitatis, vel concessionis carta exinde feceris; tuis ac illorum heredibus, & successoribus auri libras quinque, & hec commissionis carta in sua firmitate permaneat.

Signum suprascriptarum Benedicte, & Marie que hec fieri rogaverunt.
✠ Ego Henricus Diaconus tt. ss.
✠ Ego Pangraci Baroci tt. ss.

L. S. Ego Presb. Fulkus Not. complevi & roboravi.

(1) Deritu hoc suscipiendi vestem vidualem ab Episcopo nullum (preter hoc) reperi documentum.
(2) *Lena* Veneto vernaculo idem est ac Helena.
(3) Nempe sententia Judicum filiæ suæ nubilis tutelam susceperat.
(4) Excutiendum scilicet exigendum.
(5) Masa seu Massa Massum & Masada voces sunt, ut ait Cangius in Glossario denotantes certum agrorum numerum, quem Itali possessiones vocant, cum autem hæ possessiones rusticis locentur, propterea hic masare idem est, ac in locationem concedere, dismasare vero idem importat, ac locationem subtrahere.

Marcus Michael Episcopus Castellanus jurat fidelitatem Angelo Baroccio Patriarchæ Gradensi.

G 1229. 6. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono mensis Aprilis die sexto intrante Indictione secunda Rivoalti. Presentibus D. Widone Episcopo Equilino, (1) Plebano S. Pauli, Magistro Philippo Archidiacono Torcellano, Thoma Franco, Johanne Viani, Dominico Franco Canonicis S. Marci, Plebano S. Bartholomei, Martino Priore Fratrum Predicatorum, Johanne, Michele, & Andrea Michele fratribus, Dominico Delphino, Leonardo Mauroceno, Thoma Centranico, Marco Bemho, Stephano Faletro, & aliis multis testibus ad hoc rogatis D. Marcus Michael Dei gratia Castellanus Episcopus juravit fidelitatem D. Angelo Barocio Dei gratia Sancte Gradensis Ecclesie Patriarche, & Dalmatie primati in scriptis sic dicens. Promittens promitto Ego Marcus Michael Dei gratia Castellanus Episcopus vobis quidem Domino meo Angelo Barocio Dei gratia Sancte Gradensis Ecclesie Patriarche, & Dalmatie primati, quod amodo in antea fidelis, & obediens esse debeam Sancte Matri mee Gradensi Ecclesie, & vobis vestrisque successoribus. Et nunquam Castellanam Ecclesiam, cui Deo largiente preesse debeo, de jure & obedientia Sancte Gradensis Ecclesie, & ibi presidentium Pontificum subtrahere debeam, sed Deo adjutore eam regere debeam. Receptionem vestram vestrorumque missorum ineundo & redeundo honorifice faciam per annorum etiam curricula omni anno in festivitate S. Hermachore venire debeam sine dei impedimento, nisi a vobis vestrisque successoribus licentia mihi fuerit data ad remanendum, vocatus ad synodum veniam nisi prepeditus fuero Canonica prepeditione, aut vestri vestrorumque successorum licentia remanebit. Omni etiam anno pro cathedratico solidos quinque denariorum parvulorum persolvere debeam secundum antiqua statuta. Appellationibus a presentia mea factis, ad audientiam vestram vestrorumque successorum deferam juxta statutum Generalis Concilii. Unde jurata voce dico per Sancta Dei Evangelia, & Crucem D. N. J. C. & corpora Sanctorum, que in suprascripta Ecclesia Gradensi requiescunt, quod suprascripta omnia bona fide observabo omnibus diebus vite mee, donec Dominus Noster Jesus Christus mee Castellane Ecclesie preesse concesserit.

Actum in Palacio D. Patriarche Gradensis predicti.

Ego Donatus S. Marie Matris Domini Presbyter & Notarius interfui, & de mandato ejusdem D. Episcopi scripsi complevi & roboravi.

(1) *Wido* seu *Guido* Episcopus Equilinus anno 1236. ad Clugiensem sedem translatus fuit.

Mar

Marcus Michael Episcopus Castellanus accipit assensum a Synodo Veneta dispendandi quartam quartæ decimæ pertinentem, ad pauperes Castellanæ Diæcesis.

H 1229. 20. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi, anno Domini 1229. mense Aprilis xi. die exeunte Indict. II. Rivoalti. Convocatis Plebanis, & Clero universo Castell. Dioc. per D. Marcum Michaelem Dei gratia Castellanum Episcopum & eis in Ecclesia Castellana convenientibus prefatus D. Episcopus primo & singillatim a Plebanis, & consequenter a clero universo consilium postulavit super quarta quarte decime pauperibus Castellane Diocesis dispensande super qua videbatur aliqua questio esse orta. Super quo omnes Plebani videlicet Plebanus S. Jeremie, Plebanus S. Leonardi, Plebanus S. Hermachore, Plebanus S. Marie Magdalene, Plebanus S. Fusce, Plebanus S. Martialis, Plebanus S. Johannis Chrisostomi, Plebanus S. Marie Nove, Plebanus S. Marine, Plebanus S. Leonis, Plebanus S. Bartholomei Plebanus S. Juliani, Plebanus S. Basii, Plebanus S. Jeminiani, Plebanus S. Moysi, Plebanus S. Fantini, Plebanus S. Angeli, Plebanus S. Samuelis, Prior S. Justine, (1) Plebanus S. Trinitatis, Plebanus S. Antonini, Plebanus S. Johannis Bragore, Plebanus S. Blasii, Plebanus S. Marie Jubanici, Plebanus S. Johannis Rivoalti, Plebanus S. Cassiani, Plebanus S. Marie Matris Domini, Plebanus S. Eustadii, Plebanus, S. Apostoli, Plebanus S. Thome, Plebanus S. Stefani Confessoris, Plebanus S. Pantaleonis, Plebanus S. Johannis Novi, Plebanus S. Barnabe, Plebanus S. Raphaelis, Plebanus S. Agathe, Plebanus S. Augustini, Martinus Presb. S. Symeonis Prophete pro se & pro aliis de Ecclesia sua Presbyteris; Dominicus Presb. S. Agnetis pro se, & aliis Clericis. Dominicus, Angelus, & Georgius Presbyteri S. Gervasii, Natalis, & Johannes Presbyteri S. Basilii, Dominicus Presb. S. Paterniani, Presbyteri, S. Crucis, Bisancius & Symeon Presbyteri S. Vitalis. Alegretus Presb. S. Felicis. Joannes, Petrus, & Martinus Presbyteri S. Marie Formose, Marcus & Petrus Presbyteri S. Severi, Presbyteri Nicetus, & Stephanus S. Nicolai de Dorsoduro, Presbyter Thomas & Petrus Diaconus S. Mauritii, Henricus & Dominicus Presbyteri S. Margarite & Clerus universus responderunt & suas voluntates expreserunt quod volebant, & eis placebat quod ipse D. Episcopus deberet habere recipere & dispensare prefatam quartam quarte inter pauperes Castellane Diocesis secundum quod habuerunt, & receperunt atque dispensaverunt predecessores sui, dicentes quod longe melius & utilius dispensaretur per eum, quam per aliquem alium, cum ipse esset specialiter Pater & benefactor pauperum, pupillorum, atque orfanorum, & viduarum sui Episcopatus. Hoc autem dicerunt, laudaverunt, & approbaverunt omnes Plebani memorati, & universus Clerus Castellane Diocesis exceptis duobus videlicet Plebanus S. Pauli, & Plebanus SS. Apostolorum, qui dixerunt, quod nollebant causari, neque aliquod litigium habere cum memorato D. Episcopo super hoc, sed vole-

(1) Anno 1229. Ecclesia S. Justinæ a Fratribus incolebatur, ideoque ejus Rector Prioris appellatione nominatur.

lebant, si esse poterat, quod super hoc consuleretur D. Papa.

Actum est hoc in Ecclesia Castellana testes Petrus Major, Petrus Minor Presbyteri, & Thomas Diac. Canonici Castellani, Nicolaus Presbyter & alii multi.

L. S. Ego Angelus S. Angeli Diac. & Not. interfui, rogatus scripsi complevi, & roboravi.



Gregorius IX. Patriarchæ Gradensi, & Episcopo Castellano Albericum de Romano laudibus ornatum commendat.

I 1239. 12. Junii.

Ex Archivo Communitatis Tarvisii.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio .... Electo Gradensi, (1) & Ven. Fratri ... Episcopo Castellano (2) Salutem, & Apostolicam benedictionem. In perpetuam dilecti filii Nobilis Viri Alberici de Romano (3) venit gloriam nominis, quod eis resistens viriliter, qui fidem Catholicam, & Ecclesiam persequuntur, se ostendit Ecclesie filium, & Orthodoxe fidei zelatorem, dum dignus laudis magne preconio defensat easdem. Propter quod non indignum esse censemus, ut & ipsum a persecutorum insultu patrocinium Apostolicum protegat, quem Apostolice Sedi in perversorum repressione, exhibita obsequiorum devotio multipliciter recomendat. Hinc est, quod ipsius desiderio grato concurrentes assensu, eundem nobilem in devotione Ecclesie, & defensione Catholice fidei, & libertatis Ecclesiastice persistentem, nec non terram, & alia bona sua sub B. Petri, & nostra protetione duximus admittenda, ideoque discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum, non permittatis contra protectionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Laterani II. Idus Junii Pontificatus nostri anno tertiodecimo. Ego Joannes Martini de Plumbino Sacri Palatii Notarius hoc exemplum sumptum ex autenticis litteris dicti Domini Pape, non vitiatis, non corruptis, nec suspectis, sed omni suspetione carentibus, & vera bulla plumbea pendente ipsius Domini Pape bullatis repertis in Archivio publico, ac Cancellaria Communis Tarvisii fideliter conscripsi, scripsi, & postmodum cum infrascriptis Nassimbene & Antonio Notariis diligenter cum ipsis litteris ausculatavi, & quia utrunque concordare inveni, ut adhibeatur eidem exemplo de cetero plena fides in ejusdem exempli plenam fidem

(1) Leonardus Quirinus Angeli Barocii in Patriarchatu Gradensi successor.
(2) Petrus Pino.
(3) Anno 1239. Albericus de Romano Ezelini Tyranni Frater, cum se se Federici II. Imperatoris hostem dixisset, Tarvisium occupavit. Usque ad annum 1256. fœdus, quod cum Pontifice Romano injerat, religiose servavit; Quum autem anno insequenti fidem, quam Ecclesiæ desponderat, fœde fregisset, a Tarvisinus pulsus, & deinde captus misere occubuit, ut latius videre est in Chron. Veron. Tom. VIII. Rerum Italicarum, & in aliis Historicis qui acta ipsius, & scelestissimi ejus Fratris scriptis mandarunt.

dem & testimonium me subscripsi, signoque meo solito roboravi, & hoc de mandato, & auctoritate Bertollini de Brunellis de Reggio judicis accessoris & Vicarii Domini Rolandini de Foliano de Regio Potestatis in 1318. Ind. I. die Lune 3. Aprilis Ter. in Palatio Communis. Presentibus Domino Dolce .... de Nicoleto. Bonfrancisco .... Not. & aliis pluribus.

Ego Nassimbenus de Clarello Sacri Palatii Notarius hoc exemplum una cum supradicto Joanne Notario, & infrascrito Antonio Not. ad autenticum supradictarum litterarum diligenter, & fideliter ausculravi, & quia utrumque concordare inveni de ipsius Domini Vicarii auctoritate & mandato me subscripsi, signoque meo solito roboravi, die, & loco presentibus testibus supradictis.

Ego Antonius Leonardi de Zanino Sacri Palatii Not. hoc exemplum una cum supradictis Johanne, & Nassimbene Not. ad autenticum supradictarum litterarum diligenter ac fideliter ausculravi, & quia utrunque concordare inveni de ipsius Domini Vicarii auctoritate, & mandato me subscripsi, Signoque meo solito roboravi die loco & presentibus testibus supradictis.

Benedictus Vicarius Petri Episcopi Castellani in Negroponte donat Madio Priori S. Marci de Negroponte quartam partem decimarum spectantium ad dictum Episcopum.

K

1252. 1. Novembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno ejusdem Nativitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo Indictione x. die primo mensis Novembris in Nigroponte in campo Venetorum. Presentibus D. Johanne Sviano campsore, Andrea Capyopodi, & aliis. Ibidem Presb. Benedictus Vicarius Domini Episcopi Castellani auctoritate ipsius Domini Episcopi concessit Presbytero Madio Priori Ecclesie S. Marci de Nigroponte, & Vicario & Clericis ipsius Ecclesie predicte, atque eorum successorum quartam partem decimarum burgensium Nigropontis secundum tenorem & formam litterarum predicti D. Episcopi Castellani, quas misit ex parte sua predicto Presbytero Benedicto Vicario suo in Nigroponte, quarum series ita continebatur. In nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo mense Augusti die tertiodecimo intrante Indictione x. Rivoalti. Presentibus Presbytero Marco Plebano S. Geminiani, Presbytero Gumberto, qui moratur apud Ecclesiam dicti S. Geminiani, & aliis Ven. Pater D. Petrus Dei gratia Episcopus Castellanus commisit & liberam potestatem dedit Presb. Benedicto S. Pauli Vicario suo in Nigroponte, licet absenti, concedendi & dandi quartam partem decimarum Burgensium decedentium in Nigroponte Vicario & Clericis S. Marci Nigropontis, usque ad beneplacitum voluntatis ejusdem D. Episcopi promittens se ratum & firmum habere quicquid dictus Presb. Benedictus inde duxerit faciendum.

Actum est hoc in cella S. Geminiani.


Ego Dominicus Finus Presb. Plebanus S. Paterniani & Not. interfui & jussu dicti Domini Episcopi subscripsi complevi & roboravi.

Ego

Ego Tebaldus de Coramellis de Civitate Verone Not. interfui & rogatus scripsi.

L. S. Ego Johannes fingero de Saracenis de Clugia publicus Imperiali auctoritate Not. hoc exemplum sumptum ex originali autentico fideliter exemplavi, & ipsum cum Presb. Petro Sanctorum Apostolorum infrascripto Notario auscultavi & quia per omnia concordabat cum ipso de mandato Ven. Patris Domini Bartholomei permisione Divina Episcopi Castellani in publicam formam redegi. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. millesimo ducentesimo nonagesimo nono mense Aprilis die sexto exeunte. Indictione duodecima Veneciis. In Episcopali Palacio presentibus discretis Viris Petro Staniaro Plebano S. Eustadii, & Marco Quirino Capellano & Martino familiare ipsius D. Episcopi nil addens vel minuens quod sententiam mutet complevi & roboravi.

L. S. Ego Petrus Sanctorum Apostolorum Presb. & Not. hoc exemplum per suprascriptum Notarium exemplatum, cum autentico fideliter auscultavi, & quia in omnibus concordabatur, ac ipso me in testem subscripsi, & signum meum consuetum apposui.



Petrus Pinus Episcopus Castellanus testatur se recepisse decimas emortuales Jacobinæ Malazæ a Maria ejus Sorore.

L 1253. Septembris.

Ex Archivo Monasterii S. Joannis de Torcello.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio mense Septembris die quarto exeunte Indictione duodecima Rivoalti. Plenam & firmam securitatem facimus nos Petrus Dei gratia Episcopus Castellanus, cum nostris successoribus tibi Marie Malaza de Confinio S. Cassiani, & tuis successoribus de toto illo decimo magno (1) vel parvo, quod nobis dare tenebaris per Jacobinam defunct.... soror... tua &.. commissaria. Nunc autem quia tue exinde nos bene & perfecte appacasti & deliberasti. A modo igitur in antea semper inde secure permaneat in perpetuum. Si igitur unquam contra hanc securitatis cartam ire temptaverimus emendare debeamus cum nostris successoribus tibi, & tuis successoribus auri libras quinque &c.

✠ Ego Petrus Dei gratia Episcopus Castellanus m. m. ss.
✠ Ego Magister Petrus Canonicus Castellanus m. m. ss.
✠ Ego Dominicus Finus Presbyter Canonicus Castellanus m. m. ss.

Ego Andreas Mauro Presbyter S. Agnetis & Notarius complevi & roboravi.

(1) Idest decima magna vel parva.

Fr.

Fr. Valterius Episcopus Castellanus jurat subjectionem Patriarchæ Gradensi.

M 1255. 9. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto mensis Aprilis die nono introeunte Indictione terciadecima Rivoalti. In presentia eorum quorum nomina inferius subscribentur D. Fr. Valterius de Ordine Predicatorum (1) Dei gratia Castellanus Episcopus, sic juravit dicens. Ego Fr. Valterius de Ordine Predicatorum Episcopus Castellanus, ab hac hora in antea fidelis ero & hobediens Sancte Matri mee Gradensi Ecclesie, Dominisque meis omnibus Patriarchis ejusdem Ecclesie Canonice intrantibus, qui pro tempore fuerint. Non ero in consilio neque in facto, ut vitam perdant, aut membrum vel capiantur mala captione. Consilium quod michi per se aut per litteras, aut per nuntium manifestabunt, ad eorum dampnum nulli pandam. Patriarchatum Gradensis Ecclesie, & regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad deffendendum & retinendum, salvo meo ordine, contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, nisi prepeditus fuero Canonica prepeditione. Legatum Gradensis Ecclesie, quem certum legatum esse cognovero, in eundo, & reddeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Gradensem Ecclesiam in festivitate S. Hermachore visitabo secundum tenorem sententie late inter Gradensem Ecclesiam, & Patriarcham & Ecclesiam Castellanam & Episcopum sine Dei impedimento, vel nisi eorum absolvar licentia. Sic me adjuvet Deus, & hec Sacrosancta Dei Evangelia.

Actum est hoc in Ecclesia S. Moysi presentibus Thoma Franco Archidiacono, Johanne Longo Archipresbytero, Michaele Marignono, Thoma Presbytero, Marco Presbytero Canonicis Ecclesie Castellane, & Marco Criliono Plebano S. Trinitatis, & aliis.

✠ Ego Frater Walterius Episcopus Castellanus m. m. ss.

L. S. Ego Dominicus Russo Subdiac. Canonicus S. Marci & Not. Ducalisque Aule Cancellarius his interfui jussu dicti D. Episcopi complevi, & roboravi.

(1) Hic unus fuit ex primis Episcopis, qui proprii instituti nomen in documentis publicis declararunt, quod priscis sæculis raro in usu fruit.



Thomas Franco Episcopus Castellanus fatetur se pecuniam recepisse a Joanne de Baruto Presbytero Vicario suo.

N 1264. 27. Novembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi 1264. Mensis Novembris die 4. exeunte Indictione VIII. Rivoalti. Plenam & inrevocabilem securitatem facimus nos Thomas Franco Dei gratia Episcopus Castellanus, cum nostris successoribus tibi Presbytero Johanni de Baruto Vicario nostro tibi & tuis successoribus, videlicet de una marcha argenti, quam nobis misisti ratione dicte Vicarie per Marinum Genum de confinio S. Marie Nove. Nunc autem, quia ipsam marcham bene recepimus a dicto Marino Geno amodo in antea securus, & quietus permaneas in perpetuum. Si igitur unquam contra hanc securitatis cartam ire temptaverimus, tunc emendare debeamus, cum nostris successoribus tibi, & tuis successoribus auri libras quinque, & hec securitatis carta in sua permaneat firmitate.

Signum suprascripti D. Episcopi qui pro se scribi & hec rogavit fieri.
✠ Ego Natalis Blanco Canonicus S. Marci tt. ss.
✠ Ego Petrus S. Luce Diac. tt. ss.
L. S. Ego Marcus Fino Presb. S. Paterniani, & Notarius complevi & roboravi.

Judices Publicorum lata sententia decernunt, aquas & paludes positas juxta Ecclesiam S. Petri de Castello esse de jure Episcopatus Castellani.

O 1292. 21. Martii.

Ex Codice Publicorum.

IN Christi Nomine Amen. Cum nos Matheus Donato Petrus Cauco & Jacobus Carazacanepo de mandato Illustrissimi Domini Nostri Petri Gradonici Dei gratia Venetiarum Dalmatie atque Chrovatie Incliti Ducis, & Communis Venetiarum Judices & Officiales constituti ad inquirendum inveniendum, & recuperandum omnia ac universa publica Communis Venetiarum. Videlicet a Grado usque ad capud Ageris & ea publica, per rationem, per justitiam, per laudum, per arbitrium secundum quod nobis melius, & justius apparebit per diffinitivam sententiam terminandum. Cum pluries per Marinum precacinum preconem de mandato suprascripti Domini Ducis, & ordinatione nostri & nostrorum in hoc officio predecessorum juxta Capitularis nostri officii continentiam, & tenorem cridatum & citatum foret publice in locis consuetis universas personas tam Ecclesiasticas, quam seculares habentes seu asfticas, quam seculares habentes seu affictantes, aut modo quolibet alio detinentes in confinio, seu districtu Venetiarum & Episcopatus, ac Diocesis Castellane terras aquas palludes & canedos

dos deberent certis terminis, & diebus cum omnibus suis cartis, instrumentis, juribus & rationibus coram eorum presentia, & nostra comparere. Tandem in millesimo ducentesimo octuagesimo nono Indictione secunda die Lune decimo intrante Octobris Venetiis in Episcopali Palatio Vener. D. Bartholomeus Quirino Divina, & Apostolica gratia dignissimus Episcopus Castellanus coram nobilibus viris Dominis Johanne Mauroceno Petro Contareno dicto Zaparello, & Marino Georgio Judicibus, & officialibus de mandato Illustrissimi Domini Johannis Dandulo bone memorie olim Incliti Venetiarum Ducis, & Communis Venetiarum super universis publicis constitutis nostris predecessoribus comparuit dicens nomine, & vice Sancte Matris Ecclesie Castellane, & sui Episcopatus, & proponens se, & dictam Ecclesiam Castellanam, & Episcopatum habere tenere & possidere, & ad ipsam suam matrem Ecclesiam, & Episcopatum pertinere de jure totam aquam, & paludem positam & sitam ante, & retro dictam Ecclesiam Santi Petri de Castello, & Sancte Marie in Jerusalem que condam appellabatur Ecclesia Sanctorum Johannis & Pauli, & juxta Monasterium, & locum Sancte Marie in Jerusalem secundum quod in infrascriptis suis cartis & instrumentis continetur, & sunt confiniate. Et dicens etiam & proponens, ac in scriptis tradens coram ipsis Judicibus & Officialibus nostris predecessoribus sic. Cum hactenus vestri predecessores requisiverint nobis rationes nostras quas habemus de aquis & paludibus que sunt circa nostrum Episcopatum Castellanus bis vel ter, & licet facere non debuerimus, tamen ex benignitate nostra ipsas nostras rationes eis diversis temporibus ostendimus, & ipsi eas viderunt, & nobis continuo remiserunt. Miramur cur vestri Officiales hec ignorant, & vobis non dixerunt sed quia ipsas ad presens nobis querendo per vestrum nuntium misistis vestre volentes satisfacere voluntati, & ut super hiis cerciorari possitis omnia illa Instrumenta que legi possunt, cum multa sint adeo vetera que legi non possunt modo aliquo vobis ostendimus, & coram vestra presentia, & in facto & questione intendimus producere prout inferius ordinate. Inter cetera ipsa Instrumenta scripta sunt specialiter super facto aque & paludis site penes dictum Monasterium S. Marie in Jerusalem de Virginibus. In primis quidem predictus Dominus Episcopus produxit quoddam concessionis Instrumentum manu Andree Presbyteri & Notarii confectum in millesimo centesimo quinto mensis Februarii Indictione decima quarta Rivoalti cujus tenor talis est: Quia post documentis cartularum quas nobis fecistis, ut in eis legitur, & nobis per eosdem documentis dedistis unum vestrum lacum mollendinorum de jure vestre proprietatis Sancte Matris Olivolensis Ecclesie, secundum quod nunc inceptum habemus. Idcirco promittentes promittimus. Nos quidem Petrus Johanni Bono de Confinio Sancti Blasii, & Dominicus Pascali habitator in Confinio Sancti Martini atque Petrus Valle, & Dominicus Urso Dominicus quoque Bonio, nec non Petrus Urso toti nos de Castello cum nostris heredibus per singulis copulis salinarum quos nobis per documenta cartularum dedistis, ut in eis legitur. Unde promittentes promittimus vobis Domino Henrico Contareno Reverendissimo Olivolensis Ecclesie Episcopo, & vestris successoribus, ut hinc in antea in unoquoque anno veniente Kalendis Aprilis, usque adveniente Kalendis Novembris eundem fundamentum, cum nostris viminis, & cum nostro expendio vestras salinas jamdictum fundamentum seratum atque bene ellevatum, & circumdatum, & incolumen productum, atque totas predictas salinas absque dampno suprascripti fundamenti nos cum vestris salinis pariter virgatas, & bene incolumes productas habere debeamus. Inde vero in antea quante alie saline fieri possunt absque dampno sepedicti fundamenti per ceteros consocios qui ibi introierit similiter virgatas & vangatas, & bene in-

incolumes productas habere debeamus. Cum autem in ventura estate pervenerimus si sale elevaverimus, & inde in antea per unumquamquem in estate, tunc per unamquamquem salinam tres dies de sale quales meliores fuerint & vobis recipere placuerit persolvere debeamus nullo modo nos vobis contradicere debeamus, & ipsum sale cum nostris sportis, & cum nostra nave ad vestrum solarium de infra Castellum ducere & jactare debeamus absque omni nostra interditione salvo illud quod inter nos statutum habemus, quod infra tempore dum suprascriptum fundamentum clausum retinuerimus si pisces illuc capere poterimus tunc vobiscum participare debeamus sine fraude, & malo ingenio nullus alius sine nostro consensu infra suprascriptum terminum piscare debeat: Verum tamen &c. ut in dicto instrumento continetur. Item produxit quoddam aliud Instrumentum concessionis manu Valeriani Presbyteri Ecclesie Castellane Canonici, & Notarii confectum in millesimo centesimo octuagesimoprimo mense Novembris Indictione decimaquinta Rivoalti per quod intendit probare, quod Dominicus Donato de Canareglo habuit, ad fictum a Domino Marco Nicola, condam Episcopo Castellano unam paludem aqua superlabente que firmat unum suum capud in littore Beati Petri, & ultra litus usque ad portum; Aliud capud unum suum latus in canale de Castello; Aliud latus in porticello: cujus tenor talis est: Promittens promitto Ego quidem Dominicus Donato de Canareglo, cum meis heredibus vobis quidem Domino Marco Nicola Castellano ellecto, & vestris successoribus, quod amodo in antea, usque ad duos annos complectos in unoquoque anno in festo Sancti Michaelis octo dies post predictum festum, vel octo ante festum dare, & deliberare debeam centum septingenta cevalos absque omni contraditione vobis & vestris successoribus, & predicta Dei Ecclesia pro una palude aqua superlabente, quam mihi concessionis cartam, usque ad duos annos dedistis que est de jure & proprietate vestri Episcopatus. Unum suum capud firmat in littore Beati Petri; & ultra litus usque ad portum, alio capite: Unum suum latus firmat in canale de Castello, alio latere firmat in porticello: In qua palude aqua superlabente debeo piscare in die, ac nocte absque vestra contraditione. Hec omnia si non observavero &c. ut in ipso Instrumento continetur. Item produxit quoddam promissionis Instrumentum manu suprascripti Notari confectum in millesimo centesimo octuagesimo secundo mensis Octobris Indictione prima Rivoalti: In quo probatur, & apparet quod Marcus, & Johannes Urso ambo de Confinio S. Fusce, ad fictum habuerunt unam aquam que stat ante, & retro Ecclesiam S. Petri, & Sanctorum Johannis & Pauli a dicto Domino Marco Nicola Episcopo Castellano cujus tenor talis est: Promittentes promittimus nos quidem Marcus Urso & Johannes Urso ambo de Confinio Sancte Fusce, cum nostris successoribus vobis quidem Marco Nicola Dei gratia Castellano Episcopo, & vestris successoribus Ecclesie Sancti Petri quod in festivitate S. Thome quam modo ad presens expectamus vobis, & predicte Ecclesie Dei Sancti Petri dare debeamus sine aliqua contraditione, vel interpositis capitulis quindecim paria de bonis clausis propter unam vestram aquam quam nobis dedistis & concessistis, ad aucellandum in hoc presenti anno que est de jure & proprietate Sancti Petri vestri Episcopatus & stat ante, & retro Ecclesiam Sancti Petri, & Sanctorum Johannis & Pauli, & si vobis suprascripta quindecim paria de bonis clausis, ad suprascriptum terminum non deliberaverimus componere promittimus cum nostris heredibus vobis & vestris successoribus &c. ut in dicto Instrumento plenius continetur. Item produxit unam testificationis, seu abreviarii cartam testatam & roboratam manu dicti Valeriani Notari confectam in millesimo ducentesimo primo mensis Martii Indictione quarta Rivoalti cujus tenor talis est. Testificor Ego quidem Domini-

nicus Donato de Canareglo quod sunt quadraginta anni jam & plus quod Ego habui ad piscandum per Episcopos de Castello qui fuerunt per tempora in suprascripta Castellana Ecclesia aqua de suprascripto Episcopatu que aqua discurrit a porticello illo que est juxta portu de Murianes, & usque ad canale que vadit ante Ecclesiam S. Nicolai & Ecclesiam S. Elene & vadit in canale de Castello que discurrit ante Ecclesiam Sancti Petri vestri Episcopatus, & vadit usque ad suprascriptum porticellum recto tramite, & ipsa aqua discurrit super palude Sancti Petri suprascripti nostri Episcopatus, que suprascripta palude ab utroque latere firmat in lidello de suprascripto Episcopatu & reddidi predictis Episcopis fictum annuatim de suprascripta aqua. Hec omnia scio, & per verum dico testimonium &c. ut in dicta carta testificationis continetur. Item produxit quodam aliud Instrumentum scriptum manu Petri Benevenuti sacri Palatii Notarii tenor cujus per totum talis est. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono Indictione undecima die tertio exeunte mensis Decembris. Presentibus Thoma Franco Michaele Marignoni Jacobo Bellegno Canonicis Sancti Marci Presbytero Dominico Sancte Agnetis Presbytero Dominico S. Paterniani Presbytero Dominico Carevello Plebano Sancti Gervasii Notario, & multis aliis Clericis & Laicis. Cum Dominus Petrus Dei gratia Episcopus Castellanus esset cum Domino Jacobo Theupulo Dei gratia Duce Venetie; & ejus Consiliariis in Ducali Palatio idem Dominus Dux pro se suoque Consilio tam majori quam minori & pro Officialibus Communis Venetiarum videlicet quadraginta, & etiam pro toto Communi Venetiarum affectuose, & cum magna instantia rogavit prefatum Dominum Episcopum, ut permitteret & assentiret atque concederet quod Prior, & Fratres atque Sorores Monasterii S. Marie in Jerusalem Castellane Diocesis allevarent de palude qui est juxta ipsum Monasterium pro ortis, & aliis suis necessitatibus faciendis, dicens quod si Dominus Episcopus preces quas sibi faciebat exaudiret multum faceret ei & consilio suo, & toto Communi Venetiarum gratum plurimum, & acceptum, cui prenominatus Dominus Episcopus sic respondit: Domine Dux licet preces quas nobis facitis gravent nos & Ecclesiam Castellanam videlicet ut permittamus & concedamus quod dicti Prior & Fratres atque Sorores predicti Monasterii possint allevare de predicto palude, ad Castellanam Ecclesiam pertinente, tamen, ut sciatis, quia preces vestras, & Communis Venetiarum cupimus exaudire, & specialiter preces Sanctissimi Patris & Domini Pape Gregorii qui super hec etiam suis litteris nos rogavit. Nos ergo permittimus atque concedimus quod prenominati Prior Fratres & Sorores Monasterii S. Marie in Jerusalem possint allevare de predicto palude, ad Ecclesiam Castellanam spectante secundum presam quam fecerunt & non plus. Quam responsionem Dominis Dux acceptavit dicens quod bona erat, & ei placebat sed adhuc vellet quod esset plenior videlicet quod pertaxati Prior Fratres, & Sorores possent allevare de dicto palude & secundum presam quam fecerunt, & plus ad voluntatem suam: Cui Dominus Episcopus respondit, quod non consentiebat, nec permittebat, neque concedebat eis, quod plus allevarent nisi secundum presam quam fecerant cui responsioni Dominus Dux assensit, & eam acceptavit, & ratam habuit. Actum fuit in communi palatio. Ego Petrus Benevenutus Sacri Palatii Notarius his interfui scripsi complevi & roboravi. Item produxit unum aliud Instrumentum ejusdem tenoris per totum scriptum manu predicti Petri Benevenuti Notarii. Item produxit unum aliud Instrumentum dicti tenoris per totum manu Dominici Fino Presbyteri S. Paterniani, & Notarii scriptum in millesimo ducentesimo trigesimo octavo Mensis Decembris die tertia exeunte Indictione XII. Rivoalti, ut in ipso Instrumento plenius continetur. Item produxit quoddam

dam aliud Instrumentum promissionis scriptum manu Bonifacii Inviciato Clerici Clugiensis, & Notarii completum & roboratum cujus per totum tenor talis est. In Nomine Dei Eterni Amen Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo octuagesimo nono die decima tertia intrante mensis Augusti Indictione Secunda Rivoalti. Promittentes promittimus nos quidem Andreas Basso, & Marcus Fasolo ambo de Pupilia, cum nostris heredibus vobis namque Venerab. Patri D. Bartholomeo Dei & Apostolica gratia Episcopo Castellano & vestris successoribus. Ideo quia nobis dedistis & concesistis amodo, usque ad quattuor annos complectos proximos venturos totam unam vestram dictique vestri Episcopatus aquam seu paludem que est posita post Monasterium S. Marie de Virginibus que olim vocabatur Sancti Johannes & Paulus, & discurrit juxta canale que vadit ante Episcopatum Castellanum, usque ad ramum dicti canalis qui vadit, usque ad locum Sancte Marie de Celestibus, & usque ad aggerem loci Sancti Danielis ad piscandum & aucellandum, cum grisolis & aliis artibus de die & nocte sicut nobis placuerit, ita tamen quod non claudamus, cum ipsis grisolis vel artibus viam taliter quod exinde cum barchis & navibus transiri non possit, quod pro fictu ipsius aque omni anno hic in Rivoalto dare debemus vobis vel vestro misso vigintiquinque paria de bonis clausis videlicet sexdecim in festo Nativitatis Domini, & alia novem paria in festo Annuntiationis Beate Marie Virginis si poterunt inveniri. Si vero non poterunt inveniri vobis dare, & persolvere debemus pro quolibet pario illud quod persolvent alii suis patronis de Venetiis. Si igitur unquam &c. ut in dicto Instrumento promissionis continetur. Item produxit plura alia Instrumenta continentia de suis aquis & paludibus secundum quod in libro Instrumentorum jurium & rationum dictus Dominus Bartholomeus Episcopus pro se & nomine & vice dicte sue Ecclesie Sancti Petri, & Episcopatus de Castello dicebat, proponebat, & allegabat coram predictis nostris predecessoribus dictam paludem & aquam suam esse, & ad dictam suam Ecclesiam Castellanam, & Episcopatum pertinere de jure, & petebat etiam ab eis cum instantia, ut dictam aquam & paludem sibi, & dicte sue Ecclesie Castellane & Episcopatui adjudicare & sententiare. Cum ipse Dominus Episcopus, & alii sui predecessores ipsam aquam & paludem tenuerint habuerint, & possederint multo tempore jam elapso pacifice & quiete absque aliqua contradictione communis vel alterius persone ultra tempus centum annorum, & magis ultra sicut in suis cartis & Instrumentis manifestum est. Quibus omnibus sic peractis postquam dictus Dominus Episcopus de hac vita, ad aliam transmigravit in Episcopali Palacio hoc anno presente Venerab. Pater Dominus Simeon Mauro Dei gratia dignissimus Castellanus Episcopus comparuit coram nobis dicens & proponens vice & nomine dicte sue Ecclesie Castellane, & sui Episcopatus quod dicta palus, & aqua penes Monasterium & locum Sancte Marie in Jerusalem de Virginibus sita erat dicte sue Matris Ecclesie Castellane, & ipsi suo Episcopatu pertinebat de jure, & producens etiam iterum omnia predicta Instrumenta & nobis per ordinem demonstrata & lecta dicebat & allegabat etiam virtute dictorum instrumentorum jurium & rationum & a nobis cum instantia postulabat quod dictam paludem & aquam sibi, & dicte sue Ecclesie Castellane & Episcopatui deberemus assignare terminare confiniare, & discernere a publico communis juxta formam Capitularis nostri officii continentiam & tenorem, & ipsi & suprascripte sue Ecclesie Castellane, & Episcopatui per sententiam diffinitivam adjudicare prout juris ordo postulat, & requirit. Cum ipsa sua mater Ecclesia Castellana & Episcopatus, & alii sui predecessores habuerint tenuerint & possederint dictam paludem & aquam pacifice & quiete ultra & magis ultra tempus centum annorum.

Qua-

Quapropter visis auditis omnibus suprascriptis suis cartis Instrumentis juribus rationibus & allegationibus predicti Domini Episcopi & diligenter intellectis, & examinatis productis super predictis, & viso etiam quod ipsa palus & aqua non erat in dictis Instrumentis confiniata, nec bene terminata per confines sive signa neque divisa a publico communis. Volentes & cupientes dictas suas petitiones justas exaudire, & dictam paludem & aquam terminare & discernere a publico communis, & ea omnia que nobis spectant attendere secundum formam & tenorem Capitularis nostri officii & effectui demandare ipsam aquam & paludem solepniter & diligenter ac pluries ivimus ad videndum cum aliquibus bonis hominibus ac nuntiis dicti Domini Episcopi, & ipsa palude & aqua diligenter per nos visa & circumdata, & nobis ad oculum & digitum demonstrata. Nos suprascripti Matheus Donato Petrus Cauco & Jacobus Carazacanepo Judices & officiales ad dictum officium deputati diligenter visis auditis lectis examinatis, & intellectis omnibus suprascriptis cartis instrumentis juribus rationibus & allegationibus dicti Domini Episcopi & visis auditis examinatis & intellectis testificationibus & probationibus condam per suprascriptum Dominum Bartholomeum Quirino Episcopum Castellanum coram aliis nostris predecessoribus productis, ut in libro testificationum nostri officii plene continetur. Et super hiis omnibus & singulis plenissima & diligenti deliberatione prehabita, & quamplurium sapientum & juris peritorum, tam Ecclesiasticorum quam laicorum communicato consilio, & Deum habentes pre oculis per ea que vidimus intelleximus & cognovimus volentes & cupientes dictam paludem & aquam terminare confiniare & discernere a publico communis, per rationem, per justitiam, per laudum, & per arbitrium dictam paludem & aquam positam & sitam penes & juxta dictum Monasterium & locum Sancte Marie in Jerusalem de Virginibus secundum quod inferius est confiniata videlicet incipiendo ab angullo muri dicti Monasterii Sancte Marie in Jerusalem supra canale de Castello eundo per velmam dicti canalis de Castello dimittendo canalem a manu dextra in publico quia publicum est & a manu finistra dictam paludem & aquam, usque ad primum rivum sive ramum dicti canalis ubi posita est quedam meta lignea sive terminus in bucha dicti rivi a manu sinistra in angulo sive puncta dicti paludis & aque premittendo canale & rivum a manu dextra que meta sive terminus est longe recto tramite ab angulo muri dicti Monasterii qui est supra canale de Castello per passa tercentum quadraginta, & a dicta prima meta eundo per velmam dicti rivi sive rami versus Monasterium Sancte Marie de Celestibus premittendo a manu dextra ipsum rivum sive ramum dicti canalis in publico quia publicum est, & dictam paludem & aquam a manu sinistra, usque ad secundam metam que est posita in alio angulo dicte paludis ubi dictus rivus sive ramus revolvit versus murum dicti Monasterii Sancte Marie de Celestibus que secunda meta est longe a prima meta recto tramite per passus tercentum sexaginta. Item a dicta secunda meta eundo per dictum rivum sive per velmam dicti rami versus angulum muri Monasterii dicte Sancte Marie de Celestibus dimittendo rivum sive ramum dicti canalis a manu dextra in publico ut dictum est & a manu sinistra dictam paludem & aquam usque per medium primum angulum dicti mure vice dicti Monasterii Sancte Marie de Celestibus ubi posita est tercia meta in dicta palude & aqua per medium primum angulum dicti muri longe ab angulo sive muro per passa quindecim & longe a dicta secunda meta recto tramite per passa duocentum triginta. Item ab ipsa tercia meta sive termino eundo recto tramite versus rivum de Arsenatu, usque ad ipsum rivum de Arsenatu semper longe a muro dicti Monasterii Sancte Marie de Celestibus per passa quindecim dimittendo

do rivum inter dictam paludem & aquam, & dictum murum Monasterii S. Marie de Celestibus in publico ampliata per passa quindecim a suprascripto rivo sive ramo, usque ad rivum de Arsenatu qui rivus de Arsenatu discurrit ad Castellum sive ad Episcopatum Castellanum partim per supradictam paludem & aquam, & partim inter dictum Monasterium Sancte Marie in Jerusalem de Virginibus, & Monasterium est locum S. Danielis qui rivus debet esse per amplitudinem a capite versus Arsenatum ab angulo muri de Arsenatu versus paludem passa decem & abinde veniendo a latere dicti paludis & aqne recto tramite, usque ad angulum muri novi de hortibus dicti Monasterii S. Marie in Jerusalem de Virginibus, & ab alio latere versus lacum mollendinorum S. Danielis desuper rivum qui rivus debet esse per amplitudinem a capite versus Arsenatum per passa decem ut dictum est, & a capite versus Monasterium S. Marie in Jerusalem de Virginibus, & S. Danielis tantum, quantum est per amplitudinem ab uno muro ad alium & esse semper publicus communis, & per diffinitivam sententiam equanimiter, & ex communi voluntate Dei nomine invocato communiter & concorditer dicimus, & sentenciando sentenciamus suam esse, & ad dictam Ecclesiam Castellanam, & Episcopatum predictum pertinere de jure prout ipsa palus & aqua infra istos confines comprehenduntur. Cum ipsa aqua videatur esse possessa per dictam Ecclesiam Castellanam, & Episcopos dicti Episcopatus ultra tempus centum annorum ita quod nihil sibi possumus dicere per nostrum officium de palude & aqua superius nominata. Cum non retineant dictus Episcopus, & Ecclesia Castellana & Episcopatus aliquod occupatum infra dictos confines de aquis publicis & communis, & a dictis terminis & confiniis extra circa dictam aquam & paludem ipsi D. Episcopo & Ecclesie Castellane, & Episcopatui suprascripto silencium perpetuum imponendo adjudicando per sententiam diffinitivam & dicendo quod ipsi canales de Castello & ramum dicti canalis sive rivus predictus & rivus predictus qui debet permanere inter dictam paludem, & murum dicti Monasterii S. Marie de Celestibus amplum passus quindecim & suprascriptus rivus de Arsenatu veniendo ad Castellum sive ad Episcopatum, ut dictum est superius. Amodo semper esse debeant publici & communes & in communi & publico semper debeant perpetuo conservari & stare aperti, & discocupati.

Lata fuit hec sententia Rivoalti in Camera predicti Officii anno a Nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo Indictione quinta die Veneris undecimo exeunte Marcio presentibus his vocatis & rogatis testibus videlicet Domino Paulo Michael S. Samuelis Presbytero Samuele dicti S. Samuelis Francisco Diacono S. Simeonis Prophete, & aliis presente D. Marco Granella Primicerio Castellano nomine, & vice dicti Domini Episcopi ad hanc sentenciam audiendam amologante & confirmante suprascriptum.

Ego Mapheus Donatus Judex m. m. ss.
Ego Petrus Cauco Judex m. m. ss.

Ego Petrus de Molianis Imperiali auctoritate judex ordinarius & dictorum nobilium virorum Judicum, & Officialium ad idem officium Notarius deputatus hiis omnibus interfui, & de mandato ipsorum Judicum scripsi, complevi, & in publicam formam redegi signoque meo corroboravi.

Bar-

Bartholomæus Quirinus Episcopus Castellanus jurat subjectionem Laurentio Patr. Gradensi.

P 1293. 20. Junii.

Ex Autographo in Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Amen. Anno ejusdem 1293. Indictione VI. die Dominico 20. intrante mense Junii. Ven. Pater D. Bartholomeus Quirinus Dei gratia (1) Episcopus Castellanus existens coram Ven. Patre Dom. Fratre Laurentio Dei & Apostolica gratia Patriarcha Gradensi Dalmatieque primate juravit in hanc formam sic dicens. Ego Bartholomeus Quirinus Dei gratia Episcopus Castellanus ab hoc in antea fidelis ero & obediens Sancte Matri mee Ecclesie Gradensi Dominoque meo Domino Fratri Laurentio Patriarche Gradensi ejusque successoribus Canonice intrantibus, non ero in consilio neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium quod michi per se aut per litteras aut per nuncium manifestabit ad eorum dampnum, nulli pandam. Patriarchatum Gradensis Ecclesie, & regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad deffendendum, & retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, nisi prepeditus fuero Canonica prepeditione; legatum vel nuncium Ecclesie Gradensis, quem certum legatum vel Nuncium esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Gradensem Ecclesiam in festivitate SS. MM. Hermacore & Fortunati visitabo secundum tenorem sententie late inter Eccles. Gradensem & Patriarcham, & Ecclesiam Castellanam, & Episcopum sine Dei impedimento, vel nisi eorum absolvat licentia sic me Deus adjuvet, & hec sacrosancta Dei Evangelia.

L. S. Ego .... de Mombriano Parmensis Publicus Imperiali auctoritate Notarius interfui & rogatus scripsi.

(1) Bartholomæus Quirinus hujus nominis secundus.



EX CATASTICO EPISCOPALI CASTELLANO

facto per Rambertum Polum Episcopum Castellanum.

Q

Iste sunt inscripte Parochiales Ecclesie & Monasteria, ac Hospitalia que tenentur dare Cathedraticum suum D. Episcopo Castellano immediate post festa sua de trienio in trienium.

Januarius.

In primis In die Circumcisionis Plebanus S. Basilii. solvere debet pro Cathedratico, suo. libr. III.

Item ipso die solvere debet Plebanus S. Marie Matris. libr. III. s. XII.

Domini pro Cathedratico suo.
Item die VIII. solvere debet pro Cathedratico suo Plebanus. libr. VI. s. VIII.
S. Juliani.
Item die XVIII. solvere debet pro Cathedratico Sanctorum. libr. IV. s. XVI.
Fabiani & Sebastiani Monasterium S. Laurentii.
Die XXI. solvere debet pro Cathedratico suo Plebanus. lib. III.
S. Agnetis.
Die XXV. solvere debet pro Cathedratico suo Plebanus S. Pauli. lib. IV. s. XVI.
Die ultimo solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Geminiani. libr. III. s. IV.
Ista suprascripta solvere debet de mense Januarii.

Februarius.

Omni anno die II. solvere debet pro Cathedratico suo. libr. VIII.
Plebanus S. Marie Formose.
Die III. solvere debet pro Cathedratico suo Monasterium. libr. III.
S. Blasii Catholdi.
Item die III. solvere debet pro Cathedratico suo Plebanus. libr. III.
S. Johanis de Rivoalto.
Item die III. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Blasii. libr. III.
Die IV. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Symeonis Proph. lib. III.
Die V. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Agathe. lib. III.
Die XIII. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Fusce. lib. III.
Ista suprascripta solvere debet de mense Februarii.

Martius.

Die XII. solvere debet pro Cathedratico suo Abbas S. Gregorii. libr. VIII.
Die XXV. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Marie de Jubanico. libr. IV.
Die XXI. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Benedicti. libr. III.
Ista suprascripta solvere debent de Mense Martii.

Aprilis.

Die XXIII. solvere debet pro Cathedratico suo Prior S. Georgii de Alega. lib. II. auri
Die XIX. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Leonis. lib. III. s. XII.
Die XXVIII. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Vitalis. libr. III. s. XII.
Ista solvere debent de Mense Aprilis.

Madius.

Die III. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Jeremie Proph. lib. III. s. XII.
Die dicto solvere debet pro Cathedratico suo Monast. S. Crucis. libr. IV. s. XVI.
Die VIII. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Angeli. libr. III. s. XII.
Die XIV. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Jo: Grisostomi. libr. III. s. XII.
Die XXI. solvere debet pro Cathedratico Pleb. S. Eustachii. libr. III. s. XII.
Die XXII. solvere debet pro censu Prior S. Helene. libr. IV. s. XVI.
Die XXV. solvere debet pro Cathedratico suo Monast. S. Servuli. libr. IV. s. XVI.
Die penultimo solvere debet pro Cathedratico suo Abbas S. Nicolai de littore omni anno. lib. VIII.
Ista debent solvere de Mense Madii.

Junius

Junius.

Die prima solvere debet pro Cath. suo Monast. S. Secundi. libr. IV. s. XVI.
Die XI. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Barnabe. libr. III. s. XII.
Die XV. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Viti. lib. III.
Die XIX. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Gervasii. libr. III.
Die XXIV. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Jo: de Bragore. libr. III. s. XII.
Prior S. Danielis in festo SS. Petri & Pauli solvere debet omni anno unum metrum boni olei.

Ista suprascripta solvere debet de Mense Junii.

Julius.

Die prima solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Marcialis. libr. III.
Die X. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Paterniani. libr. III.
Die XII. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Hermachore. libr. III. s. XII.
Die XVII. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Marine. libr. III.
Die XX. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Margarite. libr. III.
Die XXII. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Marie Magdalene. libr. III.
Die XXIII. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Appollinaris. lib. IV. s. XVI.
Die XXVI. solvere debet pro Cath. suo Monast. S. Anne. libr. IV. s. XVI.
Die XXIX. solvere debet pro Cath. suo Monast. S. Marthe. libr. I. de cera
Die XXVIII. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Pantaleonis. libr. III. s. XII.
Die ultimo solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Fantini. libr. III.

Ista suprascripta solvere debent de Mense Julii.

Augustus.

Die VI. solvere debet pro Cath. suo Prior S. Salvatoris. libr. VIII.
Die X. solvere debet pro Cath. suo Monast. S. Laurentii omni anno. libr. VIII.
Die XV. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Marie Nove. lib. III. s. XII.
Die XXVI. solvere debet Monast. S. Ludovici qui de novo fundatum est illud quod solvere debent Monasteria S. Zacharie, & S. Laurentii.
Die XXVIII. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Augustini. libr. III.
Die XXIX. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Jo: Decolati. libr. III. s. XII.
Die penultimo solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Felicis. libr. III.

Ista suprascripta solvere debent de Mense Augusti.

September.

Die II. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Antonini. libr. III.
Die III. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Euphemie de Judaica. libr. III. s. XII.
Die IV. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Moysi. libr. III. s. XII.
Die XXI. solvere debet pro Cath. Pleb. S. Mathei Evang. qui dicitur esse Contrata S. Samuelis. libr. III.
Die XXII. solvere debet pro Cathedratico suo Pleb. S. Mauricii. libr. III.
Die ultimo solvere pro Cath. suo Monast. S. Yeronimi. libr. IV. s. XVI.

Ista solvere debent de Mense Septemb.

Octuber.

Die vii. solvere debet pro Cath. suo Prior S. Justine. libr. iv. s. xvi.
Die xviii. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Luce. libr. iii.
Die xxviii. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Symonis Apost. libr. iii. s. xii.
Ista suprascripta solvere debent de Mense Octub.

November.

Die vi. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Leonardi. libr. iii. s. xii.
Die xx. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Stephani Confess. libr. iii.
Die xxii. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Cecilie. (1) lib. iv. s. xvi.
Die xxv. solvere debet pro Cath. suo Monast. S. Katherine de Sacis. libr. iv. s. xvi.
Ista suprascripta solvere debent de Mense Novemb.

(1) Nulla Venetiis extat Ecclesia S. Ceciliæ sacra, ideoque jure puto Plebanum hunc S. Ceciliæ idem esse cum Plebano S. Cassiani, cujus nulla mentio est in solutione Cathedratici ad mensem Augusti. De S. Cecilia vide ubi Ecclesiam S. Cassiani illustravimus.

December.

Die v. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Bassi s. Dom. Episcopus Civitatis Nove. libr. iv. s. xvi.
Die vi. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Nicolai. libr. iii. s. iv.
Die xiii. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Lucie. libr. iv. s. xvi.
Die xxi. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Thome. libr. iii. s. xii.
Die xxvii. solvere debet pro Cath. suo Pleb. S. Johanis Novi. libr. iii.
Eodem die solvere debet pro Cath. suo Prior S. Johan. Evang. lib. iv. s. xvi.
Ista suprascripta solvere debent de Mense Decembris.

EX CATASTICO EPISCOPALI CASTELLANO

Ista sunt Monasteria que sunt sine Parochiis in Diocesi Castellana in certis provisionibus, censibus & aliis subventionibus subjecta.

In primis tenetur Monasterium S. Zacharie omni anno providere D. Episcopo Castellano in uno prandio secunda post Pascha Domini vel v. sold. gros. Item tenetur ei mittere pro cognitione subjectionis silicet in festo S. Petri & in festo S. Andree pro quolibet festo annuatim xv. buccellatos magnos de pasta farine frumenti coctos, & duos catinos magnos plenos pastellis, dactalis, nucibus, & aliis fructibus & unum par de scarpetis laboratum ad acum de lana. Qui D. Episcopus tenetur dare prandium duobus capellanis res apportantibus ipso die.

Item Monasterium S. Laurencii nichilominus, tam in festo S. Laurencii quam etiam in predictis festivitatibus scilicet Petri, & Andree D. Episcopo Castellano predicto omni anno ut Monasterium S. Zacharie predicti in predictis omnibus tenetur observare. Item tenetur predictum Monasterium S. Laurencii pro festo S. Fabiani & Sebastiani

ni quod est in ipsa Ecclesia annuatim ss. grossos 3.

Item Monasterium S. Nicholai de littore tenetur omni anno in festo S. Nicolai in die Ascensionis Domini dare ei prandium, cum suo capitulo & ejus familia aut quinque sold. gross. pro quolibet festo omni anno.

EX CATASTICO EPISCOPALI CASTELLANO

facto a Ramberto Polo Episc. Castell.

Ista sunt Monasteria, que tenentur de tertio in tertio anno D. Episc. Cast.

In primis Monasterium S. Andree de Littore tenetur de tercio in tercium omni anno dare ei prandium vel certam quantitatem pecunie, cum suo capitulo residente, & cum sua familia dicto D. Episcopo. Item duas libras boni olei in festo S. Andree omni anno dicto D. Episcopo Castellano.

Item Monasterium S. Helene, ut dictum est in uno prandio, vel certam quantitatem pecunie.

Item Monasterium S. Georgii de Alega ut supra.

Item Monasterium Sancti Spiritus ut supra. Item tenetur dare omni anno libram unam cere bone D. Episcopo in festo Pentecostem.

Item hospitale S. Lazari ut supradictum est de tertio in tertium.

Item Hospitale S. Johannis Evangeliste ut supra.

Item Hospitale S. Marie Misericordie, ut supradictum est.

Item Monasterium S. Secundi ut supra.

Item Monasterium S. Servuli ut supra.

Item Monasterium S. Blasii Cataldi, ut dictum est.

Item Monasterium S. Angeli della Contorta, ut dictum est.

Item Monasterium S. Katherine de Saccis, ut dictum est.

Item Monasterium S. Anne de Castello ut dictum est. Item tenetur D. Abbatissa S. Anne omni anno dare D. Episcopo Castellano libr. unam bone cere in festo S. Anne.

Item Monasterium S. Marie de Nazaret de Ordine Heremitarum quod est exemptum in aliquo non tenetur nisi in libram unam bone, & pure cere omni anno in festo S. Petri.

Item Monasterium S. Johannis Baptiste de Judecha tenetur omni anno pro livello dare D. Episcopo Castellano in festo S. Johannis predicti unam libram piperis & duas zuchas vini boni.

Item Monasterium S. Marthe tenetur dare omni anno mediam libram cere in festo S. Petri.

EX CATASTICO EPISCOPALI CASTELLANO

Iste sunt infrascripte Parochie Ecclesie, & Monasteria ac Hospitalia, que tenentur mittere annuntiationes D. Episcopo Castellano Octava die ante infrascripta festa omni anno.

Januarius.

In primis in die Circumcisionis die primo.

Die S. Basilii e S. Marie Matris Domini. die primo.

Die S. Juliani. die VII.

Die S. Anthonii. die XVII.

Die SS. Fabiani & Sebastini. Festum celebratur in Monasterio S. Laurentii. die XVIII.

Die S. Agnetis. die XXI.

Die

Die Converfionis S. Pauli. die xxv.
Die S. Geminiani. die ultimo.
Ista suprascripta festa sunt de Mense Januarius.

Februarius.

Die S. Severi. die primo.
Die Purificationis S. Marie Formose. die fecundo.
Die S. Blafii. die tertio.
Die S. Blafii Catholdi de Judayca. Die S. Johanis Lemofinarii qui dicitur effe de Rivoalto. } die tertio.
Die S. Symeonis Prophete. die quarto.
Die S. Agathe. die quinto.
Die S. Fufce. die xiii.
Ista suprascripta festa sunt de Mense Februarius.

Martius.

Die S. Gregorii. die xii.
Die S. Benedicti. die xxi.
Die Annuntiationis S. Marie de Jubanico. Die Annuntiationis S. Marie de Virginibus. Monafterium de Virginibus tenetur nuntiationem fuam mittere. } die xxv.
Ista suprascripta festa sunt de Mense Martius.

Aprilis.

Die S. Georgii. die xxiii.
Die S. Leonis. die xix.
Die S. Vitalis. die xxviii.
Ista suprascripta festa sunt de Mense Aprilis.

Madius.

Die S. Michaelis S. Victorie S. Angeli. } die viii.
Die Translationis S. Jeronimi Moniales tenentur dare libram incenfi. } die ix.
Die S. Jeremie Proph. die tertio.
Die Inventionis S. Crucis de Judayca. tertio.
Monaft. dictum de Scopolo. die tertio.
Die S. Johannis Grifoftomo. die ix.
Die S. Euftachii. die xxi.
Die S. Helene. die xxii.
Die S. Servuli. die xxv.
Die Translationis S. Nicolai de Littore. } die penult.
Ista suprascripta sunt festa de Mense Madii.

Junius.

Die S. Secundi. die primo.
Die S. Barnabe. die xi.
Die S. Viti. die xv.
Die S. Gervafii. die xix.
Die S. Jo. Bapt. de Judayca tenetur omni anno dare nuntiationem fuam, & ultra libram Piperis. } die xxiv.
Die S. Johanis Bapt. de Bragore. die xxiv.
Die S. Petri die penultimo tenetur Prior de Nazareth mittere omni anno libram unam bone & pure cere. } die penultimo.
Ista suprascripta festa sunt de Mense Junii.

Julius.

Die S. Marcialis. die primo.
Eo die Monafteria S. . . . . & Zacharie tenentur mittere omni anno xii. bozolatos magnos & multos califones & datalos, & par unum fcarpetarum & uva palla modica & narantiis pro quolibet.
Die S. Paterniani. die x.
Die S. Hermacore. die xii.
Die S. Marine. die xvii.
Die S. Margarite. die xx.
Die S. Marie Magdalene. die xxii.
Die S. Apolinaris. die xxiii.
Die S. Anne. die xxvi.
Die S. Marte. die xxix.
Die S. Pantaleonis. die xxviii.
Die S. Fantini. die ultimo.
Ista suprascripta festa sunt de Mense Julii.

Au-

Augustus.

Die Transfigurationis Domini S. Salvatoris. die VI.
Die S. Laurentii. die X.
Die Assumptionis S. Marie. sc. Sancte Marie Nove. die XV.
Die S. Augustini, & S. Danielis Prophete. die XXVIII.
Die S. Johannis Decolati. die XXIX.
Die S. Felicis. die penult.
Ista suprascripta sunt de mense Aug.

September.

Die S. Anthonini. die II.
Die S. Euphemie de Judaica. die III.
Die S. Moysi. die IIII.
Die S. Zacharie Proph. die VI.
Die S. Mauritii. die XXII.
Die S. Mathei Evang. qui dicitur esse contrata S. Samuelis. die XXI.
Die Nativitatis B. V. M. die VIII.
Die S. Jeronimi die ultimo nuntiationem suam tenetur mittere. die ult.
Ista suprascripta sunt de mense Sept.

Octuber.

Die S. Justine. die VII.
Die S. Luce. die XVIII.
Die S. Simeonis Apost. die XXVIII.
Ista suprascripta sunt festa de mense Oct.

November.

Die S. Leonardi. die VI.
Die S. Stephani Confess. die XX.
Die S. Cecilie. (1) die XXII.
Die S. Clementis. die XXIII.
Die S. Catherine. die XXV.
Die S. Andree de Zirata lib. I. incensi pro nuntiatione.
Die S. Andree de Littore die ult. tenetur omni anno dare lib. II. boni olei eo die.
Ista suprascripta festa sunt de mense Novemb.

(1) Vide pag. 244.

December.

Die S. Basii. die V.
Die S. Nicolai. die VI.
Die S. Lucie. die XIII.
Die S. Thome. die XXI.
Die S. Joan. Evang. die XXVII.
Ista suprascripta festa sunt de mense Decemb.

EX CATASTICO EPISCOPALI CASTELLANO.

NOtandum est, quod Pasca Domini non venit in uno anno sicut in alio. Prior S. Lazari, Plebanus S. Sophie, Plebanus SS. Apostolorum, & Plebanus S. Trinitatis tenentur mittere octava die ante suprascripta festa sicut venit Pascha.

Festum vero S. Raphaelis semper celebratur tertia Dominica post Pascha.

Item Monasterium S. Zacharie tenetur omni anno sicut alii octava die ante festum Pentecostes. Nuntiationem suam, & tenetur annuatim pro cathedratico suo in festo Pentecostes lib. VIII.

Item Monasterium Corporis Christi tenetur mittere sicut alii octava die ante supradictum festum nuntiationem suam.

Plebanus S. Sophie solvit pro suo cathedratico.	libr. III.
Pleb. SS. Apostolorum solvit pro suo cathedratico.	libr. III. l. XII.
Pleb. S. Raphaelis solvit pro suo cathedratico.	libr. III. l. XII.
Pleb. S. Trinitatis solvit pro suo cathedratico.	libr. III. lib. 3. par.
Monasterium S. Spiritus solvit pro suo cathedratico.	libr. III. s. XVI.
Monasterium Corporis Christi solvit pro suo cathedratico.	libr. III.

EX CATASTICO EPISCOPALI CASTELLANO.

Iste sunt Plebanie & Monasteria collegiata in Diocesi Castellana & D. Episcopo Castellano subjecte pro quibus tenentur Plebani, Abbates, & Priores de tercio in tercium annum predicto D. Episcopo, & ejus societati die festivitatis vel vocabuli predictarum Ecclesiarum in uno prandio providere vel certam quantitatem pecunie sibi solvere que pecunia soluta fuit & solvitur ad presens propter paupertatem Ecclesiarum, que non potuerunt nec possunt expensas predicti Prandii substinere, tamen si eidem D. Episcopo placuerit acceptare .... non possint Abbates Priores denegare.

In primis Plebania S. Marie Formose tenetur omni anno in festo Purificationis S. Marie ut inferius continetur.
Item Plebanus S. Blasii de Castello in primis in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Johannis Baptiste in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Antonini in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Trinitatis in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Item Prior S. Justine in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Marie Formose in uno prandio in Purificatione S. Marie vel solidos 5. grofs. omni anno.
Item Plebanus S. Johannis Novi in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Leonis in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Marine in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Bassi in uno prandio vel sol. 3. grofs.
Item Plebanus S. Juliani in uno prandio vel fs. 4. grofs.
Item Plebanus S. Bartholomei in uno prandio vel fs. 5. grofs.
Item Prior S. Salvatoris in uno prandio vel fs. 5. grofs.
Item Plebanus S. Luce in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Paterniani in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Angeli in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Vitalis in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Samuelis in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Mauricii in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Marie Jubanico in uno prandio vel libr. 4. parvorum.
Item Plebanus S. Fantini in uno prando vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Moysi in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Geminiani in uno prandio vel fs. 2. grofs.
Item Plebanus S. Yeremie in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Leonardi in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Hermacore in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Marie Magdalene in uno prandio vel 3. parvor. libr.
Item Plebanus S. Marcialis in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Fusce in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Felicis in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Sophie in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Ilem Plebanus SS. Apostolorum in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Johannis Grisostomi in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Marie Nove in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Pantaleonis in uno prandio vel grofs. 27.
Item Plebanus S. Margarite in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Barnabe in uno prandio vel grofs. 27.

Item

Item Plebanus S. Nicolai de Mendicolis in uno prandio vel ss. 2. gross.
Item Plebanus S. Basilii in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Raphaelis in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Gervasii in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Agnetis in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Viti in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Gregorii in uno prandio vel ss. 5. gross.
Item Plebanus S. Eufemie in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Pauli in uno prandio vel ss. 3. gross.
Item Plebanus S. Thome in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Stephani Confess. in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Augustini in uno prandio vel lib. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Ubaldi in uno prandio vel libr. 3. parvorum.
Item Plebanus S. Apollinaris in uno prandio vel ss. 3. gross.
Item Plebanus S. Johannis de Rivoalto in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Lucie in uno prandio vel ss. 3. gross.
Item Plebanus S. Simeonis Apostoli in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Simeonis Proph. in uno prandio vel libr. 3. parvor.
Item Plebanus S. Johanis Decollati in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Eustadii in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Marie Matris Domini in uno prandio vel gross. 27.
Item Plebanus S. Canciani in uno prandio vel ss. 3. gross.

EX CATASTICO EPISCOPALI CASTELLANO.

Iis vero diebus D. Episcopus habet medietatem offertorii quod pervenit in Ecclesia Castellana videlicet Dominica de adventu die Nativitatis Domini, Epiphaniarum, Dominica prima quadragesime, cena Domini, Sabbatum Resurrectionis, die Resurrectionis, Sabbatum Pentecostes, die Pentecostes, & Omnium Sanctorum, diebus vero majoris festivitatis Sanctorum Petri & Pauli, & die S. Andree habet totam oblacionem sive offertorium preter denarios oblacionum qui sunt proprii Sacerdotum; in quibus vero omnibus diebus debet D. Episcopus duos cereos convenientes solempnitati exhibere, qui ardeant in Vesperis vigiliarum, & in die ad Matutinum, & Missam, & Vesperos coram Altari ubi officium celebratur & debet dare incensum necessarium per totum annum & solvere funes campanarum.

Illud vero totum quod quandocunque per totum annum offertur super Altare S. Petri, & ad arcella (1) Sanctorum dividitur inter Episcopum & Canonicos residentes ita videlicet quod Episcopus habet medietatem, & aliam medietatem Canonici; Illud tamen quod offertur super aliis Altaribus, & ad alia Oratoria Ecclesie Castellane est proprie Canonicorum, preterea duobus diebus sive duabus vicibus in anno quibus consuevit aperiri cassellam B. Petri silicet in Cena Domini, & in Ascensione. Quod Canonici residentes in Ecclesia Castellana debent habere de capsella 5. sol. parvor. & 5. blancor. pro quolibet.

Illas vero ymagines (2) que apportantur, ad Ecclesiam sunt proprie Canonicorum preter illas ymagines que portantur ad Altare B. Petri quorum medietas est Episcopi, altera vero Canonicorum.

Centure vero de quibus cingitur Altare

(1) Arcella pro arcula, Italicae Cassetta, seu Cassella. Vide Dufresnium.
(2) Imago fortasse erat vexillum cum imagine, vel imagines votivae ex cera compactae, aut in metallo incisae.

re B. Petri (3) quandocunque apportantur per annum & candelle sive cerei vel centure, qui vel que habentur in die majoris festivitatis Beatorum Petri & Pauli, & B. Andree, & in nocte Resurectionis Dominice, & insuper cerei baptismales proprie sunt ejusdem Domini Episcopi.

Item isti sunt dies quibus tenentur Plebani Sacerdotes Diaconi Subdiaconi Ecclesie Castellane subjecti omni anno in missa ex debito Sacramento predictam Cathedralem Ecclesiam visitare scilicet die secundo Pasche non in campo nec in secretario sed in Ecclesia predicta, usque ad finem Evangelii tenentur interesse. Verum Sacerdotes qui tunc erunt ebdomadarii, quilibet cum suo Clerico causa comunicandi populum & infirmos sue Parochie de licentia, & gratia speciali quam D. Episcopus sibi concessit ipso die possint remanere. Salvo quod Frater Rambertus bon. mem. Episcopus Castellanus sibi concessit quod remanere deberet ipsa die ut melius satisfaciat populo & sue Ecclesie. Et pro ipso die concessit quod omnes deberent interesse die consecrationis predicte Ecclesie Castellane sub prestito juramento, usque ad finem Evangelii ut superius continetur.

Item Sabbato Pentecostes propter baptismum, usque ad finem Evangelii.

Item die Sancto Pentecostes Cathedra S. Petri que est retro B. Petri Altare debet preparari & D. Episc. debet se parare in Capella S. Justi superius in Episcopatu, & fieri processio per portam Episcopatus & introire Ecclesiam S. Jo: Baptiste & volvere baptismum, & exire per aliam januam & volvere campanile, & ire ad ripam canalis, cum processione eundo prope ripam, usque ad januam Ecclesie Cathedralis semper canendo & intrare Ecclesiam, & ibi permanere, usque ad finem in pena predicta.

Hiis diebus D. Episcopus in Vesperis Vigilie qui interfuerint Vesperis attendit ad bonam colacionem qui interfuerint matutinis, & Misse stant in prandio, cum D. Episcopo alioquin invitantur Mansionarii: Custos semper comedit superius.

Item in festo S. Petri preparatur Ecclesia, Cathedra, & fit processio ut dictum est supra, salvo quod non intratur Ecclesia S. Jo: Baptiste, & ad Missam permanent, usque ad ultimum Agnus Dei.

Item in Vincula S. Petri, & in Cathedra S. Petri solummodo tenentur venire Plebani, & usque ad finem Evangelii istis duobus diebus ad Missam permanere.

Item in Festo Nativitatis S. Marie, usque ad finem ultimum Agnus Dei.

Item Dominica prima Quadragesime, usque ad finem Evangelii tenentur interesse.

Item die Jovis Sancto causa conficiendi Chrisma, qua die una cum ipso Chrisma tenentur esse in processione ad Missam, usque ad ultimum Agnus Dei tenetur permanere.

Item die Sabbato Sancto propter Baptismum ad finem Evangelii tenentur interesse.

Item de juramento quod faciunt Sacerdotes & Diaconi quando de novo sunt constituti Ecclesie Castellane.

Item quando aliquis ordinatur vel promovetur de novo ad Ordinem Diaconatus & Presbyteratus, aut cum Presbyter cantet Missam Novam, & Diaconus Evangelium, debent venire ad presentiam D. Episcopi, & ab eo petita licentia cantandi Missam & Evangelium, & abita ab eo licentia debet ei vel ejus Vicario vel alicui alii de suo mandato jurare fidelitatem & obedientiam D. Episcopo & obsequia Ecclesie Castell. & propriis manibus scribere in quaterno ubi sunt scripte omnes Ecclesie Venetiarum & sic dicere:

Ego Petrus Presb. Eccl. S. Martialis vel Diaconus talis Ecclesie juro fidelitatem & obedientiam Ven. Patri D. Ram-

† (3) Centura hic summuntur pro cinctorio cere, scilicet Filum erat cera obductum, quo cingebatur sepulcrum, seu Altare Sancti pro offerentis devotione. Consule Dufresnium.

Ramberto Dei gratia Episcopo Castell. & ejus successoribus Canonice intrantibus, & debita obsequia Ecclesie Castellane manu mea scripsi vel sic m. m. ss.

Isti sunt panes qui dantur a D. Episcopo religiosis locis pauperibus in Mense. In primis Fratribus Predicatoribus panes xl. Minoribus xl. Heremitis xl. Carmellitis xl. Heremitis de Muriano xxx. Sororibus Minoribus xxx. Omnibus Hospitalibus xxii. Carceratis & omnibus aliis locis paupertatum.

Item notatur quedam consuetudo bene approbata, sed de voluntate, & in possessione habita & per precessores nostros observata a tempore bon. mem. Dom. Fr. Valterii quondam Episcopi Castellani quod in adventu D. Episcopi Castellani Abbas S. Nicolai de Litore Prior S. Andree de Litore Prior S. Elene Abbatissa S. Servuli Prior S. Lazari Prior S. Spiritus Abbatissa S. Angeli de la Contorta Prior S. Georgii de Alega Abbatissa S. Blasii Cataldi de Judeca Abbatissa S. Segundi Prior S. Marie de Misericordia Abbatissa S. Katerine de Saccis Prior S. Johanis Evangeliste Abbatissa S. Zacharie Abbatissa S. Laurencii omnes de Venetiis Castellane Diocesis debent dare unum lectum pro quolibet de penna cum plumazo linteaminibus, & copertorio.

Aymericus Archiepiscopus Ravennas ex mandato Joannis XXII. numerum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Castellanæ ad duodenarium coarctat.

R 1325. 5. Junii Apostolicæ Litteræ Joannis XXII.

1329. 4. Novembris Statutum Archiepiscopi.

Ex Archivo Canonicorum Patriarchalis Ecclesie.

IN Christi Nomine Amen. Noverint universi presentes litteras & instrumentum publicum inspecturi. Quod Nos Aimericus Dei & Apostolice Sedis gratia Sancte Ravenatis Ecclesie Archiepiscopus, ac provincie Romandiole pro Sancta Romana Ecclesia spiritualis, & temporalis Rector (1) quasdam Apostolicas litteras integras illesas, solita, notaque bulla plumbea ad filum canapis pendenti munitas recepimus dudum, cum debita reverentia, continentie per omnia subsequentis.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Aimerico Archiepiscopo Ravennati Rectori Romandiole Salutem & Apostolicam benedictienem. Nuper ex parte dilectorum filiorum Capituli Ecclesie Castellane nobis extitit intimatum, quod ipsi provide attendentes, quod multitudo in illis Ecclesiis quorum facultates paucis sufficiunt, potius est oneri quam honori; & quod in eadem Ecclesia, in qua ut asserunt prebendarum distinctio non habetur propter paupertatem suorum proventuum, viginti duorum Canonicorum numero computatis Archidiacono Archipresbytero & Primicetio in eadem ultra quam sui possibilitas exigat gravabantur, predictum numerum juxta facultates ejusdem Ecclesie restringere cupientes duodenarium numerum dumtaxat Canonicorum, dictis Archidiacono Archipresbytero & Primicerio computatis in eo communiter statuerunt, & juramento

Ii 2 fir-

(1) De Aymerico olim Archiep. Ravennate postea Cardinali diximus T. V. p. 194. 209. 212.

firmaverunt, illum de cetero inibi observandum ac Venerabilis frater noster Episcopus Castellanus predictum duodenarium numerum auctoritate ordinaria confirmavit. Quare pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod super hoc provide per eos factum est Apostolico fulcire munimine dignaremur. Quia igitur de premissis plenam notitiam non habemus fraternitati tue de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, presentium tenore committimus & mandamus, quatenus diligentius te informes, utrum hujusmodi numeri Canonicorum diminutio fuerit ex legitima causa facta, & an premissis nobis pro parte eorum propositis veritas suffragetur, & si inveneris ita esse predictum duodenarium numerum computatis in eo Archidiacono Archipresbytero & Primicerio memoratis auctoritate Apostolica studeas confirmare deinceps in dicta Ecclesia observandum, nisi ejusdem Ecclesie in tantum excrescerent facultates quod prefatus numerus esset in eo merito augumentandus; auctoritate Sedis Apostolice semper salva; Contradictores per censuram Ecclesiasticam compescendo. Datum Avinione Nonis Junii Pontificatus Nostri anno nono.

Cum itaque pro parte dicti Capituli Castellani de exequendo easdem Apostolicas litteras essemus instantissime requisiti, & infra Nos obbedire volentes mandato Apostolico suprascripto, excognitis caussis, rationibus prelibatis diligentissime informati. Auctoritate Apostolica supradicta prefatum duodenarium numerum Canonicornm Archidiacono Archipresbytero & Primicerio computatis in eo specialiter, ac expresse & solemniter in his suprascriptis duximus, confirmandum. Decernentes auctoritate predicta numerum ipsum in eadem Ecclesia deinceps fore perpetuo observandum nisi ejusdem Ecclesie in tantum excrescerent facultates, quod prefatus numerus esset in eadem Ecclesia merito augumentandus auctoritate Sedis Apostolice semper salva; De quibus ad futuram memoriam, & Capituli suprascripti cautellam mandavimus per subscriptum Guidonem Notarium fieri presentes in publica forma nostrique Archiepiscopalis sigilli appensione muniri. Acta, & data sive pronunciata & lata fuerunt predicta in Civitate Cesena in Palatio Castri Sancte Ravennatis habitationis nostre in presentia D. Petri Primicerii & Venerabilium, & discretorum Virorum D. Realis de Cesena Albertini de Arimino, & Francisci de Cesena Canonicorum Ecclesie Cesenatis, Jacobi prepositi Forojuliensis Jacobi de Castro Florentini Canonicorum faven. Guidonis Zarlanderii, & Renaldi de Maginicia Capellanorum nostrorum, & D. Pauli de Bonacampis de Bononia jurisperiti, & aliorum nonnullorum testium ad hec vocatorum & rogatorum. Anno Nativitatis Dominice millesimo trecentesimo vigesimo nono Indictione XII. die quarta mensis Novembris Pontificatus suprascripti Sanctissimi Patris & D. Nostri D. Joannis Pp. XXII. anno Quartodecimo.

Et ego Guido filius f. . . . Guidonis de Quinto pubblicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius Florentinus, & nunc Notarius Camere suprascripti Reverendiss. Patris & D. D. Archiepiscopi & Rectoris suprascripti prelationi dacioni & pronunciationi factis per dictum Dominum nunc pro tribunali sedentem una cum testibus memoratis interfui, & de premissis omnibus propria manu scripsi, & confeci, de ipsius Domini mandato presentes litteras, & publicum instrumentum mee manus signo solito signatum & sigillo pendenti prefati Domini communitum.

Senà-

Senatus Venetiarum statuit divisionem faciendam de decimis defunctorum.

S 1418. 14. Martii.

Ex Catastico Ecclesiæ S. Cassiani Venetiarum.

MCCCCXVIII. *Die* XIV. *Martii. In Consilio Rogatorum.*

VAdit pars, que in posterum debeat observari, quod de decimis per defunctos ad solvendum, tam illorum qui mortui fuissent, quam de decimis que dimitterentur, sive remanerent in posterum ad debendum solvi, debeat dari unum quartum dicto Episcopo, alium quartum Capitulo Contrate defuncti, de tertio quarto tres partes dentur procuratoribus Ecclesie unde fuerit defunctus pro sabbrica Ecclesie illius contrate, & quarta pars illius quarti, que solebat dari Episcopo pro fabrica Ecclesie Castellane detur Procuratoribus ipsius Ecclesie, qui illam teneant in una capsa terenda in Episcopatu, vel sacristia Ecclesie, que capsa, habeat tres diversas claves, quarum unam teneat Episcopus, & alias duas teneant duo Procuratores Ecclesie Castellane, & debeat dicta talis pecunia secundum quod erit opus partiri in fabrica ipsius Ecclesie Castellane, & ornamentis Ecclesie; quartum autem, quod solebat accipere per Episcopos de quarto pauperum contrate dimittatur. Nec possit accipi per Episcopos ullo modo, sed tantum integrum quartum detur, & dispensetur inter pauperes contrate, ubi stabit defunctus per Procuratorem Ecclesie defucti, & per commissarios dicti defuncti, & per istum modum res procedent secundum Deum, & humanitatem.

Modus dividendi decimas Mortuorum in Ecclesiis Castellanis.

Ex Archivo Patriarchali.

INfrascripto modo dividende sunt decime quas in Civitate Venetiarum sive Dioecesi Castellana timorate persone in vita solvere volunt, aut quas decedentes relinquunt in testamentis suis. Nam in 4. partes dividuntur, quarum unam recipit universaliter D. Patriarcha in quacunque Parochia existat testator; alteram partem recipit Capitulum Cathedralis Ecclesie Castellan. si in eadem Parrochia relinquatur. In aliis vero Parrochiis Plebani, & eorum Capitula recipiunt partem secundam; 3. vero assignatur pauperibus illius Parrochie, a qua decima ipsa recipitur; 4. vero pars assignatur fabrice Ecclesie Parrochialis defuncti sive legantis. Verum antiquitus, quando decima aliqua relinquebatur extra Parrochiam Castellanam propter paupertatem ipsius Parrochie Castell. D. Episc. recipiebat 4. partem ex 4. parte decime, que pertinebat ad pauperes Parrochie, in qua decima ipsa dispensabatur, quam partem ipse D. Episcopus dispensare tenebatur inter paupere Parrochie S. Petri de Castello v. g. si aliqua Parrochia 4. pars decime pauperum fuisse 12. ducat. 3. ducat. dispensabantur inter pauperes Parrochie S. Petri de Castello, Reliqui vero novem dispensabantur inter pauperes Parrochie, in qua decima ipsa relinquebatur. Similiter fiebat de 4. parte fabrice, de qua 3. partes remanebant Ecclesie Parrochiali 4. vero pars quarte extrahebatur pro fabrica Ecclesie Cathe-

thedralis 5. ex 12. ducat. 3. prout de pauperibus superius est expressum. Sed dum quidam Episc. Castell. non dispensaret dictas pecunias pauperum, & fabrice Parrochie Castell. Ecclesie, prout tenebatur, moti Canonici cum quibusdam Laicis nescitur quo zelo & accusaverunt D. Episcopum ante Illustriss. Senatum, ex quo factum est, ut de cetero non solum D. Episcopus non reciperet partem pauperum pro Castellana Parrochia, sed etiam ipsi pauperes Castell. privati fuerunt quarta parte quarte ipsorum Pauperum. Tantum usque in presens perseverat solucio quarte partis quarte pro manutentione fabrice Ecclesie Castellan. Hec omnia continentur in quodam processu auctentico facto per D. Episcopum Paravinum judicem delegatum Apostolicum super controversia decimarum, que suborta fuerat inter Episcopum Castell. & Illustiss. Senatum sub anno Domini 1349.

Bonifacius IX. Ecclesiam Cathedralem S. Petri Venetiarum ditat Indulgentiarum muneribus.

T 1390. 13. Augusti.

Ex Tabulario Canonicorum Ecclesiæ Patriarchalis.

BOnifatius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum ad promerenda sempiterna gaudia Sanctorum suffragia sint nobis plurimum opportuna, loca Sanctorum omnium pia sunt devotione fidelium veneranda, ut dum Christi honoramus amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant, & illorum nobis quodammodo patrocinium vendicantes apud ipsum quod merita nostra non obtinent eorum mereamur intercessionibus obtinere: Cupientes igitur ut Ecclesia Castellana congruis honoribus frequentetur omnibus vere penitentibus, & confessis qui Ecclesiam ipsam in singulis festivitalibus Beati Petri Apostoli in cujus honore dicitur esse constructa, & per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes, ac in anniversario die dedicationis ipsius devote visitaverint annuatim de Omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Anagnie Idib. Augusti Pontificatus Nostri anno primo.

Idem Indulgentiarum munus Ecclesie Castellane paulo ante Patriarchali titulo insignite contulit Nicolaus V. Summus Pontifex Apostolico Diplomate, quod dedit apud Urbem Veterem die XVIII. Septembris anno MCCCCL.

Mar-

Martinus V. Sacellum Omnium Sanctorum a Marco Lando Episcopo Castellano in Cathedrali Ecclesia ædificatum indulgentiis ornat.

V 1424. 8. Februarii.

Ex Archivo Canonicorum Ecclesiæ Patriarchalis.

MArtinus Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Splendor paterne glorie qui sua mundum ineffabili claritate illuminat, pia vota fidelium de clementissima ipsius majestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Capella quam Venerabilis Frater Noster Marcus Episcopus Castellanus in honore, & sub vocabulo Omnium Sanctorum juxta suam Ecclesiam Castellanam fundasse dicitur & construxisse congruis honoribus frequentetur: & ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, Quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint uberius se refectos de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli auctoritate omnibus vere penitentibus & confessis qui in Nativitatis Circumcisionis Epiphanie Resurrectionis Ascensionis & Corporis Domini Jesu Christi, ac Pentecostes nec non Nativitatis Annuntiationis & Assumptionis B. M. V. ac Nativitatis Beati Johannis Baptiste dictorum Petri & Pauli ac dedicationis ipsius Capelle festivitatibus, ac celebritatis Omnium Sanctorum, & per ipsarum Nativitatis Epiphanie Resurrectionis Ascensionis & Corporis Domini nec non Nativitatis & Asumptionis B. Marie, ac Nativitatis Beati Johannis Baptiste & Apostolorum Petri & Pauli predictorum festivitatum Octavas & per sex dies Pentecostes immediate sequentes prefatam capellam visitaverint devote annuatim singulis videlicet festivitatum & celebritatis unum annum & quadraginta dies, Octavarum vero & sex dierum predictorum diebus quibus eamdem Capellam visitaverint ut prefertur centum dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Rome apud Sanctum Petrum dies octo Februarii Pontificatus nostri Anno septimo.



Eugenius IV. concedit Monialibus Venetis Torcellanis & Clugiensibus Indulgentiam diei Ascensionis Dominicæ, ac si visitarent Ecclesiam S. Marci Venetiarum.

X 1432. 15. Septembris.

Ex Archivo Monasterii S. Andreæ Venet.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam Sacre Religionis Observantia qua dillecte in Christo filie Abbatisse & Moniales, in quibusvis Monasteriis ordinum quorumcunque in Castellanensis, Clugiensis, & Torcellan. Civitatibus, earumque Diecesibus consistentibus, pre-

fer-

fertim sub clausura perpetua, & regulari observantia degentes, mondanis abdicatis illecebris in castimonia Altissimo famulantur, non indigere meretur, ut illas ipsas gratia favorabiliter prosequamur, que suarum animarum saluti pro futura esse noscatur. Hinc est quod nos Abbatissarum, ac Monialium predictarum supplicationibus inclinati de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eisdem nec non aliis in futurum in Monasteriis predictis, sub clausura & observantia hujusmodi pro tempore degentibus Abbatissis, & Monialibus, ac ipsarum singulis vere penitentibus & confessis, ac Ecclesiam S. Marci de Venetiis dicte Castellane Diocesis, in festivitate Ascensionis D. N. J. C. visitare cupientibus, annuatim omnes & singulas indulgentias, remissiones peccatorum, & rellaxationes injunctarum penitentiarum, quas quicunque Romani Pontifices predecessores nostri omnibus & singulis Christifidelibus similiter penitentibus & confessis, & in festivitate predicta eamdem Ecclesiam annuatim visitantibus, indulxernnt, sive indulgentie, remissiones & relaxationes hujusmodi, quas haberi volumus presentibus pro expressis in perpetuum, vel ad certum tempus concesse fuerint modo & forma, & ad tempus, quibus per eosdem Pontifices concesse existunt auctoritate Apostolica misericorditer concedimus per presentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Domini Mccccxxxii. Id. Septembris Pontific. nostri anno primo.



Eugenius IV. statuit certas regulas pro Sanctimonialibus Venetiar.

Y

1433. 1. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Nostro Episcopo Castellano, ac dilecti filiis Abbati Monasterii S. Nicolai de Littore, & Pleb. Ecclesie S. Barnabe de Venetiis Castellane Diocesis salutem & Apostolicam benedictionem. Pro reformatione Monasteriorum Monialium Venetiarum alias scripsimus, sicut ex tenore litterarum nostrarum plenius continetur, quibus, sicut accepimus, quoniam pro conversantibus in dictis Monasteriis certa declaratio est opportuna. Tenore presentium auctoritate Apostolica declaramus, & sic exequi studeatis, quod Gastaldiones, seu factores dictarum Monialium, Medici, operarii, & persone alicujus exercitii opportuno tempore necessitatis dumtaxat juxta solitum possint in dictis Monasteriis intrare, & honeste mulieres vidue, domicelleque in ipsis Monasteriis habitare, & alie mulieres cum habitu tamen honesto in eisdem intrare, & conversari possint causa visitationis. Alie quidem persone honeste conversationis & vite visitare possint in parlatoriis ipsas Moniales, sicut antea consueverunt. Capellanos vero & confessores earum, quos volebamus esse annorum sexaginta, declaramus esse debere annorum quinquaginta vel circa, dummodo sint honeste atque probate vite. Et quia tempore pestis quandoque translatio dictarum Monialium est opportuna, eisdem tenore & auctoritate concedimus, quod ipse Moniales, ad alia Monasteria Venetiarum se transferre possint tempore pestis, & peste durante

te in eisdem habitare, obtenta tamen a te Episcopo, & a suis Superioribus licentia. Dummodo in totum Monasteria non deserant, sed cessante peste ad ipsa revertantur.

Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio Kal. Augusti Pontificatus nostri anno tertio.

B. de Monte Sancto.

Eugenius IV. Ecclesiam S. Joannis de Rivoalto, & alia beneficia Ecclesiastica concedit Ecclesiæ Cathedrali Castellanæ ad subsidium Canonicorum, atque ad institutionem Collegii puerorum Clericorum.

Z 1440. 24. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali, & ex Ital. Sacra Ughel.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus fratribus Paduanensi, & Tarvisiensi Episcopis, ac dilecto Filio Primicerio Ecclesie S. Marci de Venetiis Castellane Diecesis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum nostre emanarunt littere tenoris subsequentis.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Injunctum nobis, licet meritis imparibus, Apostolice Servitutis Officium mentem nostram continuo excitat, & inducit, ut circa quarumlibet Ecclesiar. presertim Cathedral. & Insignium, & in eis Divinis obsequiis deditarum personarum omnium statum utiliter, & prospere dirigendum paternis, & sollicitis studiis intendamus. Ipseque Ecclesie per nostre provisionis ministerium, concedente Altissimo, ad ejus laudem, & gloriam, populique devotionis augmentum in Divinorum exhibitione, ac alias multipliciter in spiritualibus, & temporalibus augeantur, opem, & operam, quantum cum Deo possumus, favorabiliter impendamus. Accepimus siquidem nuper, quod in Ecclesia Castellanensi, in qua ultra illius Archidiaconatum Archipresbyteratum, & Primiceriatum, qui dignitates inibi existunt, novem Canonicatus, & totidem prebende instituti fore noscuntur, a multis citra temporibus ab his, qui dignitates, ac Canonicatus, & prebendas predictas interim obtinuerunt, in Divinorum exhibitione plurimum neglecta remanserit, & quod modernis temporibus ultra quattuor ad plus ex Canonicis, ac dignitates obtinentibus hujusmodi apud eam non resident. Quodque reliqui eorumdem, illa quasi derelicta in aliis suis Ecclesiis, seu Plebibus moram trahunt. Cum autem negligentia, & obmissio ressidentie hujusmodi ex eo principaliter provenisse, & provenire videatur, quod Canonicatuum, & Prebendarum, ac dignitatum predictarum etiam certi fructus, redditus, & proventus, qui communes exsistunt equalibus portionibus inter Canonicos, & dignitates pro tempore obtinentes in Ecclesia predicta, tam apud eam residentes, & inibi inservientes, quam etiam non residentes, & debita obsequia non prestantes distribui, & assignari consueverunt. Nos igitur predictam consuetudinem eidem Ecclesie damnosam, & prejudicialem fuisse, & esse reputantes, & tam super hoc, quam etiam alias statui, & indemnitati dicte Ecclesie, & ut in ea per illius pro tempore Canonicos, ac dignitates obtinentes, aliasque personas debita prestentur obsequia providere, ipsamque in personarum numero inibi continuo servientium adaugere volentes, ex premissis, & aliis pluribus rationa-

bilibus causis nobis notis, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate sex perpetua officia, que subcanonicatus nuncupari volumus pro totidem Ecclesiasticis personis ad illa idoneis, nec non unum perpetuum Collegium duodecim pauperum Clericorum, ac pro eis totidem loca, nec non unum in Grammatica, & alium in Cantu Magistros in Ecclesia presata auctoritate Apostolica ex certa scientia, tenore presentium perpetuo instituimus, facimus, atque creamus, ac tribus primis diaconales, & reliquis tribus ea sex officiis subdiaconales, nec non cuilibet ex novem Canonicatibus, & prebendis predictis Presbyterales Ordines dicta auctoritate annectimus, & annexos esse volumus. Et nichilominus quod omnes, & singuli Canonicatus, & prebendas, ac officia predicta pro tempore obtinentes infra annum, qui quoad presentes Canonicos ab intimatione presentium eis faciende, & quo ad singulos alios ex nunc in antea Canonicatus, & prebendas, ac officia obtinentes hujusmodi, ab illorum pacifice assecutionis eorumdem diebus computari debeat ad illos ex ordinibus presatis, qui suis tunc prebendis, & officiis hujusmodi annexi sunt, se promoveri facere teneantur. Ac etiam quod nullus de cetero aliquos, seu aliquod ex Canonicatibus, & prebendis, seu officiis Ecclesie hujusmodi, ac Plebanatum, seu aliam principalem dignitatem, aut Parochialem Ecclesiam, vel aliquod beneficium curatum, aut personalem residentiam requirens in loco de Venetiis Castellane Diecesis, seu Canonicatum, & prebendam in Ecclesia S. Marci de dicto loco insimul ultra mensem, personis tamen similia presentialiter Canonice obtinentibus dumtaxat exceptis, tenere valeat; alioquin tam illi, qui intra annum predictum non promoti fuerint (ut prefertur) eodem anno elapso suis Canonicatu, & prebenda Ecclesie Castellane hujusmodi, quam etiam quilibet, qui in Castellana, & S. Marci Ecclesiis Canonicatus, & Prebendas, seu Plebanatum, vel Principalem dignitatem, aut Parochialem Eccl., seu alias Curatum beneficium, vel personalem residentiam requirens beneficium hujusmodi insimul pro tempore obtinuerit, ut etiam prefertur, post lapsum prefati mensis ambobus per eum obtentis predictis, absque eo quod monitiones, seu vocationes desuper fiant, privati existant, illaque omnia, & singula per privationem hujusmodi vacare censeantur, & per illos, ad quorum collationem, provisionem ea spectare noscuntur, aliis Canonice conferantur, seu conferri possint. Ac ulterius, quod omnes, & singuli fructus, redditus, proventus, introitus, census, decime, oblationes ex Archidiaconatu, Archipresbyteratu, Primiceriatu, Canonicatibus, & Prebendis, ac Officiis Castellane Ecclesie hujusmodi, & illius mensa Capitulari, ac ex bonis mobilibus presentibus, & futuris cujuslibet eorumdem, nec non ex funeralibus cera, & alias quomodolibet in dicta Ecclesia; & illius, ac aliorum predictorum omni ratione ex nunc in antea proventuri, quos omnes per ipsorum veros annuos valores presentibus haberi volumus pro expressis, una massa fiat, illique omnes inter Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, Canonicos, Subcanonicos pro tempore existentes, & personaliter residentes, ac divinis Officiis interessentes in dicta Castellana Ecclesia juxta statuta, & Ordinationes Venerabilis Fratris Nostri Laurentii Episcopi, ac dilectorum filiorum Capituli Castellani vigore presentium super hoc facienda, & edenda pro distributionibus quotidianis duntaxat distribuantur, & non alias, & eis realiter assignentur, ac distribui, & assignari debeant. Ita quod illi ex Archidiacono, Archipresbytero, Primicerio, Canonicis, & Subcanonicis, tam presentibus, quam futuris Castellane Ecclesie hujusmodi, qui residentiam non fecerint apud ipsam Castellanam Ecclesiam, nec diurnis pariter, & nocturnis Divinis Officiis interfuerint, neque servierint in eadem interimque absentes fuerint, & non servierint (ut prefertur) fructibus, redditibus, proventibus, censibus, decimis,

nis, oblationibus, & aliis premissis penitus careant, & nichil ex illis percipiant, nec percipere debeant, neque etiam aliquis eorumdem non residentium, neque servientium Canonicorum massariatus Officium in prefata Ecclesia Castellana habere, seu exercere valeat. Quodque etiam Episcopus Castellanus pro tempore existens in omnibus, & singulis Dominicis, ac Beate Marie, nec non Apostolorum omnium, & aliarum solemnium festivitatum diebus Missis Majoribus in ipsa Castellana Ecclesia personaliter interesse. Dictique pro tempore Canonici, & Subcanonici tam in prefatis, quam in aliis festivis duplicibus, ac quadragesimalibus, nec non in magnorum Anniversariorum, & exequiarum diebus hujusmodi majores Missas cum Diacono, & Subdiacono Dalmatica, & Tunicella tunc indutis per seipsos perpetuo celebrare teneantur. Preterea quod Canonici pro tempore existentes Castellane Ecclesie hujusmodi in quibuscunque processionibus, & aliis actibus Ecclesiasticis, ac etiam in conventionibus publicis, omnibus, & singulis aliis Ecclesiasticis personis in hujusmodi loco de Venetiis, dignitates quoque principales in plebibus, ac Ecclesiis Collegiatis, ac Parochiales Ecclesias, & quecumque alia cum cura, & sive cura Ecclesiastica beneficia obtinentibus, & quod illi ex eis, qui prius recepti fuerint, aliis postmodum receptis in dicta Castellana Ecclesia Canonicis; nec non Subcanonici pro tempore predicti, qui etiam almutias pellibus schiriolinis foderatas gestare possint, eisdem Canonicis dumtaxat exceptis, Mansionariis, ac aliis omnibus, & singulis personis Castellane Ecclesie hujusmodi. Magistri vero pro tempore prefati Mansionariis predictis, ac etiam dictus pro tempore Archidiaconus Vicario in spiritualibus Generali dicti pro tempore Episcopi in ipsius Episcopi presentia dumtaxat in Choro dicte Castellane Ecclesie preponantur, & preferantur, ac preponi, & anteferri debeant. Ut insuper quod Omnium, & singulorum sex Officiorum collatio, & provisio, ac Clericorum, & Magistrorum predictorum deputatio, ad prefatum Laurentium Episcopum hac prima vice, & successive perpetuis futuris temporibus, quoties ea per cessum, vel decessum, aut alias quibusvis modis simul, vel successive ex tunc in antea vacare contigerit Canonicorum, & Subcanonicorum electio ad Capitulum; confirmatio vero electionum pro tempore factarum ad Canonicatus, & prebendas, ac officia hujusmodi ad dictum Episcopum pro tempore existentem, necnon deputatio Clericorum, & Magistrorum eorumdem ad eosdem Episcopum pro tempore, & Capitulum libere spectent, atque pertineant. Et quod nullus aliquod Officiorum eorumdem retinere, ac ad illud recipi valeat, nisi de Civitate Castellana, aut prefata, seu Torcellana, vel Clugiensi Diocesibus oriundus existat. Quodque de cetero Canonicatus, & prebende Ecclesie Castellane hujusmodi pro tempore vacantes, nisi Subcanonicis pro tempore predictis dumtaxat conferri, & assignari, & alii ad illos eligi, recipi, seu admitti ullo umquam tempore minime possint, neque debeant. Ac etiam ulterius, quod Grammatice, & Cantus Magistri, necnon omnes, & singuli Clerici pueri pro tempore predicti singulis diebus Missis Majoribus, & aliis Omnibus Divinis Horis Canonicis continuo in prefata Castellana Ecclesia interesse, & servire. Ipsique pueri Clerici superpelliceis induti, ac bini per ordinem, & non alias cum eodem Magistro Grammatice in dicta Castellana Ecclesia pro serviendo in Missis, & Divinis hujusmodi, singulis vicibus intrare, & Capituli predictorum, ac fabrice ejusdem Castellane Ecclesie presentes, & futuri Procuratores omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus ad Collegium puerorum Clericorum hujusmodi, eorumque collegialem Mensam, necnon Magistros predictos pro tempore spectantes, & pertinentes recipere, & juxta ordinationes, & statuta a Laurentio Episcopo, & Capitulo prefatis vigore presentium hujusmodi etiam desuper facienda, & edenda Clericis, &

Magistris predictis, & eorum singulis realiter persolvere, tradere, & assignare, ac alias in illorum usus, & utilitatem convertere teneantur. Quodque nullus in Collegio Clericorum hujusmodi, nisi octavum sue etatis annum tunc attigerit recipi, vel admitti, nec in eo receptus, vel admissus post completum quintumdecimum dicte etatis annum permanere possit. Magistri vero pro tempore prefati ad alia, quam ad Clericorum puerorum Instructionem, ac Missarum, & divinorum celebrationem juxta tamen statuta, & ordinationes desuper facienda hujusmodi intendere non valeant auctoritate Apostolica, ac motu, & scientia supradictis, harum serie statuimus decernimus, declaramus, ordinamus, volumus, atque concedimus d istrictius inhibentes omnibus, & singul s personis dignitates Ecclesiasticas, ac beneficia in loco de Venetiis pro tempore obtinentibus hujusmodi, ne ullo umquam tempore contra statutum decretum, declarationem, & voluntatem nostram predictam Canonicos pro tempore existentes Ecclesie Castellanc hujusmodi, vel ipsorum aliquem precedere audeant, vel presumant. Ut insuper pro dote, & substentatione puerorum Clericorum, ac Magistrorum pro tempore predictorum Plebanatum Plebis S. Joannis Elemosinarii, qui dignitas inibi principalis existit, & ut etiam accepimus; parvam presertim civium Venetorum animarum curam habet, cujusque sexaginta seu etiam si ad illud consueverit quis per electionem assumi, nec non unum ex tribus beneficiis Presbyteralibus in dicta Plebe S. Johannis institutis primo vacaturis, quorum cujuslibet viginti duorum, ac etiam S. Marci Bochalame in suis structuris, & edificiis penitus diruptam, & collapsam, ac S. Jacobi de Rivoalto sine cura Ecclesias prefate Diecesis, quarum nonaginta ducatorum auri de Venetiis fructus redditus, & proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut similiter accepimus non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis collegio puerorum Clericorum, & eorum collegiali mense pro ipsis, & Magistris pro tempore supradictis dumtaxat perpetuo incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod simul, vel successive cedentibus, vel decedentibus Plebano Plebis S. Joannis, ac beneficiatum in eadem ad beneficium, nec non Rectoribus S. Marci, & S. Jacobi Ecclesiarum hujusmodi liceat prefatis Procuratoribus per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem uniendorum, juriumque & pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac illorum omnium, & singulorum fructus, redditus, & proventus in puerorum Clericorum, ac Magistrorum pro tempore prefatorum juxta statuta, & ordinationes desuper faciendas, predicta usus, & utilitates convertere, & exponere Diocesani loci, & alterius cujuscunque super hoc licentia minime requisita. Postremo Laurentio Episcopo, ac Capitulo prefatis quecumque, quotcumque, & qualiacumque salubria, rationabilia, & utilia Missarum, & aliorum divinorum celebrationem, ac servitiorum impensionem, per Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, Canonicos, Subcanonicos, Magistros, & pueros Clericos, ac Mansionarios, & alias personas pro tempore hujusmodi faciendas in dicta Castellana Ecclesia, necnon omnium, & singulorum fructuum, redditutum, atque proventuum, & aliorum etiam in hujusmodi Collegio proventurorum predictorum distributionem, & assignationem, ac alias statum, directionem, conservationem, & bonum regimen Castellane Ecclesie, ejusque pro tempore Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii, Canonicorum, Subcanonicorum, Mansionariorum, puerorum, Magistrorum, & personarum predictorum concernentia, statuta, & ordinationes auctoritate nostra edendi, condendi, & faciendi, ac hactenus inibi edita, & condita, atque facta statuta, & ordinationes in toto, vel in parte tollendi, cassandi, minuendi, addendi, & corrigendi, Que omnia prout vigore presentium condita, edita, facta, cassata, diminuta, addi-

addita, & correcta fuerint inviolabiliter perpetuo servari decernimus plenam, & liberam auctoritatem, & motu predictis facultem concedimus, & etiam potestatem. Non obstantibus privilegiis, litteris, & indultis Castellanis, & aliis Ecclesiis, ac Plebibus predictis, eorumque presentibus, & futuris Canonicis, & personis, etiamsi nostri, vel Apostolice Sedis familiares, etiam continui Comensales, seu Officiales nunc, & pro tempore fuerint per nos, vel Sedem predictam in genere, vel in specie sub quibusvis formis, aut verborum expressionibus, & cum quibuscumque effectui presentium derogatoriis clausulis concessis, & concedendis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, hujusmodi presentibus haberi volumus pro expressis, & quibus quo ad hoc specialiter derogamus, necnon aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Castellane, & aliarum Collegiatarum Ecclesiarum, ac Plebium predictarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliqua super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus principalibus, ac hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales prefate Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet fit processum. Quas quidem litteras, & processus ad unienda hujusmodi, vel eorum aliquod volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem dignitatum, vel beneficiorum aliorum prejudicium generari. Et quibuslibet aliis privilegiis, Indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa, vel totaliter inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod Plebanatus, & Ecclesie uniende hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum debite supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre Institutionis, Creationis, Statuti, ordinationis, declarationis, inhibitionis, incorporationis, annexionis, unionis, constitutionis, concessionis derogationis, & voluntatis infrangere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentie Anno Incarnat. Dominice millesimo quadringentesimo primo. Quarto Kalend. Januarii Pontificatus Nostri anno undecimo.

Ut igitur dicte littere debitum quamtocius sortiantur effectum, & per illas prefate Ecclesie Castellane salubriter provideatur, discretioni vestre, per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, aut unus, vel duo vestrum per vos, vel alium, seu alios ipsi Ecclesie Castellane in premissis efficacis defensionis auxilio assistentes, & ad plenariam litterarum predictarum executionem procedentes, illas ubi, & quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicetis, easque executioni debite demandetis. Facientes omnia, & singula in eis contenta ab Episcopo, Capitulo, Canonicis, & personis prefatis per Censuram Ecclesiasticam, & alia juris remedia firmiter observari. Et insuper legitimis super his super vos habendis, servatis processibus, eos, quoties expedierit, aggravare, & reaggravare curetis. Contradictores per Censuram eamdem appellatione pospofita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus fel. record. Bonifacii Pape VIII. Predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, nequis extra suam Civitatem, vel Diocesim in certis exceptis casibus, & in illis contra unam dietam a fine sue Diocesis ad judicium evocetur, seu ne Judices a Sede Apostolica deputati extra

tra Civitatem, vel Diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere sive alii, vel aliis vices suas committere presumant, & de duabus dietis in Concilio Generali editis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, contrariis quibuscumque, ac si Episcopo, Capitulo, Canonicis, & personis predictis quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Florentie Anno Incarnationis Dominice millesimo, quadringentesimo, quadragesimo secundo. Sexto Idus Octobris. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Callistus III. litteras Eugenii IV. in favorem Patriarchatus Venetiarum plene confirmat.

1455. 26. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

CAlistus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Inter multiplices curas que nobis ex Apostolatus officio censentur incumbere illas libenter, ut tenemur, amplectimur per quas in cunctis orbis Ecclesiis, Patriarchalibus presertim, ac primarie dignitate & honore fulgentibus devote solicitudinis studio benedicatur altissimus, & divinorum cultus continuum suscipiat incrementum, ac his propterea processisse comperimus, ut illibata persistant Apostolici muniminis adjicimus firmitate. Dudum siquidem fel. rec. Eugenius Pp. IV. Predecessor noster litteras concessit tenoris subsequentis. Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam injunctum nobis licet immeritis Apostolice servitutis officium mentem nostram continue excitat, & inducit ut circa quarumlibet Ecclesiarum presertim Cathedralium & insignium, & in eis divinis officiis deditarum personarum omnium statum utiliter & prospere dirigendum paternis, & solicitis studiis intendamus &c. Datum Florentie Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, quarto Kal. Januarii Pontificatus nostri anno undecimo. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte Ven. Fr. Nostri Laurentii Patriarche, ac dilectorum filiorum Capituli Ecclesie Venetiarum que licet antea, ut preferetur Castell. existeret. Postmodum tamen per fel. record. Nicolaum Pp. V. etiam predecessorem nostrum in Patriarchalem Venetiarum erecta fuit petitio continebat. Ipsi pro conservatione & augmento divini cultus in eadem necnon directione, ac statu prospero, tam Ecclesie memorate, quam in illa degentium personarum litteras Eugenii predecessoris hujusmodi, ac omnia & singula in eis contenta, & inde secuta pro eorum subsistentia firmiori, & nostro munimine roborari, ac perpetuam roboris firmitatem obtinere desiderent pro parte Patriarche, & Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum Ecclesiarum omnium presertim Patriarchalium, & insignium hujusmodi statum prosperum, & felicem intensis desideriis affectamus hujusmodi supplicationibus inclinati litteras Eugenii predecessoris insertas predictas, ac omnia & singula in eis contenta prout illas contingunt quecunque inde secuta auctoritate Apostolica ex certa scientia ratifica-

ficamus & approbamus, ac vim vigoremque perpetuum obtinere decernimus eaque ab omnibus inviolabiliter observari mandamus. Et nichilominus pro potiori cautela & subsistentia premissorum omnia, & singula per Eugenium predecessorem in dictis litteris statuta ordinata declarata facta atque concessa, sententia & auctoritate similibus de novo, ad perpetuam rei memoriam instituimus, creamus, statuimus, ordinamus, declaramus, inhibemus, incorporamus, annectimus, unimus, constituimus, concedimus, derogamus, & volumus in omnibus, & per omnia prout in ipsis litteris plenius continetur. Non obstantibus omnibus, que idem predecessor in suis litteris voluit non obstare quodque nos nuper in nostris Apostolatus primordiis rationabilibus suadentibus causis omnes uniones, annexiones, & incorporationes de quibusvis Ecclesiis Monasteriis dignitatibus personatibus officiis beneficiis, & locis Apostolica, vel quavis alia auctoritate factas que nondum sortite fuerant effectum, & propter quas illi quorum intererat sic unitorum possessionem pacificam assecuti non fuerant, ac quecunque concessiones mandata super unionibus, annexionibus, & incorporationibus taliter faciendis revocaverimus, cassaverimus, & irritaverimus nulliusque decreverimus existere roboris, vel momenti quas quidem revocationem, cassationem, annullationem, pariter, & decretum ad premissa volumus, & decernimus non extendi ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ratificationis, approbationis, constitutionis, mandati, instituti, institutionis, ordinationis, declarationis, inhibitionis, incorporationis, annexionis, unionis, concessionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto. Sexto Kal. Julii Pontificatus Nostri anno primo.

D. de Luca.

Pontificia mandata electionem Canonicorum firmantia diu, scilicet usque ad annum MCCCCXCIII. observata fuerunt, at cum eo ipso anno e vivis excessisset quidam Canonicus *Pasqualis de Ambrosiis* nuncupatus, & in ejus locum Canonicorum Collegium (*juxta antiquam & diu observatam consuetudinem*, & *in exequtionem prædicti indulti concessi* ab Eugenio IV. & *confirmati* a Calixto III.) elegisset Presbyterum Marcum Dragano, quidam alii Presbyteri *vigore quarumdam expectativarum* jus habere in predicto Canonicatu presumpserunt. Id cum *permolesto animo* accepisset Senatus Oratori suo in Romana Curia mandavit die VII. Martii anno eodem MCCCCXCIII. ut apud Summum Pontificem ageret, ne optima Eugenii Predecessoris sui statuta aliquo modo turbarentur, sed in Canonicatu predicto, & in reliquis Canonicatibus ordo servaretur, & consuetudo supradicta.

1493. 7. Martii in Rogatis.

S. Andreæ Capello Oratori Nostro in Urbe.

Extat indultum concessum a fel. rec. Eugenio Papa IV. & postea confirmatum a fe. mem. Calixto tertio: Quo inter cetera cavetur, ut in Ecclesia nostra Majori, & Patriarchali crearentur sex beneficia, vel officia nuncupata Sub-Canonicatus, & quando vacaverint Canonicatus, & prebende in dicta Ecclesia per Capitulum Canonicorum fieret electio unius predictorum Sub-Canonicorum ejus scilicet qui melior, aptior, & magis meritus esset de predicta Eccle-

clesia, qui ingredi haberet in locum prediĉti Canonicatus vacantis, cum clausulis striĉtissimis, & ingentis efficatie: Sic quod usque ad hec tempora extitit observatum, cum ingenti satisfaĉtione universali, & ornamento prediĉte Ecclesie Cathedralis: cui prediĉti Sub-Canonici sub hac spe ingenti studio, & sollicitudine in divinis Offitiis serviverint, & serviunt: Impresentiarum autem cum vacaverit unus prediĉtorum Canonicatuum per obitum D. Pasqualis de Ambrosiis, & Canonici juxta antiquam, & diu observatam consuetudinem, & in executione prediĉti indulti concessi, & confirmati ut supra, elegerint Venerab. Presbyterum Marcum Dragano unum Sub-Canonicorum Sacerdotem prudentem, & benemeritum de ipsa Ecclesia. Admissum postea, & confirmatum, ac investitum per Reverendiss. D. Patriarcham tamquam executorem diĉti indulti: Videtur quidam Presbyter Franciscus Griffo diĉtus Stratiota, & Augustinus Vignati vigore quarumdam expeĉtativarum pretendunt jus habere in prediĉto Canonicatu, pretendentes mediis contrariis ipsi indulto occupare Canonicatum ipsum: Quod non tantum ingrato, ac permolesto audivimus animo, verum etiam pati nullatenus intendimus: Quoniam id si tolleraretur, maximam induceret confusionem rebus nostri. Volumus idcirco, & cum Senatu nostro, ex animo imperamus: ut gravi & efficaci forma verborum declaretis Beatitudini Summi Pontificis quantum superius tetigimus, supplicando nostris verbis dignetur in benefitium, & comoditatem prediĉte Ecclesie Nostre Patriarchalis: & in singularem gratiam nostram jubere per Apostolicum breve; ut & in Canonicatu prediĉto nunc, & in reliquis Canonicatibus, qui de cetero vacabunt servetur ordo, & consuetudo, supradiĉta: quod scilicet per Canonicos fiat eleĉtio unius Subcanonici ejus scilicet qui aptior, & sufficientior visus, & judicatus fuerit: acceptandi postea per Reverendiss. Patriarcham juxta consuetum; & in hac honestissima petitione nostra per voto obtinenda, omnes vires, & spiritus intendite vestros, quoniam ut res erit ex omni respeĉtu digna, & laudabilis, ita eam habituri sumus gratissimam, & acceptissimam; & de successu nobis notitiam dabitis.

Innocentius VIII. cum unionem Plebanatus S. Joannis de Rivoalto mense Collegii Clericorum ab Eugenio IV. statutam dissolvisset, tria beneficia Ecclesiastica sine cura in Dominio Veneto posita eidem Collegio adneĉtit.

1488. 22. Aprilis.

Ex Archivo Canonicorum Patriarchalis Ecclesiæ.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Injunĉtum nobis desuper Apostolice servitutis officium mentem nostram excitat, & inducit, ut ad ea, que Ecclesiarum omnium presertim Patriarchalium, ac personarum in illis divinis laudibus insistentium comodo, & utilitati consulitur, quantum cum Domino possumus operosis studiis, ac remediis favorabiliter intendamus. Hodie siquidem unionem, annexionem, & incorporationem de Plebanatu Plebis S. Joannis Eleemosinarii in Rivoalto Venetiis, qui inibi dignitas Principalis existit, Collegio, & mense Collegiali duodecim puerorum Clericorum, ac unjus in grammatica, & alterius in cantu Magistrorum in Ecclesia Castellana, in Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum postmodum ereĉtam au-

auctoritate Apostolica dudum institutis eadem auctoritate factas per alias nostras litteras dissolvimus, ac in pristinum, & eum in quo antequam unio, annexio & incorporatio predicte fierent quomodolibet existebat statum restituimus, ac posuimus, & plenarie reintegravimus prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum valorem annuum secundum communem extimationem, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, Alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interest; Volentes mense, & collegio predictis ne propterea nimium dispendium patiatur de alicujus subventionis auxilio providere, nec non mense predicte fructuum, reddituum, & proventuum verum annuum valorem presentibus pro expressis habentes. Dilecti filii Nobilis Viri Augustini Barbarico Ducis Venetiarum nobis super hoc humiliter supplicantis supplicationibus inclinati tria beneficia Ecclesiastica sine cura in Dominio dicti Augustini Barbarico, & pro tempore existentis Ducis consensu quorum fructus, redditus, & proventus ducentorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedant; Cnm omnibus juribus & pertinentiis suis eidem mense auctoritate predicta tenore presentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod cedentibus, vel decedentibus simul, vel successive dicta beneficia obtinentibus, vel illas aliis quomodolibet dimittentibus, etiam si ex quavis causa preterquam apud Sedem Apostolicam, vel . . . . familiaritatis alicujus Cardinalis viventis personaliter reservata, vel ex generalibus Apostolica reservatione affecti fuerint; liceat dicto Collegio per se, vel per alium, seu alios in corporalem beneficiorum, juriumque & pertinentiarum predictorum possessionem propria auctoritate libere aprehendere, ac perpetuo retinere; illorumque fructus, redditus, & proventus in suos, ac Mense, & beneficiorum predictorum usus utilitatemque convertere, Diocesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisiti. Non obstatibus voluntate nostra predicta, ac aliis constitutionibus dicte Ecclesie juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis & hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dicte Sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum quas quidem litteras, & processus habitas per easdem, & inde secute quecunque ad dicta beneficia Volumus non extendi, sed nullius per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; Propterea quia nostre intentionis & mentis extitit, ut presentes littere plenarium omnibus sepositis consequantur effectum, nec revocationibus, & suspensionibus per nos etiam motu proprio, & ex certa scientia faciendis, quovis modo subjaceant; Volumus, & declaramus, quod si contingerit nos in posterum aliquas uniones, annexiones, & incorporationes . . . .

. . . .

. . . .

annexio, & incorporatio, ... omnimodum effectum sortiri, & sortitas esse decernimus nullatenus includantur nec per tales, & alias revocationes, cassationes, annullationes decretum & dispositiones sublate quomodolibet intelligantur, etiamsi de hujusmodi intentione nostra, & mente non derogandi specialis expressio non autem per generales, & alias clausulas, etiam que hujusmodi specificationem importare viderentur importarent sicque per quos-

quoscunque judices, & commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores in quacunque instantia sublata eis, & cuilibet eorum quavis alias interpretandi facultate sententiari, diffiniri, & judicari debere; Irritum quoque, & inane si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem quod quamprimum Collegium predictum presentium vigore aliquod beneficium Ecclesiasticum dispositione Apostolica generaliter reservatum; cujus fructus, redditus, & proventus viginti quattuor florenorum similium secundum extimationem predictam valeant annuatim fuerit pacifice assecutum infra tres menses ex tunc computandos; novam unionem impetrare, & litteras ex toto desuper expedire etiam jura camere Apostolice debita persolvendo teneantur; alioquin unio, annexio, & incorporatio predicta nullius existant roboris, vel momenti; Quodque propter unionem annexionem, & incorporationem hujusmodi dicta beneficia debitis non fraudentur obsequiis, sed eorum congrua supportentur onera consueta. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre unionis, annexionis, incorporationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo x. Kalendas Maii Pontificatus Nostri Anno quarto.

Ex Synodo D. Laurentii Episcopi Castellani

A 2

Quod honeste conveniri potest cum Laicis pro sepulturis. Cap. III.

Licet debitum sit Clericis, Ecclesiastica Sacramenta devote petita a fidelibus liberaliter exhibere: tamen a majoribus statutum reperitur, quod pietate fidelium introductum est, a posteris debère concedi: & per Ecclesiasticum judicem ad id observandum cogi posse. Tamen quia facultas cogendi seculares modo cessat; & multoties ex defectu justitie multa enormia committuntur: cum ipsi Clerici sentiant seculares sibi ex debito juris teneri: & tamen ex causa predicta cogi non posse, propterea scandala plurima oriantur: cum Clerici inhibeant corpus tradi sepulture, nisi primo debitum faciant: & laici detestentur talia, putantes solo spiritu Clericos, absque alimentis necessariis nutriri posse. Ut talia scandala evitentur, declarantes statuimus, quod ipsi Clerici invitati, primo antequam accedant ad domum defuncti, pro matutinis dicendis, quam honeste poterunt absque conscientie scrupulo conveniant, cum facientibus sumptus funeris, & componant &c.

Idipsum confirmatum fuit in Synodo Diecesano Andree Bondimerii Patriarche Venetiarum.

Constitutio pro Clericis, ut petere possint eleemosynas pro sepulturis Defunctorum. Cap. IV

Andreas Bondimerius Patriarcha Venetiarum, Dalmatieque primas. Quia in exequiis mortuorum inter Capitula Ecclesiarum, & heredes, seu commissarios defunctorum, aut alios impensam funerum facientes, in publico rixe, & scandala plurima oriuntur, aliis nostris constitutionibus adiicientes, statuimus a ut ipsa Capitula Ecclesiarum, antequam vadant ad exequias ipsorum defunctorum apud prefatos commissarios, aut heredes humaniter, ac cum modestia in-

instent: ut antiquas & laudabiles consuetudines observare velint. Et sic amicabiliter concordent; ut eisdem capitulis contribuant juxta facultatem ipsorum decedentium, & consuetudines hactenus observatas. Et ut premissa liberius, & absque scrupulo fiant; dispensamus jure nobis hoc permittente, ex causis antedictis, ut pacta, & conventiones circa sepulturas, & exequias mortuorum modo premisso fiant.

Nicolaus V. concedit Indulgentias Medicis, Sacerdotibus, & aliis deservientibus infirmis laborantibus pestilentia.

B 2 1447. 18. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

NIcolaus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Laurentio Episcopo Castellano Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad salutem animarum Christifidelium quorum nobis tanquam unico Christi Vicario, & totius Dominici gregis pastori in terris principaliter cura commissa est diligenti solicitudine, prout onus ipsius Pastoralis requirit officii intendentes ea libenter exequimur, per que Christifideles hujusmodi reddantur Domino acceptabiles, & bonorum operum sectatores, ipsosque quasi quibusdam allectivis muneribus indulgentiis videlicet, & remissionibus ad hoc salubriter invitamus. Sane non sine magna animi nostri displicentia percepimus Civitatem Venetiarum, sub tua Dioecesi constitutam temporibus istis pestilentie morbo graviter laborare cepisse, ejusque rei periculo territos medicos, ac etiam, quod gravius est, Sacerdotes Religiosos, ac seculares medicinas corporum, & animarum ad eorum professiones, & officia pertinentes hujuscemodi egrotantibus denegare, & subtrahere in grave periculum animarum, & corporum infirmorum predictorum, qua in re ab illius non solum preceptis, sed etiam exemplis multum discrepare noscuntur, qui cum verus Deus esset, & inter homines verus homo versaretur nemini humiliter postulanti salutarem, tam corporum, quam animarum medelam denegavit. Quocirca cupientes ex intimo caritatis affectu, ut egrotis ipsis salutaria remedia & officia humanitatis cuncta prebeantur, medicosque ac Sacerdotes & fideles universos utriusque sexus ad hujusmodi humanitatis, & caritatis officia aliquibus spiritualibus muneribus invitare, fraternitati tue omnibus & singulis medicis Sacerdotibus religiosis, & secularibus, nec non universis & singulis utriusque sexus personis vere penitentibus & confessis, qui seu que infirmos hujusmodi curaverint, visitaverint, consolati fuerint, ac salutaria presidia contulerint pro singulis diebus visitationum hujusmodi. Quadraginta dies de injunctis eis penitentiis auctoritate Apostolica misericorditer relaxandi, insuper dandi & concedendi illis ex personis predictis, que infirmos ipsos curando, visitando, consolando, & alia presidia salutaria conferendo hujusmodi morbos, & infirmitates contraxerint, ex quibus ab hoc seculo decedere contigerit, ut Confessor ydoneus secularis vel regularis, quem quelibet earum duxerit eligendum, eas ab omnibus peccatis suis, de quibus ore confesse & corde contrite fuerint, absolvere & salutarem penitentiam injungere, etiam si talia fuerint de quibus Sedes Apostolica fuerit merito consulendũ plenam & liberam eadem auctoritate tenore presentium concedimus facultatem, presentibus quoad pestis hujusmodi in dicta Civitate viguerit dumtaxat duraturis.

Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice 1447. xv. Kal. Augusti Pontificatus Nostri Anno primo.

Ja. de Garzonibus.

S. Laurentius Justinianus Patr. Venet. locat Nob. Viro Antonio de Canali quoddam terrenum extra portas Civitatis Æmoniæ, ubi olim fuerunt salinæ.

C 2 — 1454. 13. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi Nomine Amen Anno Nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto Indictione II. die XIII. Junii. In audientia Patriarchalis Palatii Venetiarum Reverendissimus Pater & D. D. Laurentius Justinianus miseratione Divina Patriarcha Venetiarum dedit, & concessit, atque locavit Nobili Viro D. Antonio de Canali q. D. Cristofori de Contrata S. Leonardi pro se & suis heredibus recipienti & conducenti quoddam terrenum extra portas Civitatis Emonie, & prope muros Civitatis, super quo terreno olim fuerunt saline, cujus hii sunt confines. Versus Levantem Vinea ser Mathei volta. Versus Austrum Franciscus de Arimino versus ponentem paltanum, & si qui forent confines veriores, ad habendum, tenendum, laborandum, & usufaciendum, cum omnibus & singulis juribus, & suis pertinentiis accessibus, & egressibus suis usque in viam publicam pro affictu, & solutione annui affictus stariorum quatuor salis & sold. viginti parvorum, & uno bono capreto solvendum singulo anno eidem D. Patriarche, vel ejusdem nuncio, ac etiam successoribus suis. Cum hoc quod dictus D. Antonius conductor possit, & valeat dictum terrenum fundare, fabricare, & reducere suis ipsius D. Antonii sumptibus & expensis ad salinas, & usum salinarum, & propterea voluit & contentus fuit prefatus D. Patriarcha, quod presens affictatio valeat teneat ad vitam dicti D. Antonii tantum, & sibi non possit auferri. Et post mortem dicti D. Antonii dictum terrenum, cum suo edificio redeat, & redire debeat, ad Ecclesiam Patriarchalem predictam, ita tamen quod dicta Ecclesia teneatur reficere suis heredibus dicti D. Antonii expensas factas in dicto terreno, quarum expensarum fiendarum ex nunc prefatus D. Antonius teneatur tenere bonum computum, & dare copiam dicto D. Patriarche, & ipse D. Patriarcha teneatur acceptare & tenere, ad perpetuam rei memoriam; Que omnia & singula suprascripta prefate partes per se, & successores suos solemnem stipulationem promiserunt sibi invicem attendere, & observare, & contra non facere, vel venire aliquo modo vel jure, obligando inde omnia eorum bona presentia, & futura.

Actum Venetiis in Patriarchali Palatio in audientia. Presentibus Ven. Viro Dom. Presb. Gregorio Polo Canonico Venet. & Presb. Nicolao de Castello Nuntio Curie Patriarchalis testibus vocatis habitis & rogatis &c.

L. S. Ego Antonius Jacobi Civis Venet. Publicus Imperiali auctoritate Notarius, & prefati Reverendiss. P. D. Patriarche Cancell. presens fui, & rogatus scribere scripsi & signavi.

Cali-

Calistus III. Patriarchæ Venetiarum mandat, ut gravatos ære alieno, qui se Militiæ Clericali adscribunt, ad integram solutionem adstringat.

D2 1455. 19. Julii.

Ex Archivo Patriarchali.

CAlistus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Patriar. Venetiarum Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad Sacram Petri Sedem Domini disponente clementia in plenitudine potestatis assumpti ea decet nos equitate cuncta dirigere, & gubernare, quod Ordo Ecclesiasticus ab Omnipotenti Deo institutus in suis viribus conservetur, ac rursus devotis Christifidelibus extra dictum Ordinem, sub uno tamen atque eodem Crucis vexillo militantibus justitia pariformiter ministretur, ut vicissim dum horum oppressionibus occurritur, illorum quoque jura serventur. Sane sicuti dilectorum filiorum Nobilium Virorum Pasqualis Maripetri Procuratoris, Jacobi, Lauredano, Triadani Gritti, & Ludovici Fuscareni J. U. D. Oratorum Nobilium Virorum Communis Venetiarum ad nos nuper destinatorum relatione percepimus, nonnulli Cives, & alie persone Venetiis commorantes ad declinandum forum seculare, & ut ad solutionem debitorum, que ex diversis causis contraxerunt, seu ad que obligati sunt, per judicem secularem minime coarctari possint, & postquam processus super his coram Judicibus Ordinariis inchoati, & sententie late fuere militie Clericali adscribi, & ad Ordines Ecclesiasticos se promoveri faciunt, ut exempti a jurisdictione seculari suos Creditores trahant, & fatigent: Nos igitur premissis obviare, ac dictorum Clericorum indemnitati providere volentes, ac nomina, & cognomina creditorum, & debitorum predictorum, nec non quantitates, & summas pecuniarum quascumque presentibus pro expressis habentes Fraternitati tue motu proprio, & ex certa scientia committimus, & mandamus, quatenus si est ita, & aliud legitimum non obsistat, quoties pro parte dictorum creditorum super his fueris requisitus, vocatis dictis debitoribus, & aliis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, sumarie, & de plano sine strepitu, & figura judicii sola facti veritate inspecta, appellatione remota decernas, faciens quod juste decreveris per censuram Ecclesiast. firmiter observari, debitores etiam hujusmodi, si interim ad dignitatem assumpti, aut nostra, vel Sedis Apostolice Offitiales extiterint, tam in bonis, quam in persona auctoritate nostra justitia mediante, ad integram satisfactionem adstringendo, eosque opportunis remediis compellendo, quousque dictis creditoribus integraliter satisfactum fuerit, vel cum dictis suis creditoribus amicabiliter concordaverint, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, seu si dictis debitoribus indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam nec de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarn. Domin. 1455. 14. Kal. Aug. Pontif. Nostri Anno 1. Gratis de mandato Domini Nostri Pp.

Jo. de Sala.

Cali-

Calistus III. Divo Laurentio Justiniano collationes, seu confirmationes Minorum Beneficiorum non reservatorum concedit, atque confirmat.

E 2 1455. 12. Novembris.

Ex Archivo Patriarchali.

Calistus Papa III.

VEn. Frater Salutem & Apostolicam Benedictionem sicut pro parte f. tue nobis fide digna relatione significatum fuit, in Ecclesiis Venetiarum tue Patriarchali jurisdictioni subjectis ultra Plebanatus, qui sunt Apostolice Sedi generaliter reservati, sunt minora beneficia Presbyteralia vid. Diaconalia & Subdiaconalia titulos nuncupata, ad tuam Patriarchalem collationem, sive confirmationem, tam de observata consuetudine, quam vigore specialis Apostolice commissionis tue f. per fel. rec. Eugenium Pp. quartum predecessorem nostrum concesse spectantia & pertinentia. Verum quia, sicut accepimus, nonnulli sunt improbi & scandalosi Sacerdotes & Clerici, qui tuam auctoritatem in his perturbare, ac in hujusmodi beneficiis per te institutos vel confirmatos molestare non erubescunt, cum detrimento Ecclesiarum, & beneficiorum, & multo aliquando scandalo Parrochiarum tuarum nobis humiliter supplicari fecisti, ut de opportuno juris remedio tibi super his providere dignaremur. Nos igitur, qui ex injuncto nobis Apostolatus officio, ordinariorum jurisdictionem, qui nobiscum in sortem ministeriorum Dei dati sunt, protegere & conservare debemus ac scandala removere, que temerarii Clerici contra collationes sive confirmationes beneficiales per ordinarios rite factas in Ecclesiis suscitare nituntur, ac f. tue quam propter merita laudabilis vite tue specialis amoris prerogativá complectimur, & de qua in Domino plenam fiduciam obtinemus gratiam volentes facere specialem facultatem Apostolicam sive commissionem supradictam tibi dudum concessa Apostolica auctoritate, & ex certa nostra animi scientia cum omnibus & singulis collationibus sive confirmationibus minorum beneficiorum non reservatorum sive titulorum hujusmodi per tuam f. hactenus factis, & quas pro insertis haberi volumus; sicut per te bene acta fuisse credere debemus, ita illas ratas & gratas habentes tenore presentium confirmamus, & nichilominus auctoritate prefata omnia & singula beneficia supradicta Plebaniis, sive dignitatibus semper exceptis, tam ordinaria auctoritate, quam nostra secundum consuetudinem & facultatem predictas de cetero personis meritis conferendi sive confirmandi super quo tuam conscientiam oneramus, plenam & liberam f. tue licentiam concedimus, & facultatem cum potestate cohercendi & puniendi turbatores, & contradictores in premissis prout f. tue visum fuerit expedire, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum predictarum & alias facientibus in contrarium non obstantibus quibuscunque.

Datum apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Novebris MCCCCLV. Pontificatus Nostri Anno primo.

M. Ferrarii.

A tergo | Venerabili Fratri Patriarche Venetiarum.

Ma-

Maphæus Contareno Patriarcha Venetiarum publicat litteras Calisti III. quibus concedit, ut Patriarcha, & Canonici Venetiarum psallant juxta ritum Ecclesiæ Romanæ.

F2 1456. 12. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

MAphæus Contarenus miseratione divina Patriarcha Venetiarum. Universis & singulis presentem paginam inspecturis Salutem. Cupientes mandata apostolica nobis in hac parte commissa reverenter exequi, ut tenemur: Jussimus breve Apostolicum infrascripti tenoris fore de verbo ad verbum presentibus annotari per Jacobum Notarium Curie nostre infrascriptum ad perpetuam rei memoriam. Mandando omnibus, & singulis quorum interest vel intererit quomodolibet in futurum, quatenus omnia in ipso brevi contenta observare, & observari facere studeant & procurent: Non obstantibus hiis omnibus, que Sanctiss. Dominus noster Calistus Pp. III. in prenominato brevi voluit non obstare.

CALISTUS PP. III.

Ven. Fr. & dilecti filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex ingenti vestra quadam ad Romane Ecclesie cultum devotione piis vestris supplicationibus inclinati: vobis & cuilibet vestrum, ut divinum officium tam diurnis, quam nocturnis horis dicere & seu cantare, ac etiam missas quascunque celebrare secundum ritum ecclesie Romane ex nunc in perpetuum pro vestro arbitrio licite valeatis tenore presentium Apostolica auctoritate plenarie concedimus; non obstante, quod secundum consuetudinem olim Patriarchalis Ecclesie Gradensis hec omnia facere consueveritis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 12. Decemb. 1456. Pontificatus nostri anno tertio.

L. Dathus (1).

A Tergo] Venerabili Fratri Patriarche, nec non dilectis filiis Archidiacono, Canonicis, & Capitulo Ecclesie Venetiarum.

L. S. Ego Jacobus Venetus providi Viri D. Antonii Bagnolo publicus Imperialis Notarius, & Judex ordinarius ac Patriarchalis Curie Venetiarum Scriba, & Notarius.

(1) Leonardus Dathus Florentinus vir celeberrimus.

Pius

Pius II. committit Episcopo Clugiensi & Plebano S. Benedicti, ut previo examine concedant licentiam auctoritate Apostolica Andreæ Bondimerio Patriarchæ Venetiarum vendendi domum & Capellam in confinio S. Silvestri, statuta conditione, ut ipsa Capella alibi readificetur.

G2 1463. 15. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

PIus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Episcopo Clugiensi (1), & dilecto filio Plebano Ecclesie S. Benedicti Venetiarum (2) Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis desuper Apostolice servitutis officio ad ea, per que Ecclesiarum presertim Cathedralium commodo & utilitati consulitur, libenter intendimus, ac illis quantum cum Deo possumus, favorem benivolum impartimur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Ven. Fratris Nostri Andree Patriarche Venetiarum petitio continebat, quod licet ipse quandam domum, Patriarchatum nuncupatam, in Civitate Venetiarum in contrata S. Silvestri consistentem, & ad mensam Patriarchalem Venetiarum ab eo tempore citra, quo Ecclesia Venetiarum Sede Gradense penitus suppressa in Patriarchalem cum applicatione, & appropriatione bonorum tunc Mense Gradensis existentium erecta extitit legitime spectantem, & pertinentem habere noscatur, tamen pro eo quod domus predicta ab ipsa Ecclesia Cathedrali Venetiarum valde remota, & in suis structuris & edificiis admodum vetusta extitit, tam ipse Andreas, quam alii Patriarche Venetiarum, qui fuerunt hactenus illam, inhabitare nullatenus consueverunt. Et sicut eadem petitio subjungebat, si dicta domus, in qua certa Capella, sub vocabulo omnium Sanctorum, fundata esse dinoscitur, cum suis adiacentiis pro pretio convenienti & honesto venderetur, & tertia pars pretii, quod exinde proveniret in reparationem alterius domus Patriarchalis juxta Ecclesiam prefatam consistentis, que hujusmodi reparatione plurimum indigere dinoscitur, & alie due partes pretii antedicti in emptionem certorum reddituum perpetuorum, & stabilium imprestitorum Communis Venetiarum nuncupatorum, seu aliorum bonorum immobilium in dicta Civitate, seu locis propinquis consistentium converterentur, id proculdubio cederet ad commoditatem dicti Patriarche, & in evidentem utilitatem illius mense Patriarchalis predicte, quare pro parte dicti Andree Patriarche nobis fuit humiliter supplicatum, ut domum cum adjacentiis hujusmodi pro pretio convenienti, & honesto quibusvis personis, cum quibus suam & dicte mense conditionem efficere poterit meliorem, vendendi ac personis eisdem illam, ut premittitur, emendi, nec non postquam illam emerint domum cum Capella antedicta demoliendi, & in novum edificium si expedierit erigendi, ac pro se & eorum heredibus perpetuo habendi & retinendi, de illaque pro eorum libito voluntatis disponendi, ita tamen quod dicta Capella si forsan diruatur per emptorem domus hujusmodi ejus propriis sumptibus juxta quantitatem & modum per prefatum Patriarcham illi imponendum in eodem, vel alio loco magis

(1) Nicolaus de Crucibus Episcopus Clugiensis, olim Ecclesiæ S. Juliani Plebanus.
(2) Balthassar de Piscia Plebanus Ecclesiæ S. Benedicti.

gis idoneo reedificari, & de novo sub vocabulo premisso construi debeat, licentiam concedere, ac alias in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui domus cum adjacentiis hujusmodi confines, & alias situationem designatione verum valorem & locum pro expressis habemus, de premissis etiam alias certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos simul, conjunctimque super premissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra vos diligenter informetis, & si per informationem hujusmodi ea fore vera, ac venditionem & reparationem, nec non emptionem imprestitorum, seu aliorum bonorum immobilium hujusmodi si fiant in evidentem Mense Patriarchalis Venetiarum utilitatem cedere repperitis, super quo utriusque vestrum conscientiam oneramus, eidem Andree Patriarche, quod domum cum adjacentiis hujusmodi quibusvis personis, cum quibus suam, & dicte Mense Patriarchalis Venetiarum conditionem efficere poterit meliorem, pro pretio convenienti & honesto vendendi, ac eisdem personis illam, ut premittitur emendi, nec non postquam illam emerint domum cum Capella antedicta demoliendi, & in novum edificium si expedierit dirigendi, ac pro se & eorum heredibus, & successoribus perpetuo habendi, & retinendi, de illaque pro eorum ac heredum, & successorum hujusmodi libito voluntatis disponendi, ac omnia alia & singula in premissis, & cum ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi plenam, & liberam auctoritate nostra licentiam concedatis. Volumus autem, quod si per emptorem dicte domus Capellam Omnium Sanctorum hujusmodi forsan dirui contingat, emptor prefatus Capellam predictam in eodem, vel alio loco magis idoneo juxta quantitatem & modum per prefatum Andream Patriarcham sibi imponendum sumptibus propriis, sub vocabulo predicto reedificari, & de novo construi facere, nec non de illa reedificandi infra tempus per vos illi statuendum vobis, & eidem Patriarche ydoneas cautiones prestare teneatur, & sit astrictus, quodque pretium seu pecunie, que ex venditione domus antedicte provenerint penes idoneos mercatores fide & facultate sufficientes in reparationem domus Patriarchalis antedicte pro tertia, & pro aliis duabus partibus hujusmodi in emptionem imprestitorum, seu aliorum bonorum immobilium magis utilium, ut prefertur, & non alios usus convertende disponantur. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesie Venetiarum hujusmodi juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio Idibus Decembris Pontific. Nostri anno tertio.

Jo: de Cremonensibus.

Paulus II. Venetus confirmat indulgentiam in die Ascensionis, & testatur amorem suum erga Patriam.

H 2 1465. 30. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

PAulus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Patriarche Venetiarum Salutem & Apostolicam benedictionem. Mittimus dilectis filiis Nobili Viro Cristopho-

stophoro Mauro Duci Venetiarum ejusque Dominio duplicatas bullas plenarie remissionis quam ad excludendum omnem ambiguitatem vel concessionis non facte, vel revocationis indulgentiarum hujusmodi in die Ascensionis Dominice singulis annis perpetuo duraturam indulximus, ut sit amoris & caritatis nostre erga patriam, ex qua secundum carnem originem ducimus monumentum, ac memoriale perhenne. Scribimus ipsi Duci atque Dominio litteras plenas amoris & paterni affectus, quarum videbis exemplar Presentabis ipsas bullas Duci & Senatui & post Apostolice benedictionis, ac salutationis officia declarabis animum nostrum erga patriam propensissimum. Nos nichil magis optare quam prosperos ejusdem Urbis felicesque successus: quos obventuros non dubitamus si Deum ex toto corde dilexerint: si ejus precepta servaverint, si Christi Pontifices, ac Sacerdotes pro Summi Dei reverentia Venerati fuerint, si Ecclesiasticam immunitatem illibatam custodierint, quoniam diligentibus Deum omnia cohoperantur in bonum, Hortaberis, ut monita nostra, que forsam aliquando duriora illis visa sunt, filiali devotione & ea mente suscipiant, qua a nobis fuere prolata. Meminimus nos ex illa patria & de gente patricia secundum carnem esse progenitos. Scimus magnam esse & indelebilem patrie necessitudinem. Movit nos zelus animarum, quoniam Civium nostrorum salutem toto cordis affectu querimus & optamus. Mediatores nos inter Deum & populum gratia divina constituit, ut Moysem Ducem Israelitici populi imitemur, & causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum verbo severitatis agamus. Nosse debent in Pastoribus, atque Rectoribus animarum alterum sine altero non prodesse: propterea semivivi illius vulneribus qui a Samaritano in stabulum ductus est vinum adhibetur & oleum. Inde in archa tabernaculi virga erat simul & manna. Tua ergo fraternitas, que tui adventus initiis ex nostro mandato morsum vini adhibuit vulneribus, nunc oleum pietatis exhibeat. Exhibuisti virgam districtionis adhibeto nunc manna dulcedinis, impleatur sermo propheticus: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt: ut videlicet post virgam justitie ferientem succedat baculus consolationis qui sustinet. Hec quidem speramus fraternitatem tuam in lege Domini eruditam, & in regimine Dominici gregis diutius institutam omni studio & solertia completuram. De nobis autem illis certissime persuadeas, nos Urbem illam predilectam patriam nostram Ducem ipsum atque Dominium, omnemque populum Venetum tanquam carissimos filios, & quasi viscera nostra diligere. Nichil aliud ab eis nisi timorem Domini & salutem suarum animarum exquirere. In omnibus, que statum & dignitatem illius reipublice contingent, quantum cum Deo poterimus, nullo unquam tempore defecturos.

Datum Rome apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto. Pridie Kalendas Maii Pontificatus Nostri Anno primo.

V. de Piscia.

Sixtus IV. Maphæo Gerardo Patriarchæ Venetiarum mandat, ut antiquæ consuetudines, quoad funeralia, in Civitate Venetiarum servari debeant, non obstantibus Privilegiis Regularium.

I 2 1476. 18. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

SISTUS PAPA IV.

VEnerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Ex fide dignorum testimonio certiores effecti, quod Clerici Civitatis Venetiarum, & Diecesis Torcellan. ut plurimum ex Canonicis portionibus, & funeralibus, cum alios proventus, aut nullos, aut exiguos habeant, vitam ducunt; equum existimamus, & congruum eorum indemnitati super hujusmodi portionibus providere; ne consuetis fraudati subsidiis a cultu Divino, & animarum cura cogantur desistere. Quo circa tenore presentium declaramus, atque decernimus; quod, non obstantibus privilegiis, & indultis, ordinibus, & Religiosis mendicantium per nos, sub quavis verborum forma concessis, & presertim illis, que mare magnum vulgariter nuncupantur; antique consuetudines, quo ad funeralia, & Sacramentorum administrationem in Civitate, & Dieceси predictis servari debeant: fraternitati tue auctoritate Apostolica mandantes; ut nichil contra consuetudines hujusmodi a quoquam innovari permittas; contradictores quoslibet per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo; Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 18. Martii 1476. Pontificatus nostri anno quinto.

A tergo | Venerabili Fratri Mapheo Patriarche Venetiarum.

Antonius Saracco Archiepiscopus Corinthiensis de mandato Maphæi Girardo Patriarchæ Venet. Delegati Apostolici investit Christinam a Luminibus Abbatissam Monasterii S. Theonesti de Tarvisio.

K 2 1477. 15. Decembris.

Ex Autographo in Monasterio S. Theonesti de Tarvisio.

ANtonius Saraco Dei & Apostolice Sedis Gratia Archiepiscopus Corinthiensis, nec non Vicarius in spiritualibus Generalis, ac Commissarius Reverendiss. in Christo Patris & D. D. Maphei Girardo miseratione Divina Patriarche Venetiarum Dalmatieque Primatis Judicis & Commissarii Apostolici Delegati in causa Abbatissali S. Theonisti Tarvisini. Universis & singulis presens

tes litteras inspecturis ad quos presens negotium spectat, vel spectare poterit quomodolibet in futurum salutem in Domino sempiternam, & nostris hujusmodi immo verius Apostolicis firmiter credere, & obedire mandatis. Commissionem nobis factam superinde per prefatum Reverendiss. D. Patriarcham & Commissarium Apostolicum per ejus patentes litteras sui soliti sigilli munimine roboratas nobis presentatas per Egregium Virum s. Bernardum da Ponte Proccuratorem Ven. D. Sororis Christine a Luminibus Abbatisse dicti Monasterii noveritis nos ea, qua decuit reverentia recepisse. Quarum litterarum tenor sequitur, & est talis: Mapheus Girardo Miseratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatieque primas, ac Judex & Commissarius Apostolicus cause Abbatissalis Monasterii S. Theonesti Tarvisii, que versa est inter Dominas Sororem Christinam a Luminibus Abbatissam dicti Monasterii, & Dominam Sororem Marietam Calbo dicti Monasterii Monialem Rev. in Christo Patri & D. D. Antonio Saracho Dei & Apostolice Sedis gratia Archiepiscopo Corinthiensi, ac Vicario nostro in spiritualibus Generali salutem in Domino sempiternam. Cum sit quod vigore delegationis Apostolice die xxx. Julii proxime decursi dictam causam cognoverimus, & per sententiam nostram deciderimus, & terminaverimus, quod dicta Soror Christina sit, & esse debeat Abbatissa dicti Monasterii, ut in eadem sententia nostra plenissime continetur, Volentes dictam sententiam nostram debitum sortiri effectum, & ut equum est dobite exequtioni mandari debere, tenore presentium authoritate Apostolica qua fungimur, in hac parte vobis prefato Rev. in Christo Patri D. Antonio Archiepiscopo Corinthiensi, & Vicario nostro committimus in hoc vices nostras, ut ire debeatis Tarvisium, & eadem authoritate Apostolica prefatam D. Sororem Christinam Abbatissam dicti Monasterii investire debeatis per anuli traditionem de dicto Abbatissatu cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis, tam spiritualiter, quam temporaliter dicto Abbatissatui quomodolibet spectantibus, & pertinentibus & amodo in antea ipsi tamquam vere Abbatisse faciatis de omnibus fructibus redditibus proventionibus, & obventionibus integre responderi. Contradictores & rebelles per censuras Ecclesiasticas compescendo. Et successive eandem inducatis in tenutam, Et corporalem possessionem dicti Abbatissatus, & ut moris est faciatis admitti. Recepto tamen prius ab ea fidelitatis debite solito juramento mandando omnibus illis Monialibus, & aliis quorum interest, ut ei tamquam vere Abbatisse debitam reverentiam & obedientiam prestent, & alia omnia & singula faciendo, que in similibus fieri consueverunt. In quorum fidem presentes fieri jussimus, & nostri soliti sigilli munimine roborari. Actum & Datum Venetiis in Patriarchali Palatio die XIV. Dec. MCCCCLXXVII. presentibus Presbytero Joanne Francisco Urso, & Jacobo de Asillo, & Merchiorre de Valentiniana testibus vocatis, & rogatis. Post quarumquidem litterarum presentationem, & receptionem nobis & per nos ut supra factas fuimus per dictum s. Bernardum dicto nomine humiliter debita cum instantia requisiti, ut ad illarum exequtionem procedere dignaremur. Nos igitur Antonius Archiepiscopus & Commissarius antedictus volentes contenta in dictis litteris exequtioni mandare, noveritis universi antedicti quia vigore dicte commissionis nostre profecti sumus Tarvisium ad dictum Monasterium, & ibi prefatam Ven. D. Sororem Christinam a Luminibus Abbatissam dicti Monasterii coram nobis flexis genibus constitutam, & humiliter petentem, ac devote accipientem de dicto Abbatissatu per anuli nostri traditionem actualiter investivimus, cum omnibus juribus, jurisdictionibus & preeminentiis, tam spiritualibus, quam temporalibus dicto Abbatissatui spectantibus, & pertinentibus, mandando omnibus & singulis quorum interest quatenus amodo dicte D. Sorori Christine Abbatisse debeant de omnibus dicti Monasterii fructibus, redditibus proventioni-

nibus & obventionibus integre respondere, & responderi facere Contradictores & rebelles per censuras Ecclesiasticas compescendo; Recepto tamen prius ab ea debite fidelitatis solito juramento, & actu continuato & successive eandem vigore dicte commissionis nostre induximus in tenutam & corporalem possessionem dicti Abbatissatus per tactum panni majoris Altaris assignando ei stalum in Choro, & vocem in Capitulo, & in signum vere quiete & pacifice possessionis eidem consignando dicti Monasterii claves; mandandoque omnibus illis Monialibus, & aliis quorum interest, ut eidem tamquam vere Abbatisse debitam reverentiam, & obedientiam prestent, & omnia alia & singula faciendo, que in similibus fieri consueverunt. In quorum fidem presentes fieri jussimus, & nostri soliti Pontificalisque sigilli appensione muniri.

Actum & Datum Tarvisii in Monasterio predicto presentibus Ven. D. Dominico Candelino Archidiacono Tarvisii, & D. Antonio Thesaurario, & D. Antonio Saraco Canonico Veneto testibus vocatis & rogatis. Anno Dominice Nativitatis MCCCCLXXVII. Indict. x. die xv. Decembris Pontificatus vero Sanctiss. in Christo Patris, & D. D. Sixti Divina Providentia Pape IV. anno septimo.

Ego Franciscus de Morandi D. Philippi publicus Imperiali auct. Not. nec non suprascripti Reverendiss. D. Subdelegati, & Commissarii Notarius & Cancellarius, ad suprascripta omnia assumptus, & omnibus & singulis premissis interfui, sed propter nonnullas occupationes meas per alium suprascriptum Instrumentum scribi feci, & rogatus cum suprascriptis testibus fui, signumque meum apposui consuetum.

Alexander VI. Patriarchæ Venetiarum mandat, ut Canonicos suæ Cathedralis Ecclesiæ in suorum jurium possessione tueatur.

L 2

1493. 23. Julii.

Ex Archivo Patriarchali.

ALEXANDER PAPA VI.

VEn. Fr. Salutem & Apostolicam benedictionem. Vacantibus nuper Canonicatu & prebenda ipsius Ecclesie Venetiarum per obitum q. Pasqualis illorum, dum vixit, ultimi possessoris, dilecti filii Canonici & Capitulum prefate Ecclesie juxta indultum eis a fel. mem. Eugenio IV. & Calixto III. Romanis Pontificibus Predecessoribus nostris concessum, ac antiquam & diu observatam consuetudine dilectum filium Marcum Draganum unum ex subcanonicis dicte Ecclesie tamquam magis idoneum ac probatum, deque ipsa Ecclesia benemeritum in Canonicum ellegerunt, qui postea per te, tamquam ipsius indulti executor, extitit confirmatus, proinde dilectus filius Nobilis Vir Augustinus Barbadico Dux Venetiarum Supplicari nobis humiliter fecit; Dignaremur eidem Marco per Capitulum ipsum electo, & per te, ut prefertur, confirmato desuper adesse, ac ipsius Ecclesie decoro & ornamento consulere. Nos igitur attendentes ideo indultum hujusmodi eidem Ecclesie concessum, ut illi servientes ad bene de ea promerendum, ac divino cultui intentius vacandum incitentur, pariterque prefati Ducis precibus in hac parte annuentes, fraterni-

nitati tue committimus & mandamus per presentes, quatenus & in presenti electione hujusmodi, ac de cetero occurrente alicujus ex dictis Canonicatibus vacatione in electione futuri Canonici vigore prefati indulti, cujus tenorem hic haberi volumus pro expresso, facienda, ac secundum laudabilem consuetudinem, & in eo hactenus observatam Apostolica auctoritate tenore presentium observari facias, & mandes, contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendo, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Pisc. die XXVII. Julii MCCCCXCIII. Pontificatus nostri anno primo.

L. Podocatharus.

A tergo] Venerabili Fratri Patriarche Venetiarum.

Alexander VI. concedit ut in Ecclesia Patriarchali Venetiarum erigi possint XII. Canonicatus, ad quos assumantur deinde duodecim ex Plebanis Ecclesiarum Collegiatarum ipsius Civitatis.

M 2 1502. 12. Aprilis.

Ex Tabulario Canonicorum Patriarchalis Venetæ Ecclesiæ.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Corinthiensi, & Philadelphiensi Episcopo, ac dilecto filio Archipresbytero Ecclesie S. Marie Bassani Vicentine Diocesis in Civitate Venetiarum commorantibus salutem & Apostolicam Benedictionem Apostolice Sedis providentia circumspecta ad ea libenter intendit, per que decori, & venustati Ecclesiarum quarumlibet presertim Patriarchalium, & divini cultus augumento opportune consuli possit, sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Archidiaconi, & Capituli Ecclesie Majoris Venetiarum, quod licet in dicta Ecclesia tres dignitates Vid. Archidiaconatus, Archipresbyteratus, & Primiceriatus, ac novem Canonicatus, & totidem Prebende sexque officia Subdiaconatus nuncupata, nec non unum Collegium duodecim pauperum Clericorum, & pro eis totidem loca, quorum unus in Grammatica, & alter in cantu Magistri existunt, dumtaxat fore noscantur; Nichilominus quia fructus, tam dignitatum, quam Cannonicatuum, & Prebendarum, ac officiorum hujusmodi admodum tenues existunt, ut aliqui ex dictis Canonicis propter tenuitatem fructuum predictorum in dicta Ecclesia residere non curant, & aliqui communiter exempti existunt propter quod honori, & venustati dicte Ecclesie Venetiarum Civitati multum detrahitur, verum si in prefata Ecclesia, que insignis & Patriarchalis existit duodecim alii Canonicatus pro totidem Canonicis per Archidiaconum pro tempore existentem, & dilectos filios Capitulum dicte Ecclesie, tam hac primaria vice, quam quotiens deinceps aliquem ex dictis duodecim Canonicis decedere contigerit eligendis per Venerabilem fratrem nostrum modernum, & pro tempore existentem Patriarcham Venetiarum confirmandis erigerentur, & instituerentur, ac Archidiacono & Capitulo prefatis statuta rationabilia, & honesta que observare, ac onera, que ipsi duodecim Canonici supportare haberent, statuendi, & ordinandi licentia conce-

de-

deretur. Quodque dicti duodecim Canonici, & alii, qui loco eorum pro tempore fuerint in dicta Ecclesia in festivitatibus ipsius Ecclesie, & aliis solemnibus diebus, ac processionibus, & offitiis mortuorum, nec non etiam quando dictos de presenti, & pro tempore de numero novem existentes Canonicos capitulariter, & cum superpeliciis, & almutiis dictam Ecclesiam exire contigerit cum eis, & succedentibus ipsis interesse stallumque in Choro ejusdem Ecclesie, & in electionibus dictorum duodecim Canonicorum pro tempore faciendis hac primaria vice dumtaxat excepta, locum, & vocem in Capitulo absque tamen prejudicio aliorum Canonicorum de numero novem hujusmodi existentium, tam quoad eorum fructus, & quotidianas distributiones, quam quoad alia emolumenta per dictos novem Canonicos hactenus percipi solita habere, ac quod per creationem horum duodecim Canonicatuum non intelligeretur fructus numerus Canonicatuum & prebendarum, qui in dicta Ecclesia de presenti existunt adeo quod ipsi duodecim Canonici, qui noviter creabuntur essent, & esse deberent absque spe assequendi prebendam, ac quod participare haberent quoquo modo de fructibus & redditibus mense Capitularis dicte Ecclesie quodque juxta consuetudines laudabiles dicte Ecclesie hactenus pacifice observatas. Quilibet Canonicus de numero duodecim eligendus, tam hac prima vice, quam cum pro tempore eligetur super Altare majus dicte Ecclesie pro installatione sua decem ducatos auri pro confectione unius pulchre Crucis in processionibus deferende, & aliorum ornamentorum dicte Ecclesie pro tempore utilium, & necessariorum, prout eidem Capitulo videbitur convertendos afferre haberent & tenerentur ac etiam dicti duodecim Canonici qui hac prima vice, & pro tempore eligentur pro majori honorificentia ex Plebanis Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis Venetiarum, & non alii eligi deberent, statueretur, & ordinaretur profecto venustati & decentie dicte majoris Ecclesie, cum illius divini cultus augmento quamplurimum consuleretur. Quare pro parte Archidiaconi & Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicta Ecclesia majori duodecim Canonicatus pro totidem Canonicis per modernum, & pro tempore existentem Archidiaconum, ac Capitulum prefatos, tam hac primaria vice, quam quotiens deinceps aliquem ex dictis duodecim Canonicis decedere contigerit eligendis, & per modernum, & pro tempore existentem Patriarcham Venetiarum confirmandis erigere, & instituere, ac Archidiacono & Capitulo prefatis statuta rationabilia, & honesta observare, ac onera que ipsi duodecim Canonici sufferre habeant, faciendi, & ordinandi licentiam concedere, quodque dicti duodecim Canonici, & alii qui loco eorum fuerint pro tempore in dicta Ecclesia pro tempore in festivitatibus ipsius majoris Ecclesie, & aliis solemnibus diebus, & processionibus, & officiis mortuorum, ac etiam quando dictos de presenti, ac pro tempore de numero novem existentes Canonicos Capitulariter, & superpeliciis, & almutiis dictam Ecclesiam majorem egredi contigerit cum eis, & succedentibus ipsis interesse stallumque in Choro ipsius majoris Ecclesie, & in electionibus dictorum duodecim Canonicorum pro tempore faciendis hac primaria vice dumtaxat excepta locum, & vocem in Capitulo absque tamen prejudicio aliorum Canonicorum de numero novem hujusmodi pro tempore existentium, tam quoad eorum fructus, & distributiones quotidianas, quam quoad alia emolumenta per dictos novem Canonicos hactenus percipi solita habere, ac quod per creationem, & erectionem horum duodecim Canonicatuum, non intelligatur fructus numerus Canonicatuum, & prebendarum, qui in dicta majori Ecclesia de presenti existunt, adeoquod ipsi duodecim Canonici qui noviter creabuntur, sint absque spe assequendi prebendam, ac quod participare habeant, qui modo de fructibus & redditibus mense Capitularis Ecclesie majoris Venetiarum hujusmodi

quod-

quodque juxta consuetudines laudabiles dictę Ecclesię majoris hactenus observatas, quilibet Canonicus de numero XII. eligendus, tam hac prima vice, quam qui pro tempore eligetur super Altare majori dictę Ecclesię majoris pro installatione sua decem ducatos auri pro confectione unius pulchre Crucis in processionibus deferende & aliorum ornamentorum dictę Ecclesię majoris pro tempore utilium, & necessariorum prout eidem Capitulo videbitur convertendos offerre debeant, ac teneantur ac quod dicti Canonici duodecim qui ad dictos duodecim Canonicatus, tam hac prima vice, quam cum pro tempore vacabunt eligentur Plebani collegiatarum Ecclesiarum hujusmodi Venetiarum nunc & pro tempore existentes, & non alii eligi debeant, statuere, & ordinare aliasque in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui divini cultus augumentum ubique vigere nostris maxime temporibus intensis desideramus affectibus ipsorum Archidiaconi, & Capituli pium, & laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, ac ipsos, & eorum Capituli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris & penis a jure vel ab homine quavis ratione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac de premissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum vocatis dicto Patriarcha, & aliis qui fuerint evocandi de premissis auctoritate nostra vos diligenter informetis, & si per informationem eandem esse reperiretis in dicta majori Ecclesia Venetiarum duodecim Canonicatus pro totidem Canonicis per modernum, & pro tempore existentem Archidiaconum, & Capitulum prefatum, tam hac prima vice, quam quotiens deinceps aliquem ex dictis duodecim Canonicis decedere contigerit eligendis, & per modernum, & pro tempore existentem Patriarcham prefatum confirmandi eadem auctoritate nostra, & sine cujusquam prejudicio erigere & instituere, & Archidiacono, & Capitulo prefatis statuta rationabilia, & honesta, que observare, & onera que ipsi duodecim Canonici sufferre habeant statuendi, & ordinandi licentiam elargimur. Quodque dicti duodecim Canonici, & alii, qui loco eorum fuerint in dicta majori Ecclesia, presertim in illius festivitatibus, ac solemnibus diebus nec non in processionibus, & officiis mortuorum, ac etiam quotiens dictos de presenti, & pro tempore de numero novem existentes Canonicos Capitulariter, & cum superpeliciis & almutiis Ecclesiam exire contigerit, & de aliis solemnibus diebus cum eis, & succedentibus ipsis interesse stallumque in Choro ejusdem majoris Ecclesie & in electionibus dictorum XII. Canonicorum pro tempore faciendis hac prima vice dumtaxat excepta, locum, & vocem in capitulo absque tamen prejudicio aliorum Canonicorum de numero novem hujusmodi pro tempore existentium, tam quo ad eorum fructus, & quotidianas distributiones, quam quoad alia emolumenta per dictos novem Canonicos hactenus percipi solita habere, & per creationem horum duodecim Canonicatuum, & prebendarum que in dicta Ecclesia majori de presenti existunt adeo quod ipsi duodecim Canonici sint, & esse debeant absque spe assequendi prebendam, & quod participare habeant quoquo modo de fructibus & redditibus mense Capitularis dicte Ecclesie majoris, ac quod juxta consuetudines laudabiles dicte Ecclesie majoris hactenus pacifice observatas quilibet Canonicus de numero XII. eligendus, tam hac prima vice, quam cum pro tempore eligetur super Altari majori dicte Ecclesie majoris pro installatione sua decem ducatos auri pro confectione unius pulchre Crucis in processionibus deferende, ac aliorum ornamentorum dicte Ecclesie majoris pro tempore utilium, & necessariorum, prout eidem Capitulo vide-

videbitur convertendos offerre debeant, & teneantur quodque etiam dicti duodecim Canonici, qui pro tempore eligentur, ex Plebanis Ecclesiarum Collegiatarum Venetiarum hujusmodi, & non alii eligi debeant eadem auctoritate nostra statuere, & ordinare curetis non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & de cetero Canonicorum numero, & aliis ejusdem Ecclesie majoris juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo secundo Pridie Idus Aprilis. Pontificatus nostri anno decimo.

C. Baretius.

Julius II. decernit, ne rebelles, Sicarii, aliique id generis in Ecclesiis & Monasteriis recipiantur, recepti vero eiciantur, aut extrahantur.

N 2 1508. 24. Augusti.

Ex Archivo Patriarchali.

JULIUS PAPA II.

VEn. Frater salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex dilecto filio Joanne Baduario dilecti filii Nobilis Viri Leonardi Lauredani Ducis Venetiarum apud nos oratore accepimus; quod licet ab ipso Duce reliquisque Magistratibus magna diligentia & severitas sit adhibita, ne proditores, rebelles, siccarii, monetarum falsatores, fures notorii, famosique homicide, & grassatores in Civitate Venetiarum consistere possint, quia tamen hujusmodi homines plerumque ad Monasteria, Ecclesiasque dicte Civitatis confugiunt, & immunitate Ecclesiastica se tuentur, capi aut eiici inde non possunt, fitque proinde, ut impunitatem suorum scelerum consequantur, cum Dei offensa molestiaque Ducis predicti totiusque Civitatis scandalo. Nos igitur hujusmodi facinorosis hominibus, quos Dei timor a peccando non revocat, & quorum impunitas in bonorum redundat perniciem, tale perfugium adimere cupientes, ejusdem Ducis per ipsum Oratorem nobis exhibitis supplicationibus inclinati, Fraternitati tue per presentes committimus, ut universis & singulis Monasteriorum & Ecclesiarum dicte Civitatis prefectis, sub excommunicationis, & privationis omnium privilegiorum suorum pena iterata monitione nostra auctoritate precipias, ut proditores, rebelles, siccarios, monetarum falsatores, fures Notorios, & omicidas voluntarios, ac grassatores hujusmodi recipere in eorum locis Ecclesiisque deinceps nullo modo debeant aut presumant, & si post monitionem, & mandatum hujusmodi aliquem ex predictis receperint, eos penas excommunicationis, & privationis hujusmodi incurrisse declares, ac nichilominus sic receptos considerata tamen prius diligenter personarum delictique qualitate, habitoque respectu ad Ecclesiasticam immunitatem, prout prudentiam probitatemque tuam decet, e locis & Ecclesiis ipsis eiici vel extrahi facias, super quo tuam conscientiam oneramus. Tam perniciosi enim homines, qui Dei & Ecclesie sunt inimici, indigni videntur, quibus opitulari Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum locorum immunitas debeat.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Aug. MDVIII. Pontificatus nostri anno quinto.

Sigismundus.

A tergo | Venerabili Fratri Patriarche Venetiarum.

Julius Papa II. confirmat privilegia Patriarchatus, & Ecclesiæ Castellanæ.

O2 1512. 10. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

JUlius Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Patriarche & dilectis filiis Capitulo Ecclesie Venetiarum salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in D. Frater & Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia, & alia indulta vobis & dicte Ecclesie concessa, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, ac aliis Christifidelibus vobis, & eidem Ecclesie rationabiliter indultas, sicuti eas juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem Ecclesie Apostolica auctoritate confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo duodecimo IV. Idus Februari Pontificatus nostri anno decimo.



Leo X. mandat, ut electiones Plebanorum fiant a Parochianis in Capitulo legitime congregatis, denominationes vero, quæ per cedulas fieri consueverant, annullat.

P2 1517. 4. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

Leo Papa X.

DIlecte fili salutem, & Apostolicam benedict. Exposuit nobis dilectus filius Marinus Georgius Patricius Venetus pro nobilitate tua, & dilectis filiis Dominio Venetiarum ad nos, & Sedem Apostolicam orator, tuo & Dominii hujusmodi nominibus; quod licet in Civitate vestra ad Parochiales Ecclesias, Plebanias, seu Plebanatus nuncupatas, pro tempore vacantes, persone morum honestate, ac prudentia predite, & vite exemplaritate graves, & probate per ipsarum Ecclesiarum, seu Plebanatuum Parochianos in certo loco ad id deputato specialiter vocatos, & congregatos, precedentibus legitimis tractatibus, nominari & presentari consueverint: tamen diebus istis nonnulli, sensui potius, quam rationi servientes; non attendentes, quod in Plebanos, seu

seu Rectores prefatos eliguntur persone a Parochianis cognite, fide, & integritate probate, que miserabilibus personis, infra metas Parochiarum existentibus, eleemosinas a Parochianis collectas singulis annis distribuunt; antiquum morem hujusmodi omittunt, & consensum a Parochianis a certo tempore citra contra antiquum morem predictum, ut plurimum per cedulas a singulis singulariter subscriptas extorquere nituntur: quod si permitteretur divinus in dictis Ecclesiis cultus diminueretur; devotio tepesceret, & eleemosyne hujusmodi personis indigentibus, prout fieri solitum est, fortasse non distribuerentur. Quare idem Marinus dictis nominibus nobis humiliter supplicavit, ut in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica suprascriptum antiquum, & laudabilem morem approbantes, statuimus, & ordinamus. Quod perpetuis temporibus, occurrente Ecclesiarum, seu Plebanatuum jurispatronatus hujusmodi vacatione Parochiarum illarum patroni consensum presentando prestare non possint; nisi dum, & quando in loco solito, precedentibus vocatione illorum, qui presentationi hujusmodi interesse debent, ac debitis tractatibus congregati fuerint. Inhibentes omnibus dictis patronis, sub excommunicationis late sententie pena, ne alicui consensum extra locum solitum, & non nisi vocatis omnibus, & adunatis prestare presumant, decernentes irritum, & inane quicquid secus super hoc a quoquam attemptari contigerit.

Dat. Rome apud S. Petrum sub anullo Piscat. die 4. Febr. 1517. Pont. nostri Anno IV.

A tergo | Dilecto filio Nobili Viro Leonardo Lauredano Duci Venet.



Clemens VII. Antonii Contareni Patriarchæ constitutiones a Clero Veneto observari debere decernit; appellationes contra Patriarcham latas extinguit; multaque ei concedit privilegia, ad Cleri bonum regimen opportuna.

Q 2 1524. 5. Maii.

Ex Archivo Patriarchali.

CLemens Pp. VII. Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum istius Reipublice Venetiarum, tum generis nobilitatem, & rerum opulentiam, tum Ecclesiarum, & Templorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum ornatum, & cetera loca, ad divinum cultum constructa, mentis consideratione complectimur, non possumus pro debito Pastoralis officii & paterno affectu, quem erga prefatam Rempublicam gerimus, non graviter fere, quod licet, sicut ex fideli relatione percepimus, super vita, & honestate Clericorum, in Civitate Venetiarum, & illius Dominio, & sub jurisdictione tui Patriarchatus consistentium plura laudabilia instituta, & reformationes ex constitutionibus & ordinationibus, ac consiliis antecessorum tuorum collecta, & in unum corpus redacta, & forsan per tuam Fraternitatem juxta temporum conditionem edita, & publicata fuerint, & presertim, ut in Ecclesis tue Diocesis divinum officium devote celebretur, & Clerici in habitu, & Tonsura juxta Sacrorum Canonum ordinationem incedant, ac in moribus

& honeste exhibeant, quodque divina officia debitis horis recitentur, seu decantentur, & Completorium ad plus circa vigesimam quartam horam diei terminari debeat, quidam tamen Clerici, tam seculares, quam etiam diversorum ordinum religiosi conventuales a certis annis citra cervices erigentes, & pro arbitrio habenis laxatis vivere volentes, a dictis per tuam Fraternitatem editis constitutionibus & reformationibus ad Sedem Appostolicam appellarunt, ut suffragio appellationis, & litis pendentium se tuentes, in suo pristino vivendi more persistant, scandalum Christifidelibus prebentes, & successoribus suis pessimum exemplum relinquentes, quocirca eorum temerariis ausibus in premissis, quantum cum Deo possumus obviare, & super nonnullis aliis ad eorum vitam spectantibus opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia dictas constitutiones, seu reformationes, eorumque tenores, & continentias presentibus pro sufficienter expressis habentes, ac lites & causas desuper motas, & movendas ad nos advocantes, & penitus extinguentes, & annullantes, Fraternitati tue illiusque pro tempore successoribus per presentes committimus, & in virtute sancte obedientie mandamus, ut constitutiones & reformationes hujusmodi, utpote laudabiles, & honestas, in omnibus, & per omnia laudabiliter observari, ac in Ecclesiis collegiatis & per Canonicos Plebanos, & alios illarum titulares Clericos omnia divina officia, tam diurna, quam nocturna devote & distincte & juxta ritum Ecclesiasticum celebrari, & in dictis Ecclesiis nichil, quod ad divinum cultum pertineat, pretermitti, nichilque in eis ultraquam ordinatum fuerit decantari faciat. Ita tamen quod officia hujusmodi ultra vigesimam quartam horam diei, ut prefertur, non perducent, quum ex hoc materia, & incentivum peccati prebeatur, nec prefatos Clericos in alio habitu quam Clericali incedere, ac versari permittat. Quodque juxta statuta Concilii Lateranensis ultimo celebrati in omnibus, & per omnia eosdem Clericos vivere mandet, & a concubinis aliisque suspectis familiaritatibus, etiam ingressu Monasteriorum monialium, abstinere faciat, & contravenientes, prout justum fuerit, puniat. Et insuper, ut in Ecclesiis Religiosorum quorumcunque Conventualium juxta institutiones ordinum eorumdem bonum exemplum, & spirituales consolationis fructus ceteris prebeatur, volumus, & Fraternitati tue etiam mandamus, ut quibuscunque Dominicis & festivis diebus per fratres eorumdem ordinum verbum Dei populo predicari, & post Vesperas per aliquem doctum religiosum unam lectionem in sacra pagina legi, ac omnia divina officia in eorum Ecclesiis ante vigesimam quartam horam, ut prefertur, terminari facias. Considerantes etiam, quod utile atque per necessarium est, ut Clerici intelligant, que legant, ne propterea legendo scandalum populo, dum divinis interest, prebeant, volumus quod in singulis sexteriis ejusdem Civitatis magistrum Ludi litterarii, ad docendum, & instruendum Clericos gramaticam deputari, & illi de provisione seu salario convenienti, ex redditibus Fabricarum Ecclesiarum, aut Mansionariarum vel de aliquo titulo Ecclesiastico pro tempore in dictis Ecclesiis vacante, prout sibi expediens videbitur, provideri mandet. Et insuper attendentes, quod nonnulli, tam Clerici & religiosi, quam Laici salutis animarum suarum penitus immemores, sub spe facile obtinendi veniam, seu remissionem delictorum suorum, etiam in bulla Cene Domini contentorum, passim multa enormia crimina committunt. Quique nec proprii, nec alieni dedecoris pudentes cum Monialibus in eorum Monasteriis turpissime versantur, & de premissis a quibusdam Sacerdotibus secularibus, seu regularibus, tam vigore facultatum forsan, quas ipsi absolventes, aut absolvendi a Sede Apostolica, aut ab ejus legatis vigore facultatum a prefata Sede eis concessarum obtinent, absolutionem reportant, ad evellendam penitus

ipsam

istam peccandi, seu delinquendi materiam, potestatem absolvendi a premissis cuiquam per Sedem Apostolicam, concessam, & forsan in posterum concedendam per presentes revocamus, cassamus, & annullamus, nobis, ac Fraternitati tue reservari inhibentes quibusvis confessoribus, ne de cetero a similibus casibus, sub pena eterni judicii quenquam postquam presentes ad eorum noticiam devenerint, absolvant. Utque premissorum omnium & singulorum nullus ignorantiam aliquam pretendere possit. Volumus ut presentes, & dicta Lateranensis statuta Concilii vitam, & mores Clericorum concernentia singulis annis convocato clero publicari, & ad omnium noticiam, quantum in ea fuerit, prout in similibus fieri consuevit, deduci faciat. Atque, ut premissa omnia & singula facilius executioni demandari valeant, illi facultatem auctoritatem, & potestatem contra quoscunque inobedientes, & rebelles, sub privationis, & ammissionis beneficiorum Ecclesiasticorum, que obtinet, quorum sic vacantium collationem nobis, & Sedi Apostolice reservamus, & inhabilitatis, ad alia imposterum obtinenda, nec non sub censuris & penis Ecclesiasticis illas aggravandi, & reagravandi procedendi, illisque precipiendi & mandandi, nec non eos cogendi, compellendi, incarcerandi, puniendi, ac Sinodos, cum opportunum duxerit, celebrandi, & quatenus opus sit, auxilium brachii secularis invocandi, & alia opportuna juris remedia exercendi, & omnia & singula faciendi, gerendi, moderandi, reformandi, & exequendi, que neccessaria duxerit, seu quomodolibet opportuna tenore presentium concedimus & indulgemus, premissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis privilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, & libertatibus illis in genere, seu in spetie concessis, confirmatis, & innovatis, dictisque appellationibus, & litis pendentia, nec non testamentis, & dispositionibus defunctorum, qui pro Mansionariis, vel fabricis hujusmodi legata reliquerunt quibus pro hac vice duntaxat ad effectum premissorum illis alias in suo robore permansuris specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v. Maii MDXXIV. Pontificatus Nostri Anno primo.

Be. El. Cremonen.

A Tergo | Venerabili Fratri Antonio Patriarche Venetiarum.

Acta pro ædificatione Sacelli Sanctæ Crucis in Jerusalem, & Sacelli Corporis Domini Sacratissimi, quæ in Ecclesia Patriarchali Venetiarum erexit Antonius Contarenus Patriarcha, & redditibus dotavit.

R 2

IN Christi Nomine Amen. Cunctis pateat evidenter presens publicum Instrumentum inspecturis qualiter anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo undecimo Indictione quartadecima die vero Sabbati vigesima secunda mensis Novembris convocatum, & congregatum fuit Venerandum Capitulum Venerabilium Dominorum Canonicorum Ecclesie Patriarchalis Venetiarum de mandato Rev. D. Archidiaconi in Sacristia dicte Ecclesie, ad sonum campanelle (ut moris est) In quo quidem Capitulo interfuerunt infrascripti Domini

mini Canonici vid. Rev. D. Alovisius de Bartholis Archidiaconus, D. Daniel Adam Primicerius, D. Marcus Dragano, D. Alovisius Briani, D. Bernardinus Manentus, D. Hieronymus Cursius, D. Jo: Franciscus dal ben, D. Joannes Bembo, omnes Canonici dicte Ecclesie Absentibus Rev. D. Archipresbytero citato, ut asseruit Sacrista, & non veniente, & Ven. D. Georgio Delphino infirmo, qui dedit vocem suam, ut retulit dictus Sacrista suprascripto Ven. D. Bernardino, qui quidem D. Archidaconus posuit infrascriptam partem vid. Vadit pars quod Capitulum nostrum consentiat, & complaceat Rev. D. D. Antonio Contareno Patriarche Venetiar., quod possit pro reparatione cujusdam Capelle S. Martini in Ecclesia Patriarchali sua Venetiarum prope Altare majus a latere sinistro facere, nec non quod Sua Rev. D. construi & fabricari possit facere Capellam, & Altare sub titulo quod videbitur Sue Reverendissime Dominationi, nec non archam, & alias fabricas prout sibi melius videbitur, & placuerit in prefato loco, Item & eidem Capelle Dominatio Sua Reverendiss. unire, incorporare, & annectere possit Ecclesiam S. Martini de Bibano Diocesis Venetiarum Territorii Sacillis cum omnibus juribus, & jurisdictionibus suis. Item quod consentiat prefatum Ven. Capitulum prefate Sue Reveredis. Dominationi quod fabricari facere possit unam, sive duas domos, in quoddam terreno vacuo prope domum olim bone memorie Rev. D. Laurentii Justiniano. Item quod in eventu quod Sua Rev. Dominatio pro reparatione fabrica, & constructione Ecclesie Patriarchalis obtineat a Sede Apostolica Indulgentiam Dominicis Quadragesimalibus, tam anni presentis, quam futurorum quod detractis ex elimosinis in dictis diebus Dominicis percipiendis ex ipsa indulgentia vid. summa quam habere solebat Capitulum temporibus, & Dominicis retroactis residuum vero ipsarum elemosinarum remaneat ipsi Reverendiss. D. Patriarche pro fabrica dicte Ecclesie, & quod de predictis omnibus Sua Reverendiss. Dominatio possit fieri facere Instrumentum in publica, & autentica forma cum quibuscunque clausulis necessariis, & opportunis, que quidem pars ballotata habuit de sic ballotas novem, de non nullam, & sic capta fuit suprascripta pars:

Actum Venetiis in Sacristia predicta presentibus Ven. Viro D. Jacobo Genuense Capellano in dicta Ecclesia Patriarchali, & Joanne Maria de Strallis de Contrata S. Petri de Castello testibus adhibitis, vocatis, & rogatis.

Ego Joannes Franciscus Zentilinus D. Laurentii Publicus Imperiali auctoritate Notarius &c.

IN Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo undecimo Indictione XIV. die vero Sabbati vigesima secunda mensis Novembris. Cum sit, quod Reverendiss. in Christo Pater, & Dom. D. Antonius Contareno miseratione Divina Patriarcha Venetiarum avidus invigilat, & cupiat reliquias Sanctissimas jam concessas Ecclesie Patriarchali, inter quas extat de pillis D. N. J. C. recondere in aliquo condigno loco ipsius Ecclesie, ut a Christifidelibus summa cum devotione venerentur, prout venerari debent, nullusque locus aptior ad id reperiatur Capella contigua Choro, & Capelle S. Martini dicte Ecclesie multis rationibus, & causis existentibus in mente Sue Rev. Dominationis, quam Capellam nemini, usque in hodiernum concessam pro viribus intendit decorare, & fabricare pro dictis Reliquiis collocandis, ad honorem Omnipotentis Dei, ac in ea moliri ergastulum, sepulcrum tumulum, aut sepulturam, in quo cum altissimo placuerit spiritum Dominat. Sue Rever. collocare in celesti aula in sinu Patriarche nostri Abrahe, ossa sua recondantur, & ut Capella sic erecta, carens celebratione Missarum non remaneat, eam dotare, uti filiam sponse sue Ecclesie Patriarchalis, & instituere unum aut duos mansionarios Presbyteros seculares pro libito dispositione, & ordinatione voluntatis sue, qui, & in Capella

pella ipsa celebrare, & in divinis decantandis in Ecclesia interesse debeant, absque tamen ullo damno, & prejudicio, tam Ecclesie prefate, quam Venerandi Capituli, & eidem Capelle unire, annectere & incorporare Ecclesiam S. Martini de Bibano Diocesis Venetiarum, sub territorio Sacilli, cum omnibus juribus, & proventibus suis, & ut aptius, & commodius Capellam ipsi possint inservire Ecclesie pro eorum habitatione, & mansione erigere domum, seu domos in quoddam terreno vacuo sito in Quintavalli, intra domum bone memorie Reverendiss. D. Laurentii Justiniano olim Patriarche Venetiarum Palatium Patriarchale domum Archidiaconatus, & calliculam tendentem ad habitationem D. Cancellarii, que Capella, & terrenum sunt de juribus Ecclesie Patriarchalis, & Patriarchatus, & ne futuris temporibus controversia aut inquietudo, & mollestatio Dominationi Sue Rev. capellanisve suis, A. posteris, & successoribus Reverendissimis D. Patriarchis, aut Capitulo prefato moveri, aut inferri possit, requisivit Capitulum ipsum, si consentire vellit de Capella, & domo prefatis construendis fabricandis, & errigendis, & unione dicte Ecclesie S. Martini, quod quidem Capitulum consensum suum prestitit, nemine in eo discrepante interveniantium, ut constat parte capta, sub die hodierna, de qua rogatus fui Ego Notarius infrascriptus, cum potestate conficiendi publicum Instrumentum, seu Instrumenta, cum clausulis necessariis & opportunis. Item ut ad quorumcumque intuentium oculos patet, Ecclesia ipsa Patriarchalis imminenti subest collapsui, & ruine, ob murorum vetustatem, qui pro majori parte corrosi in dies labuntur, & ni provideatur propediem magna interveniet ruina, forte cum damno populi interessentis divinis, Animadvertens ipse Reverendissimus D. mollem ingentem dicte Ecclesie in cujus fabrica si exponeret omnes introytus, & obventiones Patriarchatus, ipsa Ecclesia, ne dum fabricaretur, sed nec repararetur nisi aliter subveniatur. Ideo Dominatio Sua Reverendiss. si accedat consensus Capituli prefati, procurabit sumptibus, & ere suo a Sede Apostolica obtinere indulgentias amplioris forme, quam poterit ad effectum premissum pro diebus Dominicis quadragesimalibus, & aliis solemnibus duraturas per decem annos pro quibus sic obtinendis non intendit, nec vult in aliquo gravare Capitulum ipsum; Ea propter congregati infrascripti Venerabiles D. Alovisius de Bartholis Archidiaconus, D. Daniel Adam Primicerius, D. Marcus Dragano, D. Aloysius Breatis, D. Bernardinus Manentus, D. Hieronymus Cursius, D. Jo: Franciscus dal ben, & D. Joannes Bembo Canonici Venetiarum, residentes, & totum Capitulum dicte Ecclesie, vel saltem majorem, & saniorem partem illius representantes, nullo juris, aut facti errore ducti considerantes optimam mentem, sanum consilium, & animum prefati Reverendiss. D. Patriarche cupientis collocare Sanctissimas Reliquias antedictas in Capella prefata prope chorum a latere sinistro, in eaque instituere unum, aut duos Capellanos, & errigere domum unam aut duas in terreno prefato, & obtinere indulgentias a Sede Apostolica pro fabrica, & reparatione Ecclesie annuerunt concorditer, & unanimes consenserunt pro se & successoribus suis quod Dominatio sua Rev. ad effectum premissum pro quanto ad ipsos spectat, seu spectare & pertinere potest, apprehendat Capellam prefatam, & eam instauret, edificet, reparet, & reformet sumptibus & expensis suis propriis sub quocunque titulo pro libito voluntatis sue, ac in ipsa unum, aut plures mansionarios instituat, qui tantum celebrent in ea, hac conditione quod in ipsa aliter se non ingerant nec percipiant aliquas elemosinas, seu oblationes presentatas & oblatas in dicta Capella que omnes cujuscunque sint qualitatis, & condictionis, tam pecuniarum, quam cerarum sint, & esse debeant Capituli prout observatur de similibus in aliis Capellis dicte Ecclesie quodque etiam Dominatio Sua Rev. auctoritate sua ordi-

di-

dinaria uniat, incorporet, & annectet Ecclesiam S. Martini de Bibano, vel plures in qua vel quibus jus & auctoritatem habet prefate Capelle cui libentissime consensum suum dant & exhibent, & prestant casu quo eorum consensus intervenire deberet, & debeat, & obtineat a Sanctissimo D. Nostro indulgentias in ea ampliori forma, qua poterit ad effectum premissum restaurationis Ecclesie, que cum non sint, nec aliquo modo pervenire possint in damnum Capituli sui juxta formam partis capte, sub die instanti. Promittentes dicti D. Archidiaconus, Canonici, & Capitulum suprascripta omnia per se & successores suos habere firma, rata, & grata, & non contrafacere sub obligatione omnium suorum, & dicti sui Capituli bonorum presentium & futurorum.

Actum Venetiis in Sacristia Patriarchalis Ecclesie Presentibus Ven. Viro D. Presb. Jacobo Genuense Capellano in dicta Ecclesia Patriarchali, & Joanne Maria de Strallis de contrata S. Petri de Castello testibus vocatis, & rogatis.

Ego Joannes Zentilinus &c.

IN Christi Nomine Amen Anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo duodecimo Indictione quintadecima die vero vigesimoquinto mensis Aprilis Cunctis presens publicum Instrumentum inspecturis pateant: Qualiter in presentia mei Notarii, & testium infrascriptorum constitutus Ven. D. Presb. Vincentius Stephani Rector Parrochialis Ecclesie S. Martini de Bibano Diocesis Venetiarum, quam impresentiarum quiete & pacifice possidet sponte & libere consensum prestitit & prestat, & contentatur quod Ecclesia ipsa S. Martini quando per ejus cessum, vel decessum vacare, vel alio quovis modo legitime vacare contigerit pleno jure, ac cum omnibus ejus jurisdictionibus spiritualibus, & temporalibus fructibus redditibus & obventionibus quibuscunque uniatur, & incorporari & uniri debeat Capelle in Ecclesia Patriarchali Venetiarum, sub titulo salutifere Crucis in Hierusalem errecte & institute per Reverendiss. in Christo Patrem D. D. Antonium Contareno Patriarcham modernum Venetiarum.

Actum Venetiis in Patriarchali Palatio. Presentibus Presb. Michaele de Peregrinis Subdiacono Titulato in Ecclesia S. Martini Venetiarum, & Fr. Angelo Venet. testibus vocatis, & rogatis.

ANtonius Contareno miseratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatieque Primas. Universis, & singulis presentes nostras litteras unionis inspecturis illis presertim quos infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum salutem in Domino sempiternam. Animadvertentes Ecclesiam Nostram Patriarchalem ex defectu ministrorum non modicum detrimenti in divinis sustinere, cultumque divinum in eadem quotidie diminuiri, nec propter tenuitatem prebendarum, ac introytuum Canonicorum posse alios ministros ex proventibus ipsorum substitui, quia sive in Curia presidentium, sive sinistra temporum conditione, introytus dicte Ecclesie sunt ita exinaniti, ut Canonici ipsi, qui nunc reperiuntur vix vitam sustinere possunt, ideo cum nos capellam quamdam, sub titulo Sanctissime Crucis in Hierusalem ex nostris redditibus magnifico opere construi fecerimus pro hujusmodi cultu divino in eadem conservando, & augendo nobis non sine matura deliberatione, & sano consilio visum fuit ut si Parrochialis Ecclesia S. Martini de Bibano Nostre Diocesis ad nostram collationem, & dispositionem pertinens, eidem Capelle S. Crucis pro victu ministrorum eidem inservire debentium, & aliarum necessitatum pro tempore imminentium per nos uniretur, annecteretur, & incorporaretur statui dicte Ecclesie condigne consultum fore, & personis divinum offitium psalentibus provisum. Quare auctoritate nostra ordinaria, qua fungimur in hac parte de consilio, & consensu Capituli Ecclesie nostre predicte, & rectoris ejusdem Ecclesie

clesie S. Martini ipsam Parrochialem Ecclesiam S. Martini cum omnibus juribus & pertinentiis suis Capelle suprascripte S. Crucis in Ecclesia nostra predicta site perpetuo univimus, anneximus, & incorporavimus prout ex nunc unimus annectimus & incorporamus per presentes, ita quod cedente vel decedente moderno ipsius Rectore, seu illam aut quomodolibet dimittente, etiam actu quovis modo vacet, & ejus dispositio ad nos hac vice pertineat, liceat dictis ministris Capelle S. Crucis pro tempore existentibus corporalem realem, & actualem ipsius, juriumque & pertinentiarum predictorum possessionem, auctoritate propria libere apprehendere, illiusque fructus, redditus, & proventus percipere ac in suos usus, & dicte Capelle utilitatem convertere juxta tamen formam constitutionum, & ordinationum nostrarum perpetuoque retinere, cujusvis alterius superioris licentia super hoc alias minime requisita, volumus autem quod Parrochialis Ecclesia predicta S. Martini quatenus unionem predictam suum effectum sortiri contigerit; Debitis propterea non fraudetur obsequiis, nec animarum cura in eadem aliquatenus negligatur, sed ejus debita supportentur onera consueta. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium has presentes litteras unionis, & incorporationis predicte fieri, & scribi jussimus per Cancellarium nostrum infrascriptum nostrique Pontific. sigilli fecimus appensione communiri.

Datum in Patriarchali Palatio nostro Anno Dominice Nativit. MDXII. quinto Kal. Maii. Presentibus Venerabilibus Viris D. Presb. Michaele de Peregrinis Subdiacono Titulato in Ecclesia S. Martini Venetiarum, & D. Fr. Angelo Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Augustini testibus vocatis & rogatis.

MAtheus miseratione Divina titulo Sancte Potentiane Sacrosancte Romane Ecclesie Presbyter Cardinalis Sedunensis, totius Germanie, ac Lombardie, & ad quecunque Italie loca, ad que nos declinare contigerit Sanctiss. D. N. Pape, & Apostolice Sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam, ex injuncto nobis Apostolice Sedis legationis officio ad ea libenter intendimus, per que Ecclesiarum quarumlibet presertim Patriarchalium insignium, & in illis divinis laudibus dedicatarum personarum etiam Patriarchali dignitati fulgentium utilitas procuratur, ac divinus cultus in eis augeatur, eaque que pro illorum executione provide facta fuisse dicuntur, ut firma, & illibata permaneant Apostolice confirmationis adiicimus firmitatem sane pro parte Rev. in Christo Patris Antonii Contareni Patriarche Venetiarum petitio continebat, quod nuper ipse Antonius pia devotione motus, ac cupiens terrena in celestia, & transitoria in eterna felici commertio commutare, quamdam Capellam, cum suo Altari, ad laudem, & honorem Omnipotentis Dei, in qua suam sepulturam eligere intendit, ac pro decenti repositione nonnullarum reliquiarum in Ecclesia sua Patriarchali existentium in eadem capella, de consensu tamen dilectorum nobis in Christo Capituli, & Canonicorum ejusdem Ecclesie suis propriis expensis opere sumptuoso construi, edificari, & fabricari fecit. Et ut ipsa Capella competenti dote foret decorata, qua mediante divinus cultus in Ecclesia prefata augmentum reciperet, & debitis posset suffragiis sublevari; Quoddam terrenum, sive petium terre vacuum, situm, & positum in Quintavalle alias juxta suos confines, ad dictam Ecclesiam Patriarchalem legitime spectans, & pertinens de simili consensu Capituli, & Canonicorum predictorum, ad effectum inibi construendi, & edificandi duas domos, impensis propriis prefati Antonii Patriarche, ac pro usu, & habitatione duorum Capellanorum per prefatum Antonium Patriarcham inibi ponendorum, & instituendorum, qui inibi in divinis deserviant, ac onera eidem Capelle pro tempore incumbentia alias juxta piam voluntatem dicti Antonii Patriarche debite supportare habeant, dedit, concessit, & assignavit, aliasque, & alia fecit, prout in quodam publico Instru-

mento inter Antonium Patriarcham, ac Capitulum, & Canonicos ipsius Ecclesie desuper inito, & confecto plenius continetur; Verum si dicta Capella in perpetuum beneficium Ecclesiasticum cujus annuus valor ad summam centum ducatorum auri, ascendere debeat erigeretur, & institueretur, ac unum beneficium, seu unam Parrochialem Ecclesiam ad collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem dicti Antonii Patriarche spectans, & pertinens, seu spectantem, & pertinentem quamprimum illud per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, illud vel illam obtinentis, vacare contigerit perpetuo uniretur annecteretur, & incorporaretur, illiusque fructus, redditus, & proventus eidem Capelle postquam erecta fuerit appropriarentur, applicarentur, & assignarentur profecto hujusmodi, tam laudabile, ac pium opus inceptum celerius perficeretur, idque decori, ac venustati, ac divini cultus augmento non parum cederet, cum autem sicut eadem petitio subjungebat; Prefatus Antonius Patriarcha cupiat premissa omnia & singula per eum & Capitulum, & Canonicos prefatos facta, & gesta, ac in eodem Instrumento contenta per nos approbari, & confirmari, rogavit, ut in premissis opportune providere dignaremur. Nos igitur qui divinum cultum presertim in Patriarchalibus Ecclesiis, nostris potissime temporibus sinceris affectibus exoptamus, quique etiam, ut accepimus dudum Sanctissimus Dominus Noster Julius Divina providentia Papa Secundus inter alia voluit quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri teneantur exprimere, verum annuum valorem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus, commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset eundem Antonium Patriarcham a quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, nec non fructuum, redditLuum, & proventuum dicti Beneficii uniendi, presentibus pro expressis habentes hujusmodi suis devotis supplicationibus inclinati, premissa omnia, & singula in dicto instrumento contenta, ac instrumentum predictum auctoritate Apostolica qua per litteras dicte Sedis sufficienti facultate muniti fungimur in hac parte tenore presentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis robur Apostolice confirmationis adiicimus supplemusque omnes, & singulos deffectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, & nichilominus Capellam predictam, cujus annuus valor centum ducatorum auri ascendere debeat pro duobus Capellanis Presbyteris idoneis, per prefatum Antonium Patriarcham inibi ponendis, & instituendis, qui in eadem Capella sic erecta in divinis deserviant, ac onera eidem Capelle pro tempore incumbentia alias juxta voluntatem, ordinationem, & statuta dicti Antonii Patriarche desuper edicta, & facta, & facienda debite supportare habeant erigimus, & instituimus, at illi sic erecte Capelle quamdam Ecclesiam, cum cura sub invocatione S. Martini de Bibano Venetiarum Diocesis, ad ipsius Antonii Patriarche collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem spectantem, & pertinentem quamprimum illam per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem moderni ipsius Ecclesie Rectoris, ad id tamen in hoc expresse consentientis vacare contigerit perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, illiusque fructus, redditus, & proventus eidem sic erecte Capelle juxta predictam ejusdem Patriarche faciendam ordinationem assignamus, appropriamus, & applicamus, nec non prefato Antonio Patriarche, qui complementum dicte sue laudabilis intentionis affectat, ut sibi tantum de fructibus sui Patriarchatus pro complendo dotis dicte Capelle secundum ejus possibilitatem semel, vel suc-

successive recuperet sive conservet quantum fore compererit necessarium etiam ad effectum emendi aliquos fundos, seu proprietates, justo tamen & honesto precio ex quibus residuum dicte dotis Capelle hujusmodi sic erecte, usque ad dictam summam centum ducatorum fundos hujusmodi emere, & recuperare possit, & valeat, nec non fundos predictos seu proprietates hujusmodi venditoribus eorum a quibus emere contigerit in emphiteosim perpetuam pro se, suisque heredibus, & successoribus, si sibi videatur pro aliquo annuo canone sive censu, vel responsione annua eidem Capelle sic erecte persolvendo, seu persolvenda prout invicem concordaverint, donec equivalentem fundum seu fundos in eadem utilitate pervenientes eidem Capelle consignaverint, dummodo in premissis damnum seu prejudicium aliquod eidem sue Capelle propterea non afferatur; licentiam facultatem, & auctoritatem, auctoritate, & tenore premissis concedimus, & indulgemus quodque liceat eidem Patriarche quamdiu in humanis vixerit eam pro hac prima vice, quam quotiens dictam Capellam vacare contigerit in dicta Capella duos Presbyteros Capellanos idoneos, & sufficientes deputare, & instituere, ac eo vita functo similiter liceat Archipresbytero dicte Ecclesie, & Archipresbytero Congregationis S. Salvatoris pro tempore existentibus una cum duobus, & proximioribus ex sanguine, cum affinitate ipsius Antonii Patriarche, seu aliis juxta illius dispositionem & ordinationem desuper faciendam, eosdem Capellanos idoneos, & sufficientes Patriarche pro tempore existenti dicte Ecclesie presentare ipseque Patriarcha pro tempore existens secundum ejus conscientiam, & merita personarum, illos sic sibi presentatos, ad eamdem Capellaniam, tunc vacantem instituat, & admittat, ac eisdem Capellanis sic presentatis de ipsa Capellania provideat, ac alias, & alia faciat, que circa presentationem hujusmodi necessaria fuerint vel opportuna. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Pp. VIII. & aliis Apostolicis constitutionibus, nec non dicte Ecclesie Patriarchalis juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus speciales, vel generales dicte Sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras, & processus habitos per easdem, & inde secuta quecunque, ad dictam Ecclesiam S. Martini volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis, & aliis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant per que presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, volumus autem quod propter unionem, annexionem, & incorporationem predictas dicta Ecclesia S. Martini debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed per sufficientem Vicarium, cui de ipsius Ecclesie proventibus necessaria congrue ministrentur, cura hujusmodi diligenter exerceatur, & deserviatur inibi laudabiliter in divinis.

Datum Venetiis Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo duodecimo, tertio Kalendas Maii Pontificatus Sanctissimi Dom. N. D. Julii divina providentia Pape Secundi Anno nono.

J. N. Bonellus.

IN Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo duodecimo Indictione xv. die vero quarto mensis Maii. Cunctis presens publicum Instrumentum inspecturis pateat qualiter Ven. D. Presb. Vincentius Stephani Ecclesie S. Sophie Venetiarum

Oo 2 Pres-

Presbyter Titulatus, & Rector Ecclesie Curate S. Martini de Bibano de Conegliano Diocesis Venetiarum qui superioribus diebus expresse consensum suum sponte, & libere prestitit, quod Ecclesia S. Martini, quam impresentiarum quiete, & pacifice possidet perpetuo uniretur Capelle erecte per Reverendissimum D. D. Antonium Contareno Patriarcham Venetiarum in Ecclesia Patriarchali Venetiarum, sub titulo salutifere Crucis in Hierusalem, cum eam vacare contingeret per ejus cessum vel decessum, ut de hujusmodi suo consensu constat Instrumento rogato per me Notarium, sub die xxv. Aprilis prope decursi nunc vero, ut unio ipsa plene effectum sortiatur, beneficiumque, seu Ecclesia prefata S. Martini de Bibano perpetuo uniatur annectetur, & incorporetur, cum omnibus illius redditibus, frutibus, proventibus, obventionibus, juribus, & jurisdictionibus spiritualibus, & temporalibus & non aliter, nec aliis modo, & causa constitutus coram prefato Rever. D. Patriarcha sponte, & libere cessit, & renuntiavit dictam Ecclesiam S. Martini de Bibano in manibus Sue Rev. Dominationis, cum omnibus illius juribus, & jurisdictionibus, qui Reverendissimus D. Patriarcha uti Administrator dispensator, & gubernator omnium bonorum dicte Ecclesie S. Martini prefate constituit dictum Presb. Vincentium Iconomum, & Capellanum, donec, & quousque de Capellanis ipsius Ecclesie & Capelle juxta tenorem bulle Apostolice aliter decreverit, & ordinaverit.

Actum Venetiis in Camera cubiculari suprascripti Reverendissimi D. Patriarche presentibus Presb. Michaele de Peregrinis Subdiacono Titulato in Ecclesia S. Martini Venetiarum, & Fr. Angelo de Venetiis Congregationis S. Salvatoris testibus vocatis, & rogatis.

Ego Presb. Bernardinus Manentus Canonicus Venetiarum publicus Imperiali, & Curie Patriarchalis Venetiarum Notarius omnibus, & singulis in premisso Instrumento contentis dum sic celebrarentur, interfui rogatusque in notam sumpsi per aliumque tentus occupationibus transcribi feci, nil addito, vel diminuto, quod sensum mutet, aut intellectum variet, ideo me subscripsi, signo & nomine meo appositis.

Leo Papa X.

Ven. Frater, & dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit Ven. Fr. Antonius Patriarcha Venetiarum, quod cum alias ipse pie ductus, cupiens terrena in Celestia, & transitoria in eterna felici commertio commutare in Ecclesia sua Venetiarum unam Capellam, sub invocatione S. Crucis in Hierusalem, & in ea unum Altare construi, & edificari fecisset, & in edificatione, & constructione hujusmodi summam quadringentorum ducatorum auri de camera, vel circa ex fructibus redditibus, & proventibus mense sue Patriarchalis Venetiarum exposuisset dictus Antonius Patriarcha certum fundum, seu certam domum, ad dictam mensam Patriarchalem, ab illius mensa capitulari distinctam jure proprietatis pertinentem, & dilecto filio Francisco de Morandis Secretario suo olim locatam, & tunc pro melioramentis per eumdem Franciscum in illo, seu illa factis de licentia predecessorum suorum pro precio ducentorum octuaginta septem ducatorum auri ipothecatam, ab ipso Francisco acquisivit, ac ab eadem Ipotheca liberavit, & sic liberatum una cum aliis certis proventibus, eidem Capelle sic constructe pro illius & duorum Presbyterorum secularium inibi celebraturorum dote assignavit, applicavit, & appropriavit, nec non eidem mense Patriarchali pro annuo censu fundi, seu domus hujusmodi singulis annis perpetuis

tuis futuris temporibus unum ducatum auri reservavit, prout in diversis Instrumentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri, quam dictus Antonius Patriarcha asserens premissa in maximum Ecclesie ornamentum, & divini cultus augumentum, ac in evidentem utilitatem mense Patriarchalis predictarum cessisse, & cedere nobis humiliter supplicari fecit, ut constructioni, & edificationi, assignationi, applicationi, appropriationi, & reservationi predictis pro illarum subsistentia firmiori robur Apostolice confirmationis adiicere, & alias in premissis opportune providere de beniguitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui singulorum votis prout possumus libenter annuimus de premissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus Inclinati discretioni vestre per presentes committimus, & mandamus quatenus si & postquam fundo, seu domo hujusmodi prius coram vobis conjunctim procedentibus specificatis de constructione edificatione, assignatione, applicatione, & appropriatione, ac reservatione predictis, ac quod illa in evidentem utilitatem dicte Ecclesie, seu mense Patriarchalis cesserint, & cedant vobis legitime constiterit, super quo vestram conscientiam oneramus, easdem constructionem, edificationem, assignationem, applicationem, appropriationem, & reservationem, ac prout illa concernunt omnia, & singula in dictis Instrumentis contenta, & inde secuta quecunque auctoritate nostra approbetis, & confirmetis suppleatisque omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem non obstantibus fel. rec. Pauli II. predecessoris nostri, ac dicte Ecclesie Venetiarum juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die xx. Maii milesimo quingentesimo quartodecimo. Pontificatus Nostri Anno secundo.

A tergo | Ven. Fr. Episcopo Chissamensi Venetiis commoranti, & dilecto filio Archidiacono Ecclesie Venetiarum.

Cujus quidem Apostolice commissionis vigore prefatus Reverendissimus D. Episcopus, & Rever. D. Archidiaconus formato debito processu, & rite, ac legitime, & servatis servandis procedentes tandem suam diffinitivam sententiam promulgarunt subsequentis tenoris videlicet.

IN Nomine D. N. J. C. ejusque Gloriosissime Matris Virginis Marie Amen. Nos Dominicus de Alleppo Dei gratia Episcopus Chissamensis Venetiis commorans, & Aloysius de Bartholis Archidiaconus Venetiarum Commissarii, & executores Apostolici, ad infrascripta a Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputati volentes, & intendentes negocium nobis a prefato Sanctiss. Domino Nostro ad instantiam Reverendissimi D. Antonii Contareni moderni Patriarche Venetiarum impositum, injunctum, & demandatum fideliter pro posse adimplere, visa prius, & bene considerata commissione nostra Apostolica, tenoris, & continentie, ut ultra legitur & continetur, visa comparitione facta nomine prefati Rever. D. Patriarche coram nobis instantis, & petentis per nos procedi debere ad executionem contentorum, & narratorum in dicta commissione, visa per nos acceptatione, & admissione dicte commissionis, & subsequentis petitionis, & instantie prefate, viso edicto per nos decreto per quod publice citavimus omnes & singulos, sua communiter, vel divisim interesse putantes infra certum terminum prefixum, & similiter particulariter citavimus Canonicos, & Capitulum prefate Ecclesie, ac s. Franciscum de Morandis Cancellarium prefati Reverendiss. D. Patriarche, tanquam alias conductorem domus, de qua infra, ad comparendum, dicendum, & allegandum, quicquid dicere, & allegare pretendebant, seu volebant, circa negotium predictum, & visa relatione, & executione dictarum citationum, & edicti in processu annotati.

Visa

Visa petitione producta nomine prefati Reverendis. D. Patriarche in scriptis, in qua est facta specificatio dicte domus, & confinium illius, & in qua etiam petitione sunt annotata quedam Capitula, qua quidem petitione conclusive petiit, & institit constito de narratis, & contentis in dicta commissione Apostolica, & quod illa cedant in evidentem utilitatem dicte Ecclesie, seu mense Patriarchalis constructionem, edificationem, assignationem, applicationem, appropriationem, & reservationem, ac prout illa concernunt omnia, & singula in Instrumentis contenta, & inde secuta, quecunque per nos auctoritate Apostolica predicta approbari, & confirmari supplendo omnes, & singulos deffectus prout in dicta petitione latius legitur, & continetur visis productionibus Instrumentorum, & jurium factis nomine prefati Rev. D. Patriarche pro verificatione contentorum in dicta commissione Apostolica, & primo viso Instrumento consensus prestiti per Capitulum Venerandum dicte Ecclesie Patriarchalis circa concessionem, cum omnibus in eo contentis scripto, & in publicam formam redacto, sub signo, & nomine s. Joannis Francisci Zentilini D. Laurentii publici Imperiali auctoritate Notarii, sub die xi. mensis Novembris MDXI. Indictione xiv. visis quibusdam constitutionibus per dictum Rev. D. Patriarcham factis occasione Capelle suprascripte, & Sacerdotum, seu Capellanorum, & aliarum rerum, prout in ipsis cum reservatione unjus ducati pro annuo censu occasione dicte domus mense Patriarchali predicte viso consensu prestito per D. Presb. Vincentium q. Stephani Rectorem Parrochialis Ecclesie S. Martini de Bibano Diocesis Venetiarum circa unionem factam de dicto beneficio suprascripte Capelle, sub die quarto mensis Maii MDXII. Indictione xv. manu Ven. Viri D. Bernardini Manenti Canonici Venetiarum publici Imperialis Notarii, visis litteris sive bullis obtentis, & impetratis per dictum Reverendiss. D. Patriarcham a Reverendiss. in Christo Patre D. D. Mattheo miseratione divina titulo Sancte potentiane Sacrosancte Romane Ecclesie Presb. Cardinali Sedunensi totius Germanie, ac Lombardie, & ad quecunque Italie loca, ad que declinare contigerit Sanctiss. D. N. Pape, & Apostolice Sedis legato circa confirmationem, & approbationem predictorum, ac alias concessiones prout in eis legitur, & continetur. Datum Venetiis Anno Incarnationis Dominice MDXII. tertio Kal. Maii. Viso alio Instrumento facto per dictos Ven. Canonicos eidem Rever. D. Patriarche, cum omnibus Capitulis, pactis, & conventionibus, prout in eo, manu predicti s. Jo: Francisci Zentilini Notarii, sub die primo mensis Decembris MDXII. Viso Instrumento emptionis melioramentorum dicte domus, cum suis terrenis, & hortis, ac aliis suis habentiis & pertinentiis emptorum a prefato s. Francisco de Morandis, cum omnibus in eo contentis manu prefati D. Bernardini de Manentis Notarii, sub die xxix. mensis Octobris MDXII. Viso Instrumento emptionis cujusdam possessionis posite in pertinentiis Asylli facte per dictum s. Franciscum de Morandis de precio habito pro dictis melioramentis, cum oblatione, & conditione de dicta possessione facta per prefatum s. Franciscum de Morandis dicte Capelle pro suffragio animarum defunctorum suorum scripto manu prefati D. Bernardini Notarii, sub die xxix. Mensis Octobris MDXII. Viso libro, & partitis in eo contentis de denariis expositis per dictum Reverendiss. D. Patriarcham, tam in fabrica dicte Capelle, & dicto s. Francisco de Morandis, pro emptione melioramentorum, suprascriptorum, quam aliarum pecuniarum in aliis proventibus exbursatarum, usque ad summam ducatorum mille ducentorum, & ultra. Item Instrumento alias facto per bon. mem. Reverendiss. D. D. Thomam Donato olim Patriarcham Venetiarum de melioramentis factis per dictum D. Franciscum de Morandis in dicta domo. Item visis libris computorum, & ratio-

rationum dicti D. Thome Donato, & D. Antonii Suriano Patriarcharum Venetiarum, in quibus sunt annotate partite relaxationum affictuum dicte domus prefato f. Francisco, & similiter libro prefati Reverendiss. D. Patriarche moderni in quo similiter fuerunt relaxati dicti affictus dicto D. Francisco. Visis nonnullis attestationibus nonnullorum testium examinatorum circa conditionem, & qualitatem dicte domus ante melioramenta facta per suprascriptum f. Franciscum de Morandis visa ad oculum dicta Capella, viso demum ad oculum loco in quo sita est dicta domus, ac ipsa domo diligenter inspecta, & considerata, visoque toto processu, & visis videndis, & consideratis considerandis tandem volentes ad instantiam Reverendiss. D. Patriarche, ad confirmationem predictorum positam devenire prout tenemur. Christi nomine reppetito, cujus judicium non fallit, nec fallitur sedentes pro Tribunali in camera Palatii Patriarchalis quem locum pro idoneo elegimus, & deputavimus ad hanc nostram diffinitivam sententiam proferendam auctoritate Apostolica nobis ut prefertur attributa, & qua fungimur in hac parte ambo concordes dicimus, & declaramus in hunc modum, & formam videlicet: Quia cum coram nobis sufficienter specificati fuerint fundus, & domus de quibus agitur prout in petitione parte Reverendiss. D. Patriarche coram nobis producta legitimeque constiterit de constructione, edificatione, assignatione, applicatione, & appropriatione, & reservatione, de quibus in dictis litteris Apostolicis, & quod illa in evidentem utilitatem dicte Ecclesie, seu mense Patriarchalis cesserint, & cedant eamdem constructionem, edificationem, assignationem, applicationem, appropriationem, & reservationem, & prout illa concernunt omnia, & singula in dictis Instrumentis contenta, & quecunque inde secuta approbamus, & confirmamus supplemusque omnes & singulos deffectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, & ita dicimus, pronuntiamus & declaramus non obstantibus omnibus, & singulis, que prefatus Sanctiss. D. N. in dicta sua, ad nos commissione directa voluit non obstare.

Lata, data, lecta, & pronuntiata fuit suprascripta diffinitiva sententia per prefatos Rever. D. Episcopum, & Rev. D. Archidiaconum commissarios, & executores Apostolicos sedentes pro tribunali in Patriarchali Palatio in camera cubiculari prefati Reverendiss. D. D. Patriarche Anno Domini a Nativitate MDXVIII. die lune XII. mensis Julii. Presentibus D. Presb. Vincentio Stephani, Plebano Ecclesie S. Sophie, D. Marco de Scauris Doctore, & Presb. Philippo de Leoninis Eccl. S. Leonis Venetiarum testibus vocatis & rogatis.

Jesus Mariæ dulcissimus, & Salvator meus Virginis Mariæ filius.

IN Nomine Sancte, & individue Trinitatis Anno a Sanctissima, & ineffabili Incarnatione D N. J. C. humani generis Redemptoris MDXXIII. die XXVIII. Decembris Indictione XI. Nos Antonius Contareno Dei gratia Patriarcha Venetiarum licet immeritissimus. Universis, & singulis has lecturis, & audituris salutem in Domino, & felicitatem eternam nichil jucundius incarcerato annuntiari potest liberatione sua, licet etiam egressus sit arctissimus, cum ex ipsa omnium erumnarum, & dolorum suorum finis, & repausatio acquiratur. Hoc patrum vota Redemptoris nostri adventum summis desideriis anhelantium demonstrant. Hoc Sacre scripture scripta annuntiant, hoc ipsa rerum magistra experientia docet; hinc nos anterius suprascriptus considerantes arctissimum carcerem, in quo tenemur vexati a mondo, carne, diabolo, concupiscentia oculorum, carnis, ac superbia vite, a quibus singulis horis, & momentis tribulamur, angustiamur, & vexamur etiam inviti propter ne-

necessitates corporales sine quibus in hoc mortali corporali carcere constituti esse non possumus, ac cuique fideli Christiano propter vitanda peccata, ac amore essendi, cum suo Salvatore Domino Jesu Christo separari a corpore dilectissimum esse debet, licet ipsa resolutio maximum terribilium existat, ignorantesque horam, qua D. meus Jesus Christus sua clementia animam meam suo Gloriosissimo Sangine Redemptam, ad se suscipere, & ab hoc corporeo carcere liberare dignabitur: Completis gratia sua auxiliante Capellis Sanctissime Crucis in Jerusalem, ac Corporis sui Sacratissimi ad sui honorem, & gloriam per nos erectis in Ecclesia nostra Patriarchali, eisque dotatis paramentis, ac ornamentis fulcitis, ac constitutionibus pro earum gubernatione factis, ministrisque XVI. ad earum & Ecclesie servitia deputatis, cum eorum salariis deputatis, omnibusque auctoritate Apostolica Instrumentis publicis, ac inventariis ut in libro Constitutionum nostrarum apparet, quia in ipsis constitutionibus ministri non sunt particulariter nominati, nec domus ei assignate, & de salariis deputatis in aliquibus, ad tempus mutavimus, ad tollendam omnem alterationem inter servitores nostros post obitum nostrum, & unusquisque pro amore, quem in nos gerunt, pacifice voluntatem, & intentionem nostram cognoscendo exequatur, tenore presentium infrascriptas per nos deputationes ab ipsis inviolabiliter observandas, nec non consigniationes domorum, ac salaria ad tempus mutata manu propria scripta facere necessarium duximus, & ita facimus, & ordinamus prout infra, salvis in ceteris constitutionibus, & ordinationibus nostris que ut jacent in omnibus observari mandamus, exceptis infrascriptis ordinandis que in omnibus suis absque aliqua interpretatione ab omnibus observentur.

Invocata itaque Sanctissima Trinitate Primum Capellanum Canonicum, ad servitium Capelle Sanctissime Crucis deputamus Ven. Virum D. Presb. Vincentium Stephani, nunc Plebanum S. Sofie per antea per nos deputatum, cum salario ducat. XL. singulo anno non obstante constitutione per quam assignantur solum ducat. XXV. cuilibet Capellano, quam pro persona sua in vita sua dispensamus, & quia dictus Presb. Vincentius, cura sue Plebanie occupatus non potest ad servitia dicte Capelle vacare, attento quod cum eo jam dispensavimus, quod non teneretur ad aliqua onera ipsius Capelle, ne ipsa Capella numero servitorum suorum interim privata existat, ejus loco deputamus D. Presb. Johannem Matheum de Scuris supranumerarium virum, & Sacristam dicte Ecclesie, usque quo fuerit Canonicus assumptus in dicta Ecclesia de numero XII. eo vero sic assumpto eligimus & deputamus Presb. Alexandrum ejus nepotem familiarem nostrum in Capellanum Canonicum, quibus vel cui tempore existenti assignamus pro suo salario, & habitatione domum, in qua nunc habitant, cum onere dicendi missam, & interessendi divinis officii, diurnis, & nosturnis diebus Dominicis, & festivis tantum prout Subcanonici infra ordinandi sunt obligati juxta formam constitutionum nostrarum donec vixerit dictus D. Vincentius, quo defuncto, quis eorum reperiretur, loco ejus habeat ipsam domum pro habitatione, & ducat. XXV. singulo anno cum omnibus, ut in constitutionibus continetur.

Secundum Capellanum Canonicum in dicta Ecclesia eligimus, & deputamus Presb. Lodovicum Berbena familiarem nostrum, cui assignamus pro sua habitatione domum positam ex opposito domus consignate Presb. Joanni Matheo super Curia putei, cum salario ducatorum decem singulo anno donec vixerit suprascriptus D. Vincentius Stephani, quo mortuo habeat singulo anno ducat. XXV. pro salario, & domum ipsam pro habitatione, cum oneribus in constitutionibus nostris contentis.

Pro subcanonicis vero eligimus, & deputamus primum suprascriptum Presb. Alexandrum de Scuris familiarem nostrum donec intret Capellanus Canonicus

cus cum salario, & oneribus prout in constitutionibus continetur.

Secundum Subcanonicum deputamus Presb. Hieronymum q. Jacobi Vinearii cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus. In Mansionarios vero Canonicos de numero XII. primum deputamus D. Nicolaum Manentum familiarem nostrum cum salario prout in constitutionibus, cui etiam assignamus ultra dictum salarium ducatos XIV. qui supersunt ex introytibus deputatis Capelle S. Crucis quos ducatos XIV. volumus singulis annis in vita sua ei dari ultra Salarium dictum videlicet ducat. VI. sine aliqua diminutione etiam si introitus ipsius Capelle diminuerentur, nec non solum eidem assignamus pro habitatione sua domum positam in Ruga Virginum, quam emimus a magnificis D. Joanne Paruta, & Andrea Basadona, & sociis, que fuit olim Joannis Caballini sibi per nos impresentiarum locatam, cum aliis tribus domunculis subtus dictam domum existentibus solitis locari singulo anno ducat. octo lib. III. sol. XVI. cum onere tamen solvendi ducat. tres, gr. 20. de livello Patriarchatui nostro, ad quod dicta domus & domuncule sunt subjecte, & obnoxie singulis annis, & cum onere reparationis ipsarum domorum & tenendi eas in culmine, & concio, ita quod serventur, in suo statu, & esse, & cum onere solvendi decimas, & alias impositiones terre si que ponerentur ita tamen quod dictus D. Nicolaus teneatur singulis diebus pro anima mea, & nostrorum in quibus celebrationibus utatur, & debeat uti paramentis nostrarum Capellarum diebus statutis, prout in ordinario nostro continetur, & in ipsis Capellis celebrare, & tenere debeat claves ipsorum paramentorum prout quattuor Capellani Canonici utuntur, & tenent, non obstantibus constitutionibus nostris aliter disponentibus quas pro persona sua dispensamus in his, quo quidem D. Nicolao defuncto dicti ducati XIV. & affictus domus ipsi D. Nicolao in vita ejus pro ejus habitatione assignate, & domuncularum predictarum reparatione ipsarum facta solutis livello, decimis, & impositionibus predictis, si que ponerentur nec non affictus possessionis relicte per q. Franciscum de Morandis Cancellarium nostrum ipsi Capelle S. Crucis, advenente casu applicationis ejusdem deponantur, & depositentur singulis annis per majorem Capellanum dispensatorem bonorum, & introytuum ipsius Capelle S. Crucis, in manibus supramassariorum Cleri Venetiarum pro reparatione dictarum domorum, & manutentione, & conservatione dictarum Capellarum, & domorum consignatarum Capellanis Canonicis, & aliarum rerum, & ornamentorum, tam ipsarum, quam Ecclesie per nos factarum, & fiendarum, & omnium bonorum immobilium per nos ipsis applicatorum, & applicandorum deffensione juxta formam in constitutionibus nostris appositam ita tamen quod quotiescunque ipse pecunie depositate apud ipsum Collegium Cleri Venetiarum computatis etiam ducatis sex singulo anno depositandis, prout in constitutionibus continetur, excederent numerum XXV. ducatorum illa ab inde supra dictum Collegium, sive supramassarii debeant, & teneantur investire, in possessiones, vel livella, cujus, vel quorum fructus singulis annis teneantur, dispensare inter pauperes contrate S. Petri de Castello, cum aliis dicto Collegio per nos, ad hunc finem assignatis, modis, formis, & temporibus contentis in Instrumento inter nos & dictum Collegium celebrato fiantque Instrumenta nomine nostro propter pauperes, semper tamen servande dictos ducatos XXV. pro indigentiis Capellarum, & mobilium ut supra dictum est; cui D. Nicolao, & omnibus beneficiatis utriusque Capelle, tam presentibus, quam futuris earum conservationem, cum omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus, tam pro ipsis, quam pro Ecclesia per nos factis ad honorem Dei, & Ecclesie conservationem toto corde commendamus.

Secundum Mansionarium de numero XII. deputamus D. Aloysium Nigrum cum

cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus.

Pro Clericis vero in ipsa Capella S. Crucis: Primum deputamus Vincentium q. Joseph Surianum cum Salario, & obligationibus prout in constitutionibus. Secundum Clericum deputamus Valerium f. Antonii dicto Boldon cum Salario, & obligationibus prout in constitutionibus,

De aliis oneribus positis ipsi Capelle S. Crucis serventur inviolabiliter, & sine aliqua diminutione, constitutiones prout jacent, etiam si introytus diminueretur, que diminutio cedat in damnum Capellanorum Canonicorum Subcanonicorum Mansionariorum. & Clericorum pro rata suorum salariorum.

Ministri pro Capella Corporis Christi.

Insuper eligimus & deputamus ad servitium Capelle Corporis D. N. J. C. primum Capellanum Canonicum Presb. Marcum Baldigara familiarem nostrum, cui assignamus pro habitatione sua domum novam, quam edificari fecimus in quintavalli super ripam Canalis, excepta domo parva subtus ipsam, quam locari volumus, & affictus dispensari, cum aliis introytibus emptis, & emendis pro ipsa prout in constitutionibus continetur cum salario, prout in ipsis constitutionibus.

Secundum Capellanum Canonicum eligimus, & deputamus Presb. Nicolaum Nigrum familiarem nostrum, cui assignamus pro habitatione sua domum contiguam domui assignate Presb. Ludovico Berbena ex parte Australi que in presentiarum locata est Presb. Zacharie de Mojolis, cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus continetur.

Pro Subcanonicis eligimus, & deputamus Presb. Zachariam de Mojolis cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus,

Secundum Subcanonicum deputamus Presb. Dominicum Petri de Catharo cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus continetur.

In Mansionarios Canonicos de numero XII. Primum deputamus D. Aloysium Briani cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus.

Secundum de numero XII. Presb. Joannem Matheum de Scuris Canonicum supranumerarium non obstante constitutione aliter disponente, quia speramus cito ipsum Canonicum futurum, & quando id non fieret, volumus ipsum esse loco ii Mansionarii Canonici cum salario, & obligationibus prout in Constitutionibus, & hoc nisi esset unus ex Capellanis Canonicis nostris, quo casu ponatur unus Canonicus de numero XII. prout in Constitutionibus.

Pro Clericis deputamus primum Matheum f. Nicolai Filacanevi cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus.

Secundum Clericum deputamus Marcum f. Pauli de la braza cum salario, & obligationibus prout in constitutionibus.

Quos sic electos, & deputatos ad servitium utriusque Capelle, & Ecclesie prefate modis omnibus, obligationibus, & salariis juxta constitutiones, & ordinationes super inde per nos factas, volumus & declaramus fore, & esse Capellanos, Canonicos, Subcanonicos, Mansionarios, & Clericos, etiam post mortem nostram, nisi aliam ordinationem, & mutationem, & subrogationem de ipsis, vel eorum aliquo fecerimus in scriptis aut in voce, quibus vel aliquo eorum sive eorum vel alicujus loco per nos subrogandis, vel subrogando defunctis, vel defuncto sive vigore constitutionum nostrarum alias suis demeritis exigentibus privatis sive privato, & amoto fiat postea electio loco defunctorum, vel defuncti sive privatorum, vel privati & amoti, & habentes potestatem eligendi secundum formam dictarum constitutionum nostrarum quos tamen omnes volumus esse ammovibiles,

les, & manuales juxta formam bulle ultimo loco per nos facte, & auctoritate Apostolica confirmate, & ipsarum constitutionum nostrarum, & Instrumentorum superinde loquentium.

Insuper eligimus, & deputamus Mansionarium in Capella nostra Corporis Christi, in Ecclesia S. Salvatoris Presb. Alexandrum de Augustinis familiarem nostrum, cum onere celebrandi quotidie in ea, & quandocunque sibi placuerit in Capella S. Crucis, vel Corporis Christi in Ecclesia nostra Patriarchali, cum paramentis ipsarum pro anima nostra, & nostrorum, & habeat singulis annis ducatos xx. pro elemosina a Collegio Congregationum, ut in Instrumento inter nos, & dictum collegium celebrato continetur.

Dominus meus Jesus Christus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, pedes discipulorum lavit in exemplum, Sacratissimi Corporis sui Sanctissimi in memoriam sui instituit, & exhiboit, ad charitatem & patientiam exhortatus est, & pro eis oravit; Ego autem infelix peccator plenus vitiis, & omni virtute destitutus conversus ad ipsum auctorem, & redemptorem meum humi prostratus, oro penitentis animam non dedignetur suscipere, ignoscat illi debita sua, quicquid verbo, corde, aut facto gessit transgrediendo Sacramenta, precepta consilia, virtutes, vota, penitentiam, & professionem suam, in superbia, ira, invidia, avaritia, accidia, gula, luxuria, in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, parvipendendo dona, beatitudines, & fructus spiritus, diem extremum, penas eternas, & premia eterna non considerando, ommittendo opera misericordie temporalia, ac spiritualia, ac charitatem Dei, & proximi negligendo, ignoscat per suam Sanctissimam Incarnationem, Nativitatem, Labores, Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, & Adventum Spiritus Sancti, ac per merita, & dolores Beatissime Matris ejus semper Virginis Marie, quos in sua crudelissima passione substinuit, & Omnium Sanctorum merita, & passiones, peto veniam a Gloriosissima Virgine semper Maria ejus matre quia ingratus semper fui, protectionis, quam ab infantia mea de me habuit, & gratiarum impetratarum a filio suo, pro me suo inutili servo, non eam honoravi, ut tenebar, peto veniam a tota natura angelica salutis mee administratoria, & precipue ab angelo, a divina clementia ad custodiam michi dato, quia rebellis fui ejus continuis Sanctissimis inspirationibus, ad bonum sequendum, & malum fugiendum opportune, & importune incitantibus, & impellentibus peto veniam ab omnibus Sanctis, qui suis meritis, & orationibus gratiam a Domino michi impetraverunt, & in meis necessitatibus pro me Dominum oraverunt, quia eis debitos honores non exhibui, & divinis gratiis suis orationibus impetratis ingratus fui a Sanctissimo Domino Nostro Papa, totaque Sede Apostolica veniam & remissionem peto de inutili, & infructuosa administratione cure Pastoralis michi commisse, si sacros Canones non observavi, si juramentum violavi, si dicto, aut facto ejus mandatis non parui, si contumax fui quia digne in omnibus non reveritus fui, nec observavi, ut tenebar, ad pedes quoque Serenis. Principis Venetiarum, ac totius Senatus qui suo interventu ad hanc dignitatem, & onus me promovere curavit, ac generalis, & totius Congregationis S. Salvatoris Matris nostre que me a pueritia aluit, & suis, non meis meritis huc usque provexit Confratrumque Canonicorum nostrorum familiarium, ac servitorum nostrorum carissimorum, ac totius Cleri, & populi Christiani, tam michi inutili, & indigno servo commissi, quam non commissi cujuscunque preeminentie status dignitatis gradus & conditionis existentis, prostratus qua possum animi contritione, & cordis dolore, meam gravem, & gravissimam culpam dicendo, peto veniam, ab universis & singulis de omnibus offensionibus, & malis exemplis in nos dicto, aut facto, datis, & de me auditis ; quomodocunque, & qualitercunque, quicquid in

in nos admissi, quicquid amari, a me accepistis, oro obtestorque per charitatem fraternam, & spem misericordie quam a Domino expectatis, michi condonetis defuncto, eam michi requiem optantes, quam a Domino vos impetrare in obitu vestro desideratis, & negligentie mee ignoscatis, & pro anima mea misera, & peccatrice oretis, ut ipse dulcissimus Dominus meus Jesus eam suscipiat, qui eam tanto precio redimere dignatus est; Peto insuper veniam ab universis, & singulis creaturis divinam bonitatem diversimode repre-sentantibus ad substentationem, utilitatem, commodum, & consolationem meam creatis, de omnibus meis erratis, & offensionibus, & earum abusibus per me factis, non eis ad necessitatem, sed voluptatem abutendo, non Deum in ipsis laudando, cum continue pro honore Dei, & necessitate vite mee michi servierint, & non ad voluptatem meam, ex quo earum, & meum creatorem offendendo eas offendi, ut suo modo ignoscant erratis meis, & Deum placabilem michi faciant, sed vos o viscera mea Confratres, Canonici, Familiares, & Servitores charissimi admoneo, ut charitatem inter vos patientiam in adversis, in ultimo sermone a Domino discipulis commendatas, totis viribus custodiatis, supportates invicem, in vinculo pacis, ne suscepti ordinis vestri dignitatem repente perdatis, mementote admonitionum mearum incerte conditionis vitam quotidie ancipitem retractate, & celeste vobis premium, sine cunctatione tribuetur; hec cogitate, hec sapite, & si qua vobis mei cura, si qua patris memoria est, si michi vicarium repensatis amorem, cultui divino intendite, ut tenemini, & Capellarum nostrarum, & omnium bonorum, tam pro ipsis, quam pro Ecclesia per nos consignatarum, & factarum conservationem, & manutentionem, prout in constitutionibus, & ordinationibus nostris ordinatum est procurate, & observate. Pecuniarumque autem nonnullarum, quam dies exitus nostri cogitantes pro paupertate nostra ex bonis nobis a Domino concessis, in dies coadunavimus easque in capsa Cypressina scripturarum Capellarum nostrarum in saculo nigro de cendato nigro sigillo nostro munito in uno folio per antea disposuimus, dispensandum per fidelissimum servitorem nostrum Fr. Angelum antequam cadaver nostrum sepulture mandetur inter Confratres Canonicos familiares, servitores, & alios charissimos nostros semel tantum in signum dilectionis non testamentaria ordinatione, sed pro gratitudine servitiorum in nos habitorum, ut memores sint nostri in orationibus suis, infrascripta fiet divisio. Et primo Reverendis Confratribus nostris de numero XII. una cum dignitatibus ducatos XII. equis portionibus inter ipsos dividendis unum pro quolibet, Canonicis Plebanis ducat. VI. Subcanonicis, & Mansionariis duc. VI. Clericis duc. III. Sacriste duc. II. octo familiaribus, & filiis nostris Charissimis vid. Rev. D. Aloysio Nigro Procuratori nostro Rev. D. Nicolao Manenti. Venerabilib. Presbyteris Alexandro de Augustinis, Ludovico Barbena, Marco Baldegare, Nicolao Nigro, Alexandro de Scuris, & Andree Urbinati duc. XXXII. quatuor pro quolibet, Paulo Scalcho duc. III. Danieli famulo barche, Joanni Marie ejus socio, Nicolao Cocho, Antonio Pistori, Jacobo, & Francisco pueris duc. VI. unum pro quolibet, & hoc ultra salaria sua que immediate sine aliqua diminutione solvantur ex pecuniis nostris, si que essent, tempore obitus nostri, vel ex rebus in Patriarchatu existentibus, & idem servetur in omnibus salariatis habere debentibus, quibus non fuisset per nos ad plenum satisfactum. Fratri Antonio duc. IV. gr. IV. Fratri Angelo pro minima parte laborum suorum pro nobis sine cessatione habitorum, & bonitate, & fidelitate sua duc. XX. Item omnia indumenta, & vestimenta tam lanea, quam linea, tam nigra, quam alba, quocunque nomine nuncupentur. Item omnia supplectilia, & ornamenta Altaris nostri in camera nostra ubi celebramus cujuscunque nominis, que nos

nos comparavimus, & fieri fecimus, vel nobis donata fuerunt, omnia sint sua & ad libitum suum dispensentur, vel in memoriam nostri teneat, prout sibi placuerit. Rev. D. Joanni Francisco Puteolano Cancellario nostro fidelissimo duc. x. qui supradicti ducati omnes intelligantur, ad rationem lib. 6. par. 4. pro ducato, quia pecunie depositate sunt cunei Veneti numero 96. & ascendunt, a l summam ducat. 111. par. XII. & non excedunt. De libris vero nostris inter quos sunt nonnulli Monasterii S. Salvatoris, ut in inventario apparet nichil dicimus, quia omnes sunt pro dote Capelle Corporis Christi per nos erecte in Ecclesia S. Salvatoris, ut apparet in Instrumento manu D. Joannis Francisci Puteollani inter nos, & dictum Monasterium, & quia ipsa Capella nondum est perfecta in pavimento, & Altaris ornamento, sive palle, & quadro cene Domini in pariete ponendo, si tempore obitus nostri non essent omnia perfecta tenore presentium consignamus, & donamus eidem Monasterio totum creditum quod debemus habere a mag. Dominis provisoribus Communis pro expensis quas fecimus in ripa super canali ante Ecclesiam, & campum Ecclesie nostre Patriarchalis ex quibus pecuniis ipsi Reverendi D. Patres, & Fratres teneantur, & debeant ipsam proficere & sint pro omni eo, & toto, quo in libris nostri Patriarchatus eidem Monasterio tenemur ex promissione pro ipsa Capella per nos facta, si tempore vite nostre eidem non satisfecissemus, quod creditum ascendit, ad summam duc. 337. $\frac{1}{2}$ In eventum vero quo per nos omnia essent perfecta, & soluta dictum creditum assignamus, & donamus fabrice Ecclesie nostre Castellane Patriarchalis expendendum in faciem ipsius Ecclesie quam divina gratia suffragante, ac adjuvante intendimus fieri facere pro Dei honore, & ipsius Ecclesie.

Item si Capella Sepulcri D. N. J. C. in Ecclesia S. Antonii per nos erecta tempore obitus nostri non esset perfecta, cum suo pavimento, & suo cohopertorio a quadris, & figuris marmoreis in ipsa palla & superius, & aliis ornamentis in picturis, & auro prout eam proficere desideramus, consignamus, & donamus eidem Monasterio tenore presentium totum creditum quod tunc nobis teneretur Aloysius Rigono, vel alius pro eo, quod ascendit ad summam duc. 480. duc. 5. ut constat Instrumento manu f. Bonifacii Notarii ex quibus pecuniis ipsi Reverendi D. Patres & Fratres teneantur in libris nostri Patriarchatus ratione ipsius Capelle si quod creditum reperiretur, ita quod ex utraque parte ipsa partita cancelletur. In eventum vero, quo omnia essent per nos perfecta, & soluta, totum dictum creditum consignamus, & donamus fabrice Ecclesie nostre Patriarchalis expendendum, cum supradicto credito provisorum in faciem ipsius Ecclesie.

Item consignamus, & donamus totum id quod habere debebimus tempore obitus nostri a fabrica ipsius Ecclesie nostre Patriarchalis pro expensis pro tempore factis, ut apparet in libris, Patriarchatus, & in parte in libris Procuratorum fabrice eidem, fabrice expendendum in faciem Ecclesie modis, ut supra notatis in aliis duobus creditis quod creditum fabrice ascendunt, ad summam duc. 320. $\frac{1}{2}$ ultra expensas in dies fiendas, que cedent etiam ipse ipsi fabrice in quamcumque summam existerent tempore obitus nostri.

Item adimittimus, & donamus pro servitiis, & aliis rationibus animum nostrum moventibus Mag. D. Petro honorando, & Carissimo Fratri Nostro D. Nicolao Bragadeno, & Dom. Francisco Contareno Carissimis, & Amantissimis Nepotibus nostris omne, & totum in quibus ipsi, vel aliqui eorum tempore obitus nostri reperirentur debitores nostri in libris Patriarchatus nostri non obstantibus quibuscunque obligationibus per eos nobis factis quas omnes tenore presentium cassamus, & revocamus, & pro nichilo haberi volumus, ac si nunquam fuissent facte excepto debito in quo dictus D. Nicolaus teneretur pro affictibus, & livellis decimis pro possessio-

fessione Crucis, consignata Capelle S. Crucis, de quibus esset debitor in libris computorum ipsius Capelle, quod debitum si quod erit exigatur, & distribuatur, ut infra dicetur.

Item ordinamus, quod omnes pecunie que reperirentur apud nos collecte ex introytibus Capellarum, vel essemus debitores earum, & similiter introytus decursi, usque ad tempus obitus nostri solutis Capellanis, & mansionariis, usque ad illud tempus secundum ratam per nos observatam jam duobus annis in festivitate S. Andree prout in libris Capellarum apparet, ac etiam duobus Clericis expendamus primo in perficiendo suppeletilia, ornamenta, sive pannos, tam pro Capellis, quam pro Ecclesia signata in inventariis nostris, deinde pro Zanfardis Capellanorum, Canonicorum, & Subcanonicorum pro rata valoris: Tertio pro possessione accipienda Canonicorum Capellanorum, & quod superfuerit investiatur per supracommissarios Collegii Congregationum, ad beneficium pauperum contrate, seu Parrochie nostre prout de aliis investiendis suprascriptum, & in Instrumento inter nos, & dictum Collegium celebrato continetur; si vero tante pecunie & redditus exigendi non superfuerint primo perficiantur suppellectilia, ornamenta, & panni perficiantur, per ipsum Collegium ex residuis introytuum ipsarum Capellarum, & pecuniarum investiendarum prout in ipso Instrumento continetur.

Insuper quia habuimus in deposito a Rev. Dominis Canonicis, & Capitulo nostro nonnullas pecunias investiendas, ad nomen nostrum prout in Instrumento per nos habito continetur, de quibus dictum Capitulum apparet creditor in libris Patriarchatus, eas volumus sibi assignari immediate, vel in pecuniis, vel in rebus nostri Patriarchatus, vel ex affictibus currentibus, & investiantur secundum formam ipsius Instrumenti, ita ut ipsum Capitulum non habeat causam altercandi, cum Reverendiss. D. successore nostro, cum ipse pecunie exposite fuerint pro necessitate nostra, & nostri Patriarchatus, hoc addito, & declarato, quod ante omnia ex pecuniis, que reperirentur tempore obitus nostri, satisfiat omnibus salariatis, & aliis habere debentibus aliquid a nobis, ut supra dictum est, qui omnibus aliis creditoribus preferrantur, cum pro suis laboribus mercedes sue cito reddende sint, & ut ita fiat, rogamus.

Que omnia & singula suprascripta per nos, ut supra terminata, ordinata, & disposita, volumus, & mandamus observari inviolabiliter, & suum totalem effectum sortiri, ac ea valere teneri, & observari, tam jure terminationis & ordinationis nostre predicte, quam cujuscunque alterius dispositionis, sive donationis prout melius, & validius valere poterit, & propterea sic manu mea scripta, & subscripta, ac sigillo nostro signata, dedimus, & tradidimus in manibus D. Joannis Francisci Puteolani Notarii Venetiarum, & fidelissimi Cancellarii nostri, ad hunc finem, ut quandocunque nos ex hac vita migrare contigerit, eam aperiat, & elevet in publicam formam, ac registret, sive registrari faciat in libris constitutionum nostrarum, ad perpetuam memoriam omnium & singulorum premissorum, attento quod alteram appodigiam sigillatam per nos alias sibi traditam, ab ipso D. Joanne Francisco recepimus, & laceravimus, hoc addito, & declarato, quod alias pro ornamento Capelle nostre Corporis Christi in Ecclesia S. Salvatoris consignavimus, & donavimus unum vasculum argenteum pro aqua Sancta insignitum arma Contarena, cum suo aspersorio de argento. Item unam bursam a Calice rasi Carmesini laboratam auro & argento, cum agno desuper ex argento laborato, & arma Contarena. Item Cussinellos duos de restagno aureo, cum armis Contarenis ponendos ad pedes, & caput Sanctiss. Theodori, que omnia etiam tenore presentium ipsi Capelle, & Monasterio donamus, & applicamus ad tollendam omnem dubietatem, & controversiam. Hoc etiam declarato quod si aliter quod suprascriptum est in toto pre-

presenti cedula, vel in constitutionibus nostris per nos orectenus, vel in scriptis fuerit ordinatum in totum, vel in partem id habeatur in omnibus, & per omnia ac si ipsa cedula, vel constitutionibus esset descriptum, & ita observari volumus, & mandamus non obstantibus quibuscunque, tam in ipsa cedula, quam in constitutionibus descriptis, que intendimus in ea parte, vel partibus revocata, & ita tenore presentium in ipsis casibus revocamus, & annullamus, ac si descripta non fuissent ad laudem Omnipotentis Dei, & D. N. J. C. & Gloriosissime Matris ejus, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & totius Curie Celestis, quibus omnibus vitam, & animam nostram in presenti, & in futuro seculo fusis precibus, & lachrymis totis viribus, & devotione quantum possumus, commendamus, & valete viscera mea nostri memores in orationibus, & celebrationibus vestris in quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium has presentes Ego Antonius Contareno Patriarcha predictus manu propria scripsi ac subscripsi, ac impressione secreti sigilli nostri signavi, & roboravi.

Datum Venetiis in nostro Patriarchali Palatio, die, & millesimo suprascriptis.

Ego idem Antonius Contareno Patriarcha manu propria scripsi, & subscripsi.

Laurentius Priolus Patriarcha ex vi facultatis sibi a Clemente VIII. concessæ, Canonicatus & alias minores dignitates ab Antonio Contareno Patriarcha institutas in duobus Sacellis Ecclesiæ Patriarchalis, ad arctiorem numerum ob defectus redituum redigi decernit.

S2 1595. 9. Decembris Litteræ Pontificiæ.

1596. 15. Januarii Decretum Patriarchale.

Ex Archivo Canonicorum Ecclesiæ Patriarchalis.

LAurentius Priolus miseratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatieque primas, & in hac parte commissarius, & executor Apostolicus, ut infra specialiter deputatus. Universis & singulis presentes litteras inspecturis salutem in eo qui est omnium vera salus. Circa Ecclesiarum statum salubriter dirigendum, & Pastoralis officii nostri debitum in his libenter assistimus, per que animarum occurritur periculis, & personarum commoditatibus providetur, quemadmodum Ecclesiarum ipsarum necessitas exigit causa suadet rationabilis Catholici populi incrementum exposcit quatenus Ecclesiarum earundem status immutetur, seu in melius reformetur prout rerum temporum & locorum circumstantiis pensatis, id cognoscimus in Domino salubriter expedire. Recepimus quidem ea qua decuit reverentia litteras Apostolicas in forma brevis Sanctiss. in Christo Patris, & Dom. N. D. Clementis divina providentia Pape VIII. in carta pergamena per extensum scriptas, sanas & integras ac omnimoda suspicione carentes tenoris sequentis: a tergo Brevis: Venerabili Fratri Laurentio Patriarche Venetiarum: intus vero: Clemens Pp. VIII. Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem fraternitatis tue ne-

nomine nuper nobis fuit expositum quod Anno Domini MDXI bon. mem. Antonius Contarenus Patriarcha Venetiarum de consensu Capituli Ecclesie Patriarchalis in eadem Ecclesia duas Capellas. alteram sub Sancte ✠ in Hierusalem alteram Sanctiss. Sacramenti invocationibus erexit, in eisque quattuor Canonicos, quattuor Subcanonicos, quattuor Mansionarios, & quattuor Clericos ad nutum ammovibiles instituit, quorum bini, ex quolibet ordine, alteri ex dicti Capellis ut infra inservirent, ac pro eorum substentatione Capellas prefatas diversis bonis tunc ad valorem annuum ducatorum ducentorum circiter computatis fructibus unius beneficii foranei, cui cura imminebat animarum ipsis Capellis uniti, que tamen unio postea effectum minime sortitum fuit, ascendentibus dotavit, ac preterea quattuor domos pro habitatione quattuor Canonicorum predictorum eisdem Capellis assignavit, prout in publico Instrumento desuper confecto dicitur contineri, ex fructibus autem predictorum bonorum in primis, & ante omnia nonnulla legata, ad triginta ducatos annuos circiter ascendentia inviolabiliter solui debere ordinavit. Ita ut etiam si ullo unquam tempore redditus predictis Capellis assignatos minui contigisset, nullum propterea prejudicium legatis prefatis afferetur dummodo tantum superesset, quantum ad ea legata solvenda sufficeret. Reliquum ex dictis redditibus in dictos ministros hoc modo distribui voluit, ut Canonicos singulis ultra domum, ad habitandum ducati viginti quinque monete Venetiarum singulis pariter Subcanonicis & Mansionariis ducati sex, & ceteris ducati quattuor similes quotannis assignarentur; Et si redditus hujusmodi aliquo tempore diminuerentur portiones singulorum ex predictis ministris pro rata minui, legata vero semper integre prestari voluit. Horum autem Canonicorum, & aliorum Ministrorum electionem sibi ipsi dum viveret, reservavit, & post ejus obitum ad antiquiorem de domo Contarena, ad priorem Canonicum Patriarchalem residentem, & ad Capitula spectare voluit, quorum vota, si diversa essent Patriarche pro tempore gratificationi remisit, Canonicosque ex numero Subcanonicorum, Subcanonicos vero & Mansionarios ex numero inferiorum ministrorum respective si idonei essent, eligendos esse statuit, prout in statutis, seu constitutionibus per eum factis auctoritate etiam Apostolica roboratis similiter latius dicitur contineri; Ceterum voluit, & ordinavit, ut Canonici prefati aliud beneficium in predicta, aut alia Ecclesia minime obtinerent, nec familiares Patriarche pro tempore existerent ad edocendos pueros grammaticam, & musicam idonei essent, & in adeptione possessionis suorum Canonicorum quilibet eorum ducatos decem Capitulo Patriarchali solvere teneretur, almutias deferrent, & quotidie in eadem Ecclesia residere divinis officiis interesse, sub eisdem penis que quandoque ipsos fructus excedebant, Clericis vero dictis Ministris in divinis deservire, in Choro adesse, & candelabra lampades, & alia ornamenta dictarum expolire, & mundare tenerentur. Demum statuit, quod si ordinationes predicte non observarentur, aut quoquomodo destituerentur sepedicti redditus Capellis applicati ad quemdam Capellaniam sub invocatione S. Sepulcri sitam in Ecclesia S. Antonii etiam Venetiarum, vel alia loca pia tunc expressa, & cum conditionibus appositis devolverentur, executores autem omnium premissorum esse voluit tunc, & pro tempore existentem Patriarcham Venetiarum nec non Episcopos Abbates, & Prothonotarios, duosque eorum Venetiis commorantes prout latius in Instrumento & ordinibus ac constitutionibus predictis prefatis dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat tu in visitatione ejusdem Ecclesie repereris a nonnullis annis citra Capellas predictas hujusmodi ministris destitutas remansisse, quod evenisse existimas, quia nemo repertus fuerit, qui hujusmodi onera adeo tenui emolumento subire voluerit, quodque redditus

ditus predicti adeo imminuti existant, ut nunc preter quatuor domos predictas sexaginta ducati circiter ex hujusmodi redditus quotannis tantummodo percipiantur. Cumque tu cupias conservationi horum redditum, ac restitutioni divini cultus in eisdem Capellis nec non recuperationi deperditorum, aut occupatorum redditum quantum in te erit opportune consulere, oneraque a fundatione imposita, utpote nimis gravia minui necessarium sit, tu nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur erectionis, & fundationis predictarum Capellarum sic ordinatum a predicto Antonio Patriarcha, ut prefertur factarum veriores, ac totos tenores, nec non veros annuos valores bonorum predictorum presentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis super negotiis, & rebus Episcoporum, & regularium quibus hoc negotium examinandum, & nobis referendum commisimus, consilio, Fraternitati tue ut habita ratione fructuum & redditum, qui ad presens ex dictis bonis percipiuntur, unum, vel plura perpetua & Ecclesiastica beneficia in eisdem Capellis erigere, atque pariter post erectionem per te auctoritate nostra faciendam unum, aut plures Ministros in eisdem capellis loco predictorum a predicto Antonio fundatore destinatorum quot ex dictis redditibus congrue substentari poterunt, salvis tamen legatis predictis, ac jure presentandi, seu eligendi personis a dicto fundatore nominatis deputare, eosque etiam de numero Canonicorum Presbyterorum sive Clericorum ejusdem Ecclesie Patriarchalis, aut aliarum Ecclesiarum beneficia obtinentibus, si aliter reperiri nequeant, dummodo non ex tuis aut pro tempore existentis Patriarche familiaribus existant assumere, onera vero predicta juxta redditum quantitatem, & temporum qualitatem ad Sacri Concilii Tridentini decretorum prescriptorum restringere, limitare, minuere permutare, ac moderari, omniaque jura privilegia & actiones ad eosdem per te deputandos spectare, & pertinere, que ad deputatos per Antonium Patriarcham spectabant quibusque gaudere consueverunt uti frui & gaudere etiam decernas, ac alias in premissis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, statuere & ordinare prout secundum conscientiam tuam, quam super hoc oneramus expedire judicaveris libere, & licite valeas auctoritate Apostolica tenore presentium facultatem & auctoritatem concedimus & impartimur. Ceterum tibi precipimus, & mandamus, ut bona dictarum Capellarum occupata recuperare omni studio cures, omnes, & quoscunque illorum occupatores, & detentores eorumque fautores per censuras & penas Ecclesiasticas, & plures & sepius aggravandas auctoritate nostra compescendo invocato etiam ad hoc si opus fuerit brachio seculari. Non obstante voluntate dicti fundatoris, quam quoad expresse commutamus & substitutione, ad favorem piorum locorum vel regularium domorum ut prefertur factam, quodque predicti regulares ad premissa vocati, & desuper auditi non fuerint aliisque predictis, nec non quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus statutis quoque & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ac privilegiis, indultis & litteris Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis approbatis, & invocatis, quibus omnibus & singulis etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa & individua mentio habenda esset, tenores hujusmodi presentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat excepta, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Decembris MDXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto. M. Vestrius Barbianus. Quibus quidem litteris

teris Apostolicis per nos, ut premittitur, receptis, lectis, & diligenter consideratis, volentesque ad illarum, & contentorum in eis debitam executionem rite, & recte procedere juxta traditam per eas a dicta Sede Apostolica nobis auctoritatem & facultatem habita prius per nos matura consideratione ratione fructuum & redditaum, qui ex bonis bon. mem. Reverendiss. Antonii Contareno olim Patriarche Venetiarum predecessoris nostri percipiuntur eadem auctoritate Apostolica nobis concessa, & qua in hac parte fungimur. Quatuor beneficia Ecclesiastica perpetuas Capellanias nuncupata in Ecclesia nostra Patriarchali Venetiarum duas videl. sub S. Crucis in Hierusalem, alias vero Sanctiss. Sacramenti invocationibus nec non quattuor Ministros Accolytos nuncopatos in Ecclesia predicta erigimus, constituimus, & ordinamus, ac mandamus quattuor Capellanos a personis a q. Reverendiss. Patriarcha Contareno predicto fundatore nominatis nempe ab antiquiore Canonico Venetiarum residente a Rev. Capitulo Ecclesie Patriarchalis, sive ejus procuratore ad hoc specialiter deputato, nec non a seniore familie predicti q. Rev. Patriarche Contareni juxta formam preinsertarum litterarum Apostolicarum presentari, seu eligi de numero Canonicorum Presbyterorum, sive Clericorum ejusdem Ecclesie Parriarchalis, aut aliarum Ecclesiarum beneficia obtinentibus. Quorum singulis Capellanis, ut congrue sustentari possint, unam ex quattuor domibus, que erant pro habitatione quattuor Canonicorum statuimus, & assignamus cum onere, & obligatione ut ipsorum quilibet uno die cujuslibet hebdomade, & uno die Dominico singulo mense, duo vid. in Capella Sanctissimi Sacramenti, & alii duo in alia Capella Sancte Crucis in Hierusalem missam celebrare debeant, & domum suam propriis sumptibus reparare, ac meliorare & non deteriorare decimasque, & alias expensas ratione domorum fiendas solvere declarantes, & volentes, quod si ad Capellanias predictas, vel ipsorum aliqui pro tempore eligerentur Canonici domos pro residentia ratione sui Canonicatus possidentes, tunc & eo casu domos predictas cui Canonicatus alii Canonico domo residentie carenti renuntiare teneantur, ita ut unicam domum tantum pro sua residentia habere debeant. Accoliti vero predicti a personis & modo supradicto eligantur, qui saltem linguam latinam intelligant, sintque habiles, & idonei, bona vita, & moribus prediti, quorum munus erit inservire in dictis Capellis tribus mensibus continuis pro singulo ipsorum, ac mobilium dictarum Capellarum curam gerere, illaque in notam sumere, & teneantur omnes recitare duobus diebus in hebdomada Vesperas fidelium defunctorum pro anima dicti q. Reverendiss. D. Patriarche Contareno institutoris, nec non in choro dicte Ecclesie Patriarchalis interesse precipue diebus festis quod si non interfuerint punctabuntur, prout per nos declaratum fuerit. Quibus quidem Accolitis omnes introitus dicti q. Reverendiss. Contareni, prout in preinsertis litteris Apostolicis fit mentio solutis prius omnibus legatis ab eo dimissis inter ipsos equali portione dividendos assignamus, decernentes, quod si aliquis dictorum Accolitorum in Subcanonicum ejusdem Ecclesie eligeretur, tunc Accolitatus predictus vacare intelligatur, & ejus locus alius idoneus nobis sive successoribus nostris ut supra presentetur. Qui omnes Capellani, & Accoliti sic ut supra pro tempore presentandi, seu eligendi coram nobis sive successoribus nostris Patriarchis se presentare teneantur, pro illorum institutione & confirmatione juxta formam Sacrorum Canonum facienda. Committentes Rev. Massario, sive Procuratori Rev. Capituli Ecclesie Patriarchalis pro tempore existenti, quatenus exigere habeat redditus & introitus dictorum Accolitorum, tam preteritos, quam presentes & in futurum provenientes, solvere dicta legata, & onera, & dividere inter eosdem Accolitos introitus predictos, ac reddere rationem exactorum & expensarum per ipsum factarum, &

a no-

a nobis subscribendarum de sex mensibus in sex mensibus, donec aliter a nobis statutum fuerit que omnia & singula Nos Laurentius Patriarcha auctoritate Apostolica, predicta qua fungimur in hac parte statuimus, & ordinamus, ac ab omnibus, quorum interest, vel intererit quosque presens tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari volumus, & precipimus ut autem premissa omnia & singula per nos ut premittitur statuta & ordinata firmitatis robur obtineant, nec super illis ulla dubietatis valeat questio suboriri nos presentes litteras manu nostra signatas nostri sigilli jussimus, & fecimus appensione communiri.

Datum Venetiis in nostro Patriarchali Palatio Anno Nativitatis D. N. J. C. MDXCVI. Indictione nona die vero Lune xv. mensis Januarii Pontific. autem prelibati Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Pape Octavi Anno quarto. Presentibus ibidem Rev. D. Bertrando Gracillini ex ferentillo in umbria Clerico Aquilejensi familiari nostro, & D. Marco Caraffono Curie Patriarchalis Venetiarum Notario testibus ad premissa vocatis, & rogatis.

Laurentius Patriarcha Venetiarum Commissarius & Executor Apostolicus.
Pompilius de Benedictis Curie Patriarchalis Venet. Notarius de mandato ss.

Joannes Theupolo Patriarcha Venetiarum ex facultate Apostolica sibi concessa unum ex Sacellis, ab Antonio Contareno Patriarcha fundatis concedit Georgio Justiniano Equiti, ut in eo Corpus B. Laurentii Justiniani decenter collocet.

1628. 21. Augusti. Bulla concessionis Urbani VIII.

Ex Archivo Canonicorum Patriarchalis Ecclesie.

JOannes Theupulus miseratione divina Patriarcha Venetiarum Dalmatieque Primas &c. & in hac parte infrascriptarum litterarum Apostolicarum Executor. Universis & singulis presentes nostras litteras inspecturis, visuris, lecturis, & audituris salutem in Domino & presentibus nostris fidem indubiam adhibere. Litteras Apostolicas Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Pp. VIII. in forma brevis, sub annulo Piscatoris noveritis ea qua decuit reverentia nos recepisse tenoris subsequentis: Urbanus Pp. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit Ven. Fr. Joannes Patriarcha Venetiarum, quod olim a centum annis, & ultra bon. mem. Antonius Contarenus Patriarcha dum vixit Venetiis. Unam sub Sanctiss. Corporis Christi, & aliam sub S Crucis invocationibus Capellas in Ecclesia Venetiarum fundavit easque ornavit, & dotavit factis etiam pro felici earum gubernio nonnullis ordinationibus, ac testamentariis dispositionibus & presertim quod Capelle hujusmodi immutari vel alterari sub pena revolutionis bonorum eis assignatorum ad alias duas Capellas per eum similiter in quibusdam domorum Regularium Ecclesiis fundatas nullatenus possent. Paucis vero ab hinc annis dictus Joannes Patriarcha Ecclesiam Venetiarum predictam que ut asserit ob illius vetustatem ruinam minabatur a fundamentis restauravit, in eaque duas Capellas antiquis tamen ultra duas tertias partes Majores construi fecit; Unde ea de causa Capellam in qua ut asseritur Corpus B. Laurentii Justiniani primi Venetiarum Patriarche asservabatur evertere necesse fuit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dilectus filius Georgius Justinianus No-

Nobilis Venetus ex eadem dicti B. Laurentii stirpe descendens alteram ex duabus capellis noviter ut supra constructis, in qua Corpus ipsius B. Laurentii collocandum est, si sibi concedatur decenter ornare cupiat proinde D. Joannes Patriarcha alteram ex Capellis hujusmodi eidem Georgio, ad effectum premissum concedere desideret, & aliam Capellam loco illius Sancte Crucis hujusmodi positis etiam gentilitiis familie Contarenorum insignibus, prout in alia ut supra destructa collocata erant assignare paratus sit, nobis propterea dictus Joannes Patriarcha asserens predictum Antonium Patriarcham si modo superstes esset premissis assensum facile prestiturum, humiliter supplicari fecit quatenus desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Joannem Patriarcham, & Georgium predictos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris & penis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati fundationis duarum Capellarum predictarum ad hoc, ut dictus Joannes Patriarcha alteram ex duabus Capellis, ut premittitur constructis eidem Georgio, ad effectum premissum, assignata tamen loco illius S. Crucis alia Capella cum insignibus predictis, concedere, & assignare libere & licite valeat auctoritate Apostolica tenore presentium derogamus. Non obstante voluntate dicti Antonii Patriarche, quam in ea quoad premissa sufficienter commutamus, aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 21. Augusti 1628. Pontificatus Nostri Anno Sexto. M. A. Moraldus: Unde Nos Joannes Patriarcha Executor Apostolicus antedictus volentes, ad executionem antedictarum litterarum Apostolicarum devenire, auctoritate Apostolica nobis concessa, & qua fungimur in hac parte eidem Illustriss. & Excellentiss. D. Georgio Justiniano Equiti ex eadem dicti B. Laurentii Justiniani nobilissima stirpe descendenti alteram ex duabus Capellis per nos, ut supra noviter constructis, videlicet Sanctiss. Crucis, ad effectum in ea Corpus dicti B. Laurentii Justiniani collocandi, quam Capellam dictus Illustriss. & Excellentissimus D. Georgius Eques decenter ornare cupit, prout sibi melius placuerit concedendam, & assignandam esse duximus, prout tenore presentium stante quod occasione demolitionis Capelle predicte B. Laurentii Justiniani Altaris, & Arche in ea sitarum promisimus ut tenemur Capellam, Altare, & Arcam predictas nec non sepulturam ejusdem familie statim restituere, & reedificare concedimus, & assignamus, & successive loco illius S. Crucis aliam Capellam in eadem Ecclesia positis tamen in ea gentilitiis nobilissime familie Contarenorum insignibus, prout in alia ut supra constructa collocata erant assignamus, & in omnibus, ac per omnia juxta predictarum litterarum Apostolicarum formam tenorem, & continentiam. Non obstantibus omnibus iis, que predictus Sanctiss. D. Papa in predictis suis litteris voluit non obstare. In quorum &c.

Datum &c.

Clemens VII. Hieronymo electo Patriarchæ indulget, ut de redditibus sui Patriarchatus, ad duos annos etiam, si obierit, disponere valeat.

T 2 1525. 10. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

CLemens Pp. VII. dilecte filii Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum nuper Ecclesie Venetiarum tunc per obitum bon. mem. Antonii Contareni olim Patriarche Venetiarum extra Romanam Curiam defuncti pastoris solatio destitute, de persona tua nobis & Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorumdem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum preficiendo te illi in Patriarcham & Pastorem. Et sicut nobis nuper exponi fecisti, pro expeditione litterarum Apostolicarum super provisione & prefectione predictis conficiendarum, & solutione jurium Camere Apostolice propterea debitorum nonnulle sint necessarie expense, & pro illis & aliis tibi incumbentibus omnibus perferendis facultates tue in presentiarum minus suppetant. Nos ne propterea eadem expeditio plus debito differatur, volentes tuis commodis paterne consulere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati; Tibi, ut fructus, redditus, & proventus mense Patriarchalis Venetiarum aliquibus personis Clericis, vel laicis, cum quibus tuam & ipsius mense conditionem efficere poteris meliorem, ad biennium dumtaxat, a die arrendationis desuper faciende computandum, pro pretio, de quo tibi & eisdem personis videbitur arrendare, & precium hujusmodi unico contextu, & anticipata solutione in pecunia numerata recipere, ac de receptis, & habitis solventes quietare libere & licite valeas, ipsisque personis, ut fructus hujusmodi pro dicto biennio percipere & levare, ac in suos usus & utilitatem convertere licite possint, plenam & liberam auctoritate Apostolica tenore presentium auctoritatem concedimus, & pariter indulgemus. Decernentes nichilominus, quod si contingat te biennio hujusmodi durante decedere, aut regimini & administrationi dicte Ecclesie cedere, vel alias illi preesse desineres; nichilominus fructus hujusmodi sint, & remaneant eisdem personis, que dictum arrendamentum persolverint predicto biennio obligati; tuique successores in Ecclesia hujusmodi ad observationem ipsius arrendationis pro dicto biennio teneantur, & astricti sint, ac si ad id se personaliter obligassent. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicte Ecclesie juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscat. die x. Februarii MDXXV. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Be. El. Ravenn.

A tergo | Dilecto filio Hieronimo Quirino Electo Venetiarum.

Cle-

Clemens VII. jurapatronatus Parochianorum pro electione Plebanorum confirmat, & Constitutiones super electionibus Titulatorum instituit.

V 2 1526. 7. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad Sacram Beati Petri Sedem meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, curis angimur assiduis, & continua meditatione pulsamur, ut ad ea, per que majestas altissimi ubique collaudetur; cultusque sui gloriosi nominis cum devotione conservetur, & amplietur, & ministri idonei ad hoc deputentur, solicite intendamus, ac illa, que propterea etiam Apostolica auctoritate gesta comperimus, ut firmiora persistant cum a nobis petitur, Apostolici muniminis presidio solidamus; & alia pro eorum observatione providemus, prout Ducum, & aliarum nobilium personarum, eidem sedi devotarum, ad hoc tendentia vota exposcunt; & id in Domino conspicimus salubriter expedire sane pro parte dilectorum filiorum Nobilis Viri Andree Gritti Ducis, & Dominii Venetorum nobis nuper exhibita petitio continebat, dudum felicis recordationis Leoni Pape decimo predecessori nostro pro parte tunc Ducis, & eorumdem Dominii Venetorum exposito; quod licet in Civitate Venetiarum ad Parochiales Ecclesias Plebanias, seu Plebanatus nuncupatas, pro tempore vacantes, persone morum honestate, & prudentia predicte, ac vite exemplaritate graves, & probate per ipsarum Ecclesiarum, seu Plebanatuum Parochianos, certo loco ad id deputato, specialiter vocatos, & congregatos, & precedentibus legitimis tractatibus nominari, & presentari consuevissent: tamen nonnulli potius sensui, quam rationi servientes, non attendentes, quod in Plebanos, seu rectores Ecclesiarum hujusmodi eligebantur persone a Parochianis cognite, fide, & integritate probate, que miserabilibus personis infra limites Parochiarum illarum existentibus eleemosinas, a Parochianis collectas, singulis annis distribuebant; antiquum morem hujusmodi omittebant, & consensum a Parochianis a certo tempore citra contra antiquum morem predictum ut plurimum per cedulas a singulis singulariter suscipere, & extorquere nitebantur: quod si permitteretur diutius in dictis Ecclesiis divinus cultus diminueretur, devotio tepesceret, & languesceret, ac eleemosine hujusmodi personis indigentibus, ut fieri solitum erat, fortasse non distribuerentur: prefatus predecessor, tunc Ducis, & Dominii predictorum supplicationibus in ea parte inclinatus, supradictum antiquum & laudabilem modum ac morem approbans, suis in forma brevis litteris statuit, & ordinavit. Quod ex tunc perpetuis futuris temporibus, occurrente Ecclesiarum, seu Plebaniarum jurispatronatus hujusmodi vacatione, Parochiani illarum consensum prestare non possent; nisi dum, & quando in solito loco, precedente vocatione illorum, qui presentationi hujusmodi interesse deberent, ac debitis tractatibus, congregati forent. Inhibens omnibus patronis predictis, sub excommunicationis late sententie pena, ne alicui consensum extra locum solitum, & non nisi vocatis omnibus, & adunatis, prestare presumerent: ac decernens irritum & inane quicquid super hoc a quoquam attentari contingeret, prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat; in dicta Civitate, seu illius collegiatis; ac hujusmodi Paro-

rochialibus Ecclesiis sint diversa beneficia Ecclesiastica Presbyteralia, Diaconalia, & Subdiaconalia nuncupata; ad electionem capitulorum, & collegiorum earumdem Ecclesiarum, & confirmationem pro tempore existentis Patriarche Venetiarum spectantia, & ad illa dum pro tempore vacant, tam juxta constitutiones Patriarchales Venetiarum, quam etiam per bone memorie Laurentium Justinianum, & Andream Bondimerium desuper editas, & per alios Patriarchas Venetiarum reformatas, & a tunc Procuratoribus Cleri Venetiarum approbatas, & confirmatas, nec non de consuetudine hactenus, ut plurimum observatas; persone idonee, de gremio ipsarum Ecclesiarum, si vita, moribus, & etate idonee reperiantur: alias de quibuscunque aliis Ecclesiis Civitatis Venetiarum, gradatim, videlicet Diaconus ad presbyteratum; & subdiaconus ad Diaconatum, nuncupata beneficia hujusmodi per tunc capitula, & collegia predicta eligi soleant; & sepius contingat, ut beneficia ipsa licet fructus illorum tenues sint, a personis minus idoneis, que neque vellint, neque possint eisdem Ecclesiis in divinis deservire, contra constitutiones Patriarchales hujusmodi a Sede Apostolica impetrentur; ex quo Divinus cultus, qui observatione earumdem constitutionum in dictis Ecclesiis observabatur, & per deservientes illis sub spe retributionis ad Dei laudem, & Christifidelium devotionem augetur, detrimentum seu diminutionem sustinere dinoscitur. Et cause propter quas statutum, inhibitio & littere predecessoris hujusmodi pro Ecclesiis Civitatis Venetiarum hujusmodi emanarunt, & dicte constitutiones Patriarchales edite fuerunt etiam in Murano, & Majurbio, ac Torcello, & Burano Torcellan. ac Methamauco Clug. Diecesum Opidis, seu locis, & dicte Civitati circumvicinis, & temporali ditioni Ducis, & Dominii predictorum subjectis, subsistant, & in illis etiam servari debeant; maxime cum in illis nonnulli minus idonei ad Ecclesias Parochiales earumdem, & beneficia in illis consistentia ad electionem Capitulorum, seu collegiorum, ac confirmationem ordinarii loci pertinentia exquisita, & in directa via eligi procurent: pro parte Andree Ducis, & Dominii predictorum nobis fuit humiliter supplicatum; ut, ne in prefatis Ecclesiis adeo frequens divinorum celebratio diminuatur & devotio tepescat; sed potius pauperum Clericorum in eis servientium circa divina exercenda solicitudo, ac bonus affectus crescat: statuto, ordinationi, inhibitioni, & decreto hujusmodi nostre approbationis robur adiicere; ac alia in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus, & devotionis fidelium conservationem, & augmentum nostris presertim temporibus supremis, ac sinceris exoptamus affectibus, tenore dictarum litterarum, & constitutionum Patriarchalium presentibus pro sufficienter expressis haberi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statutum, ordinationem, inhibitionem, ac decretum, & litteras Leonis predecessoris, nec non singulas constitutiones Patriarchales predictas ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetue firmitatis robur adiicimus, & illa firmiter observari debere decernimus. Nec non ad singula de Murano, Majurbio, Torcello, Burano, & Mathemauco loca, & illorum Ecclesias, ac singula in illis consistentia beneficia predicta; ita ut de cetero perpetuis futuris temporibus occurrente Ecclesiarum locorum eorumdem, & beneficiorum in illis consistentium predictorum vacatione. Parochiani earumdem Ecclesiarum patroni consensum, nisi dum, & quando in loco solito precedentibus vocatione illorum, qui presentationi hujusmodi interesse debent, ac debitis tractatibus congregati fuerint, juxta tenorem litterarum ipsarum prestare non possint: & extra locum solitum, ac non sic vocatis, & adunatis, consensum prestare presumentes excommunicationis late sententie penam in-

incurrant; nullique ad beneficia, in eisdem Ecclesiis consistentia; nisi juxta Patriarchales constitutiones predictas idonei, de gremio earumdem Ecclesiarum, si vita moribus, & etate idonei reperti fuerint, alias de quibuscunque Ecclesiis; gradatim, videlicet Diaconi, ad Presbyteratus, & Subdiaconi ad Diaconatus nuncupata beneficia hujusmodi per illorum capitula, seu collegia, aut alios ad quos pertinet eligi valeant: & quicquid secus attentari contigerit, irritum & inane existat auctoritate & tenore predictis extendimus & ampliamus; supplentes omnes & singulos juris, & facti defectus; si qui forsan in editione ipsarum constitutionum Patriarchalium intervenerint. Et nichilominus pro potiori cautela premissa omnia, & singula etiam pro Ecclesiis singulorum locorum predictorum, quod qui similiter de cetero perpetuis futuris temporibus occurrente vacatione beneficiorum in Ecclesiis Civitatis & singulorum locorum hujusmodi, capitula & collegia earumdem Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi vacare contigerit, ut prefertur ad electionem personarum, modo premisso; qualificaturum ad dicta beneficia sic vacantia, & gradatim juxta constitutiones predictas procedere; ac personas sic per eos electas Patriarche & loci ordinario pro tempore existenti, per eum, vel eos confirmandas, seu instituendas presentare debeant, & teneantur, & electiones ad ipsa forma juris, & constitutionum Patriarchalium non servata, vel de personis indignis, & non idoneis pro tempore facte, nullius roboris, vel momenti existant. Quodque si dictus Patriarcha pro tempore existens electionem alicujus, ad aliquod beneficiorum hujusmodi pro tempore electi, sub pretextu, quod in electione ipsa juris forma, ac constitutionum Synodalium Patriarchalium, observata non fuerit, vel quod persona electi indigna, & non idonea sit, confirmare, seu ipsum electum instituere recusaverit: ab hujusmodi confirmationis, vel institutionis recusatione: appellari possit, per illum, qui ab ipso Patriarcha, vel ejus predecessore examinatus, seu de ejus licentia ad Sacros ordines promotus fuerit; nisi aliquid post ordinum susceptionem commiserit, propter quod se indignum reddiderit. Et casu quo appellari possit, ut prefertur, causa ipsa appellationis in Civitate Venetiarum committi, & cognosci, & unice sententie, que vim trium sententiarum diffinitivarum conformium habere stari deberet. Et si contingat male appellatum declarari, ex tunc liceat electoribus ipsis de novo, pro alia vice duntaxat, ad aliam electionem procedere. Si vero Patriarcha, vel loci ordinarii predicti novam electionem predictam tanquam contra juris, & constitutionum predictarum formam, vel de indigno, & non idoneo scienter celebratam confirmare recusaverint, & ab hujusmodi recusatione iterum appellari, & per judicem appellationis hujusmodi male appellatum fuisse declarari: ex tunc sine ulteriori appellatione, liceat Patriarche ipsi de beneficiis hujusmodi pro ea vice duntaxat libere providere: Ac interim appellationibus hujusmodi pendentibus ipsi aut capitula, seu collegia predicta de beneficiis hujusmodi vacantibus nullatenus disponere, aut alias in causis hujusmodi aliquid innovare possint statuimus; districtius inhibentes sub excommunicationis late sententie pena omnibus & singulis capitula, & collegia hujusmodi facientibus & representantibus, ne ad lectionem alicujus, nisi in loco capitulari, & solito Ecclesiarum ipsarum constitutionum formam procedere quoquomodo presumant, nec ipse Patriarcha pro tempore, personas, sic pro tempore electas ad renuntiandum, seu cedendum prioribus suis titulis, seu beneficiis etiam sub similis excommunicationis late sententie pena per contrafacientes incurrenda, interpellare, seu cogere, aut eorum resignationes, seu cessiones admittere: sed beneficia ipsa per aliorum assecutionem vacare permittere, & de illis juxta constitutiones predictas disponere debeant. Irritum quoque & inane si secus super his a quoquam qua-

vis

vis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit decernentes. Quocirca Venerabili Fratri nostro Episcopo Paphen. & dilectis filiis S. Gregorii Venetiarum, ac S. Thome Burgundiorum Torcell. Diecesis Monasteriorum Abbatibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios presentes litteras, & in eis contenta quecunque, ubi, & quando opus fuerit, ac pro parte dicti Andree, & pro tempore existentis Ducis Venetorum, & Dominii predictorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra presentes litteras, & in eis contenta hujusmodi, ac singulos, quos ipse presentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & penas Ecclesiasticas appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & penas ipsas iteratis vicibus aggravando: Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus premissis, ac Apostolicis, & nonnullis Patriarchalibus etiam de consensu Cleri, ac Synodalibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis constitutionibus, & ordinationibus; nec non quibusvis specialibus, vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis perpetuis, & temporalibus unionibus, suppressionibus, absque consensu coadjutorum, deputationibus, nominationibus citra accessus, & regressus facultatibus, mandatis, privilegiis, concessionibus, collationibus, provisionibus, & aliis dispositionibus, litteris, & indultis, etiam quibusvis personis cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fungentibus, ac nostris, & pro tempore existentis Roman. Pontificis etiam antiquis, & pro tempore descriptis familiaribus continuis commensalibus, etiam regum, & aliorum principum contemplatione, vel intuitu; seu in eorum, aut Ecclesiarum, vel piorum locorum, aut etiam in nullius favorem, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolice potestatis plenitudine, ex quibusvis causis, ac cum quibusvis suspensionibus, restitutionibus, declarationibus, & aliis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac efficacibus, & insolitis clausulis; irritantibusque etiam, vim contractus inducentibus decretis per nos, & sedem predictam in genere, vel in specie concessis & factis, ac in posterum concedendis & faciendis; quas & que, eorumque omnium vim, & effectum, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica individua, & expressa mentio habenda foret, illorum tenores hujusmodi, ac formas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes quoad premissa, omnino suspendimus, & in dictis beneficiis effectum sortiri, aut locum sibi vendicare, vel etiam ad illa se extendere, aut illorum pretextu jus aliquod ad beneficia ipsa acquiri, nec ad illa in aliquo suffragari posse, & sic per quoscunque judices quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari debere: ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus: contrariis quibuscunque aut si aliquibus communiter, vel divisim a dicta sit sede indultum, que interdici suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, que ad Ecclesias, & beneficia predicta pro tempore, ut preferetur, electi, si illa dispositioni Apostolice generaliter servata fuerint, infra tres menses, a die factarum electionum hujusmodi computandos, novam provisionem illorum a se-

sede predicta impetrare; & litteras desuper in totum expedire, ac jura Camere Apostolice propterea debite persolvere omnino teneantur. Alioquin dictis tribus mensibus elapsis, beneficia ipsa vacare censeantur eo ipso. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum approbationis, confirmationis, decreti, adjectionis decreti, extensionis, ampliationis, suppletionis, mandati, suspensionis, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo vigesimo sexto, septimo idus Februarii Pontificatus Nostri Anno tertio.

Clemens VII. Plebanis & Presbyteris Venetiarum indulget, ut Missas in domibus Privatorum facultatem habentium libere, & licite celebrare valeant.

X 2 1529. 11. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

Clemens Pp. VII. Dilecti filii Salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper nobis exponi fecistis; quod licet quamplurimi nobiles & graduati Veneti, inter alia indulta Apostolica eis concessa, missas in eorum domibus cum Altari portatili, & debitis honore, & reverentia per quemcunque Sacerdotem per ipsos eligendum celebrari faciendi licentiam, & facultatem ab Apostolica sede obtinuerint; nichilominus Vener. Frater Patriarcha Venetiarum omnibus, & singulis Presbyteris secularibus dicte Civitatis Venetiarum, sub excommunicationis, & forsan aliis penis, ne missas hujusmodi, etiam quod ab habentibus facultatem & licentiam Apostolicam hujusmodi eligantur, celebrare audeant, expresse mandavit; ex quo succedit, quod facultatem hujusmodi habentes, non valentes Sacerdotes seculares habere, alios religiosos, & regulares, qui missas predictas juxta tenorem facultatum hujusmodi celebrent recipere coguntur, in dedecus, damnum, & devotionis Sacerdotum Secularium diminutionem. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis & vestrum cuilibet, ut quotiescunque ab habentibus facultatem hujusmodi in casu infirmitatis, & necessitatis requisiti, & vocati eritis & in Ecclesiis, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis per vos in dicta Civitate Venetiarum pro tempore obtentis missas celebrare non tenebimini, missas in domibus privatorum facultatem hujusmodi habentium libere, & licite celebrare valeatis, Apostolica auctoritate tenore presentium, licentiam, & facultatem concedimus, & elargimur. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Patriarche Aquilejensi, & Episcopo Paphensi Venetiis commorantibus per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, sive alios vobis, & vestrum cuilibet in premissis efficacis deffensionis presidio assistentes, faciant vos, & vestrum quemlibet auctoritate nostra, licentia, & facultate predictis frui, & gaudere: non permittentes vos desuper quomodolibet molestari, prefatum Patriarcham non parentem, per censuras Ec-

Ecclesiasticas, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, compescendo. Non obstantibus quibusvis preceptis, mandatis, & monitoriis per Patriarcham hujusmodi, & ejus officiales factis, & faciendis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Bononie sub annullo Piscatoris die 11. Decembris 1529. Pontificatus Nostri Anno VII.

Evangelista.

A tergo [Dilectis filiis Plebanis & Presbyteris Venetiarum.

Clemens VII. controversias inter Hieronymum Quirinum Patriarcham & Clerum Venetiarum exortas dirimit, ipsumque Patriarcham ad viam mansuetudinis tenendam hortatur.

Y 2 1531. 8. Januarii.

Ex Archivo Patriarchali.

CLEMENS PAPA VII.

VEnerabilis Frater Salutem & Apostolicam Benedictionem. Postquam per alias nostras in forma brevis litteras mandaveramus; ut contra omnes, & singulos tue jurisdictioni subjectos, qui contra Ecclesiasticam libertatem aliquid per se, vel alium, seu alios tractassent, procurassent, aut commisissent, etiam summarie procederes; & illos debitis penis corrigeres, & emendares; contradictores quoslibet cujuscunque conditionis, & gradus forent, per censuras Ecclesiasticas compescendo: eidem fraternitati tue etiam vive vocis oraculo, ut illos, qui talia fecissent, seu fieri procurassent, absolvere posses, concessimus: Cumque ad supplicationem dilectorum filiorum Nobilis viri Ducis, & Dominii Venetorum littere ad perpetuam rei memoriam a nobis emanaverint; per quas omnes differentie, que super electionibus, & presentationibus ad beneficia Ecclesiast. Ecclesiar. istius Civitatis pro tempore vacantia, & institutionibus, seu confirmationibus electionum hujusmodi per fraternitatem tuam faciendis inter eam, & Clerum tuum Venet. exorte erant, & propter quas premissa successerant, sint penitus sublate, ac duo Plebani d. Civitatis premissorum occasione Bononie coram locumtenente auditoris Camere instante Procuratore nostro fiscali; arrestati, inquisiti, tanquam innocentes ab eodem locumtenente absoluti fuerint. Ex his igitur, & aliis rationabilibus causis, quas fraternitas tua sua solita prudentia considerare potest, hoc calamitoso tempore expedire judicamus; ut pro tua, & istius Civitatis quiete potius viam misericordie, quam severitatis eligere velit. Ea propter fraternitati tue in virtute sancte obedientie injungendum duximus, ut ab executione priorum litterarum brevis hujusmodi abstineat.

Datum Rome apud S. Petrum sub annullo Piscatoris die 8. Januarii 1531. Pontificatus nostri anno VIII.

Clemens VII. Apostolicas litteras super electionibus Plebanorum, & Titulatorum confirmat, atque alia indulta super eadem materia concedit, quorum executionem Hieronymo Barbadico Primocerio S. Marci committit.

Z 2 1532. 30. Maii.

Ex Archivo Patriarchali.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt Dilecti filii Nobilis Vir Andreas Gritti Dux, & Dominium Venetorum; quod licet alias postquam fel. rec. Leo Papa X. predecessor noster ex certis causis, tunc expressis, per quasdam suas in forma brevis statuerat, & ordinaverat: quod ex tunc perpetuis futuris temporibus Parochialium Ecclesiarum, Plebaniarum seu Plebanatuum nuncupatarum, Venetiarum occurrente vacatione Parochiani illarum, qui earum patroni existunt, consensum suum electioni futurorum rectorum earundem prestare non possent, nisi dum, & quando in solito loco, precedente vocatione illorum, qui presentationi hujusmodi interesse deberent, ac debitis tractatibus congregati forent; nec non omnibus patronis predictis, sub excommunicationis late sententie pena, ne alicui consensum, extra locum solitum, & nisi vocatis omnibus, & adunatis prestare presumerent districtius inhibuerat; Irritum quoque decreverat, & inane quicquid secus super iis a quoquam contigeret attemptari. Pro parte Ducis, & Dominii eorundem nobis exposito, quod in Civitate, seu illius Collegiatis, ac hujusmodi Parochialibus Ecclesiis diversa beneficia Ecclesiastica Presbyteralia, Diaconalia, & Subdiaconalia nuncupata, ad electionem dilectorum filiorum Capitulorum, & Collegiorum earumdem Ecclesiarum, & confirmationem pro tempore existentis Patriarche Venet. spect. & ad illa dum pro tempore vacabant, tam juxta constitutiones Patriarchales Venetiarum, quam etiam per bon. mem. Laurentium Justinianum, & Andream Bondimerium desuper editas, & per alios Patriarche Venet. reformatas, & a tunc procuratoribus Cleri Venet. approbatas, & confirmatas, necnon de consuetudine eatenus, ut plurimum observatas persone idonee de gremio ipsarum Ecclesiarum, si vita, moribus, & etate idonee reperiebantur, alias de quibuscumque aliis Ecclesiis ejusdem Civitatis gradatim, videlicet Diaconus ad Presbyteratus, & Subdiaconus ad Diaconatus nuncupata beneficia hujusmodi per tunc capitula, & collegia predicta eligi consueverant: & sepius contingebat beneficia ipsa, licet eorum fructus tenues forent a personis minus idoneis, qui neque volebant, neque poterant eisdem Ecclesiis in divinis deservire contra constitutiones Patriarchales hujusmodi a Sede Apostolica impetrari; ex quo divinus cultus, qui earumdem constitutionum medio in dictis Ecclesiis observabatur, & per deservientes illis, sub spe retributionis ad Dei laudem, & Christifidelium devotionem augebatur, detrimentum, seu diminutionem sustinebat, ac cause propter quas, statutum, inhibitio, & littere predecessoris hujusmodi pro Ecclesiis dicte Civitatis emanaverant, & constitutiones Patriarchales hujusmodi edite fuerant, & in Murano, & Majurbio, ac Torcello, nec non Burano, & Mathemauco Torcellan. & Clugen. Diecesum opidis, seu locis dicte Civitati circumvicinis, & temporali ditioni Ducis & Dominii predictorum subjectis subsistebant, & in illis etiam observari debebant; eo maxime, quod in illis nonnulli minus idonei ad Ecclesias Parochiales eorumdem locorum, & beneficiorum in illis consisten. ad electionem Capitulorum, seu collegiorum, ac confirmationem ordinarii loci pertinen-

ex-

exquisita, & indirecta via eligi procurabant: Nos ipsorum Ducis, & Dominii supplicationibus inclinati; statutum, ordinationem, inhibitionem, & decretum, ac litteras Leonis predecessoris, nec non singulas constitutiones. Patriarchales predicta ex certa scientia per alias nostras litteras, sub plumbo expeditas approbaverimus, & confirmaverimus; ac illis perpetue firmitatis robur adjecerimus; & illa firmiter observari debere decreverimus: Nec non ad singula de Murano, Majurbio, Torcello, Burano, & Mathemauco loca, & illorum Ecclesias, ac singula in illis consisten. beneficia predicta, ita ut ex tunc perpetuis futuris temporibus Ecclesiarum locorum, & benefitiorum in illis consisten. predictorum vacatione occurrente, Parochiani earumdem Ecclesiarum patroni consensum nisi dum, & quando in loco solito precedentibus vocatione illorum quis presentationi hujusmodi interesse deberent, ac debitis tractatibus congregati forent juxta tenorem litterarum earumdem extra locum solitum prestare non possent; ac non sic vocatis & adunatis consensum prestare presumentes excommunicationis late sententie penam incurrerent, nullique ad benefitia in eisdem Ecclesiis consisten. nisi juxta Patriarchales constitutiones predictas de gremio earumdem Ecclesiarum, si vita moribus, & etate idonei reperti forent, alias de quibuscumque Ecclesiis, gradatim, videl. Diaconi ad Presbyteratus, & Subdiaconi ad Diaconatus nuncupata beneficia hujusmodi per illorum capitula, seu collegia, aut alios ad quos pertineret eligi valerent; & quicquid secus attentari contigeret irritum & inane existeret, extenderimus, & ampliaverimus, supplentes omnes & singulos juris & facti defectus, si qui forsan in editione ipsarum constitutionum Patriarchalium intervenerant. Et nichilominus pro potiori cautela premissa omnia & singula etiam pro Ecclesiis singulorum locorum predictorum, quodque similiter ex tunc perpetuis futuris temporibus beneficiorum in Ecclesiis Civitatis, & singulorum locorum hujusmodi vacatione occurrente, capitula & collegia earumdem Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi vacare contingeret, ut prefertur, ad electionem personarum modo premisso qualificatarum, ad dicta benefitia sic vacantia gradatim juxta constitutiones predictas procedere, ac personas sic per eos electas, Patriarche & loci ordinario pro tempore existenti per eum confirmandas, seu instituendas presentare deberent: & electiones, ipsa forma juris, & constitutionum Patriarchalium non servata, vel de personis indignis, & non idoneis pro tempore facte nullius roboris vel momenti existerent. Quodque si dictus Patriarcha electionem alicujus, ad aliquod benefitium hujusmodi pro tempore electi, eo pretextu, quod in ipsa electione juris, ac constitutionum Synodalium, & Patriarchalium forma observata, vel persona electi digna & idonea non existeret, confirmare, seu ipsum electum instituere recusaret; ab ipsa confirmationis, & institutionis recusatione appellari posset per illum, qui ab ipso Patriarcha, vel ejus predecessore examinatus, seu de ejus licentia ad sacros ordines promotus foret, nisi post ordinum eorumdem susceptionem aliquid commisisset, propter quod se indignum reddidisset, & casu quo appellari posset, ut prefertur, causa ipsa appellationis in Civitate Venet. committi, & cognosci, ac unice sententie, que vim trium sententiarum diffinitavarum conformium haberet stari deberet: & si contingeret male appellatum declarari, ex tunc electores ipsi de novo pro alia vice duntaxat, ad aliam electionem procedere possent; Si vero Patriarcha, vel loci ordinarii predicti novam electionem predictam, tanquam contra juris & constitutionum predictarum formam, vel de digno, & non idoneo, scienter celebratam, confirmare recusarent, & ab hujusmodi recusatione iterum appellari, ac per judicem appellationis hujusmodi male appellatum fuisse declarari contingeret; ex tunc sine ul .riori appellatione eidem Patriarche de beneficiis hujusmodi pro ea vice dumtaxat libere providere liceret; ac appellationibus hu-

jus-

usmodi pendere ipse, aut capitula seu collegia predicta de beneficiis hujusmodi vacan. nullatenus disponere, aut alias in causis hujusmodi aliquid innovare possent statuerimus, & ordinaverimus. Nec non omnibus & singulis capitula, & collegia hujusmodi facientibus, & representantibus ad electionem nisi in loco capitulari, & solito Ecclesiarum ipsarum, ac vocatis omnibus quorum interesset, juxta ipsarum constitutionum formam procedere quoquomodo presumerent, nec ipse Patriarcha personas sic pro tempore electas ad renuntiandum seu cedendum prioribus suis titulis, seu benefitiis, etiam sub simili excommunicationis late sententie pena per contrafacientes incurrenda, interpellare, seu cogere, aut eorum resignationes, seu cessiones admittere, sed beneficia ipsa per aliorum assecutionem vacare permittere, & de illis juxta constitutiones predictas disponere deberent inhibuerimus: Irritum quoque, & inane decreverimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari; prout in eisdem litteris plenius continetur. Nichilominus Venerabilis Frater Modernus Patriarcha Venetiarum collegiis, capitulis, & patronis prefatis licentiam eligendi personas ad beneficia, in dicta Civitate vacan. juxta dictarum constitutionum tenorem petentibus, licentiam ipsam concedere, & personas per eos electas, & sibi presentatas instituere, seu confirmare absque rationabili causa sepenumero recusat, seu plus debito differt, & prorogat. Nec non Plebibus, seu Plebanis earumdem Ecclesiarum, que inibi dignitates principales existunt, pro tempore vacantibus, personas Ecclesiarum earumdem quominus ad illas sic vacantes, personas sibi gratas, & acceptas, prout de antiqua, & approbata, hactenusque pacifice observata consuetudine introductum extitit, nominare possint, impedire nititur, nonnulli, & beneficia Ecclesiastica Presbyteralia, Diaconalia, & Subdiaconalia hujusmodi obtinentes, dum illis de Parochialibus Ecclesiis Plebibus nuncupatis in dicta Civitate providetur, seu etiam ad regimen Cathedralium Ecclesiarum assumuntur, eisdem suis prioribus beneficiis postmodum per seipsos deservire nolentes, & etiam si vellent, non valentes, beneficia predicta nichilominus etiam post ipsarum Parochialium, ac regiminis, & administrationis Cathedralium hujusmodi possessionem, vel quasi retinendo, ex quo consuetus ministrorum Ecclesiastic. numerus in eisdem Ecclesiis deficit: Ecclesie Divinis solitis obsequiis frustantur, & littere, nec non constitutiones predicte suo votivo effectu carent. Quare Andreas Dux, & Dominium prefatis nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur constitutiones Patriarchales, & litteras predictas inviolabiliter observari volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; quod de cetero singula beneficia predicta per assecutionem Parochialium Ecclesiar. Plebium nuncupatarum Civitatis predicte, nec non per assumptionem ad regimen, & administrationem Cathedralium Ecclesiarum, quamprimum promoti ad Parochiales ipsas, Parochiales Ecclesias acceptaverint, & assumpti ad regimen, & administrationem Cathedr. Ecclesiarum, hujusmodi, ipsi assumptioni consenserint: eo ipso vacare censeantur: & ex tunc ipsa collegia, & capitula ad illa pro tempore vacan. de gremio ipsarum gradatim vid. Diaconos, ad presbyteratum, & Subdiaconos ad Diaconatum si idonei fuerint; alioquin Subdiaconus, vel alius, qui inibi deserviat, & si idoneus inibi non reperiatur, ex alia quavis Ecclesia dicte Civitatis personas idoneas, etiam ad Presbyteratum eligere libere & licite valeant, eadem auctor. Apostolica tenore presentium statuimus & ordinamus districtius inhiben. eidem moderno, & pro tempore existenti Patriarche Venetiar., ne beneficia predicta, nisi precedentibus eorumdem collegiorum, & capitulorum electionibus, contra tenorem litterarum predictarum aliquibus conferre; aut eosdem Parochianos, ne personas sibi gratas ad Plebes, seu Plebanias hujusmodi, juxta consuetudinem hactenus circa hoc servatam, libere no-

nominare possint, impedire quoquomodo presumant districtius inhibemus, necnon quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus. Et nichilominus tibi per presentes committimus, & mandamus: quatenus si prefatus Patriarcha, aut in ejus absentia a dicta Civitate ejus in spiritualibus Vicarius generalis legitime requisitus, eisdem Collegiis, Capitulis & Parochianis, ac aliis ad quos pertinet licentiam eligendi personas idoneas ad Parochiales Ecclesias, & beneficia predicta pro tempore vacan. concedere; ac personas sibi per eos electas, dummodo idonee juxta constitutiones predictas, & presentes litteras qualificate fuerint instituere recusaverint; seu per viginti dies, a die ipsius requisitionis sibi facte, distulerit; nisi noster, & Apostolice Sedis Nuntius, aut Legatus in dicta Civitate, aut ejus pertinentiis fuerit, quo casu infrascripta per eos, & non per te fieri volumus, eisdem Collegiis, Capitulis, & patronis licentiam ipsam concedere, & personas per eos, ut prefertur, electas alias juxta predictarum, & presentium litterarum, ac constitutionum earumdem tenorem instituere, necnon appellationes a recusationibus, retardationibus, institutionum, denegationibus, rejectionibus, aut irritationibus ab ipso Patriarcha, aut ejus Vicario predicto pro tempore interjectas cognoscere, decidere, & fine debito terminare; ac quod decreveris firmiter observari mandare, ac omnia & singula in premissis, & circa ea necessaria alias juxta priorum litterarum predictarum tenorem exequi auctoritate nostra procures. Nos enim tibi in eventum predictum quoslibet contradictores, molestatores, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, ac penas etiam pecuniarias arbitrio tuo moderandas, & applicandas, ac alia opportuna juris remedia compescendi eisque sub eisdem censuris, & penis inhibendi, nec non legitimis super his habendis servatis processibus censuras ipsas quoties opus fuerit aggravandi, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, plenam, & liberam facultatem concedimus per presentes. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon omnibus illis, que in dictis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 30. Maii 1532. Pont. Nostri Anno IX.

A tergo] Dilecto filio Hieronymo Barbadico Primicerio Ecclesie S. Marci Ven.



Le-

Legatus Apostolicus decernit, ut in vacatione Acolitathus alicujus Ecclesiæ possit Capitulum eligere unum ex græmio ipsius Ecclesiæ, si fuerit idoneus, sin autem alium eligant etiam ex gremio alterius Ecclesiæ, in electione autem Subdiaconi Capitulum ad Acolithum eligendum minime teneatur.

A 3 1541. 29. Julii.

Ex Archivo Patriarchali.

GEorgius Andreasius Dei, & Apostolice Sedis gratia Episcopus Clusinus, & in toto Dominio Venetorum cum potestate Legati de Latere SS. D. N. Pape, & Sedis Apostolice Nuntius ad perpetuam rei memoriam. Inter graves sollicitudines, & curas, quibus pro legationis nostre officii debito assidue premimur, una est, ut circa Ecclesiarum collegiatarum, presertim Civitatis Venetiarum & loci Muriani unionem, & tranquillitatem continuo invigilemus; ut per conjunctionem membrorum capiti divisionem aliquam non patiantur: sed semotis obstaculis, per que unio inter gregem Christi enervatur, unanimiter in Vinea Domini laborent; & spe assensus per gradus titulorum allecti, divino cultui in dies magis invigilent; & ex hoc Ecclesie ipse majus in divinis suscipiant incrementum. Cupientes igitur, quantum cum Deo possumus, in premissis pro tante rei necessitate, & periculi magnitudine, ut tenemur, salubriter in posterum providere; hac nostra perpetuo valitura constitutione de totius Cleri Civitatis Venetiarum, & loci Muriani in Sancta Synodo in presentia nostra in Ecclesia S. Joannis a templo ejusdem Civitatis celebrata, assensu legationis nostre vigore & auctoritate nobis ab Apostolica Sede concessa, sancimus, statuimus, & ordinamus. Quod de cetero quotiescunque in aliqua dictarum hujus Civitatis, & loci Muriani prefati collegiatarum Ecclesiarum alicujus Accolitatus electio fienda immineat, per ipsarum capitula, qui actu tunc ipsis Ecclesiis deserviunt, deque illarum gremio existunt, si vita, moribus, etate, atque doctrina idonei reperti fuerint, semper fieri debeat: alioquin quemcunq. alium cuicunque alie Ecclesie dicte Civitatis actu deservientem, ut premittitur, idoneum ipsis capitulis eligere liceat. Et hoc idem tam in hujus Civitatis, & loci Muriani predicti collegiatis Ecclesiis in quibus adsunt; quam in quibus in preteritum fuerant, vel nunquam fuerunt, ac ad presens nulli adsunt Acolyti servetur: quatenus ipsis Ecclesiis dictos Acolytatus erectos conservare, seu in posterum erectioni Acolituum hujusmodi, dummodo in ea totius Capituli consensus, nemine discrepante, que ad hoc aliter cogi non intendimus, accedat, expressus consentire placuerit; dictamque electionem sic ut premittitur, factam, sicut in aliis electionibus moris est, Reverendiss. D. Patriarche Venetiarum confirmandam presentare debeant. Declarantes tamen, & eadem auctoritate statuentes, quod capitula dictarum Ecclesiarum in electionibus, ad Subdiaconalem titulum pro tempore fiendis, ad dictorum Accolitorum electionem tantummodo nullatenus arctentur: sed liberum, & licitum sit eisdem Capitulis, tam de ipsis Acolytis, quam de quibuscunque aliis de earundem Ecclesiarum gremio, ac in illis personaliter actu deservientium, electionem ad dictum Subdiaconalem titulum facere: nec propterea, quod de ipsis Acolytis non sit electio facta, infringi, vel aliquo modo impugnari possit. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his a quoquam nobis inferiore

te scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Reverendiss. in Christo Domino Dei gratia Episcopo Paphen. & Ecclesie S. Marci Venetiarum Primicerio per hec scripta mandamus; quatenus ipsi, aut alter eorum per se, vel alium, seu alios presentes nostras litteras, & in eis contenta quecunque, ubi & quando opus fuerit, ac pro parte Capitulorum, & aliorum prenominatorum, aut alicujus ipsorum, desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra predicta presentes litteras, & in eis contenta hujusmodi, ac singulos quod ipse presentes concernunt, illis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & penas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, ac legitimis, super his habendis, servatis processibus, censuras, & penas ipsas quoties opus fuerit iteratis vicibus aggravando: invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus premissis, ac Apostolicis, & Patriarchalibus nec non Synodalibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, constitutionibus, & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Venetiis in prefata Ecclesia S. Joannis a Templo Anno Incarnationis Dominice 1541. Quarto Kal. Augusti Pontificatus SS. D. Nostri Pauli Divina Providentia Pape Tertii Anno Septimo.

Ge. Episc. Clusinus Legatus.
Jo: Lambertus.

Paulus III. Legato Apostolico & Primicerio Venetiarum mandat, ut absente Patriarcha jura Parochialium Ecclesiarum contra quoscunque tueantur juxta tenorem litterarum Sixti IV. & Leonis X.

B 3 1542. 27. Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

PAulus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Patriarche Venetiarum & dilectis filiis moderno, & pro tempore in Civitate Venetiarum commoranti nostro, & Sedis Apostolice Nuntio, ac Primicerio Ecclesie S. Marci Venetiarum salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum fel. rec. Leo Papa X. predecessor noster, accepto per eum, quod postquam pie mem. Sixtus Papa IV. etiam predecessor noster ad ejus notitiam deducto, quod Plebani, ac Parochialium, & collegiatarum Ecclesiarum rectores alii, qui tam in Civitate Venetiarum, quam Diecesis Torcellane curam animarum exercentes, nullos, aut saltem exiguos annuos redditus preterquam ex quartis, & aliis portionibus Canonicis provenientes haberent, & solitis subsidiis defraudarentur; propter quod a Divino cultu, & animarum cura desistere cogerentur: tunc Patriarche Venetiarum, illius proprio nomine non expresso, quod privilegiis, & indultis, etiam mare magnum nuncupatis, religiosis presertim mendicantibus sub quacunque verborum forma per eum concessis, nequaquam obstantibus, antiquas consuetudines quoad funeralia, & Sacramentorum administrationem in Civitate, & Diecesibus predictis servari faceret; & nichil ultra consuetudines hujusmodi a quoquam innovari permitteret: per suas in forma brevis litteras inter alia mandaverat: idemque Leo predecessor, sacro tunc approbante La-

teranensi Concilio, novissime celebrato, ad conservandam pacem, & tranquillitatem status universalis Ecclesie super confessionibus, & absolutionibus Christifidelium, ac Eucharistie, aliorumque Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationibus, per quoscunque religiosos in prejudicium jurisdictionis Prelatorum secularium, ac rectorum Parochialium Ecclesiarum, aliorumque curatorum non audiendis, neque impendendis, decretum ediderat. Et quia nonnulli forsan mendicantium religiosi, quorumdam indultorum eis, ut dicebatur, a Sede Apostolica concessorum, pretextu, nedum Laicorum eisdem religiosis eorum peccata confiteri volentium illorum confessiones audire, eisque absolutionem impertiri, sed etiam missas in illorum domibus, absque illorum rectorum licentia celebrare, illisque tempore infirmitatum eorumdem Eucharistie, & forsan alia Sacramenta Ecclesiastica ministrare, ipsosque rectores, Plebanos, & curatos quartis, & aliis portionibus Canonicis predictis defraudare presumebant, ac litteras ipsius Sixti predecessoris transgredi non verebantur, in animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum ipsorumque rectorum Plebanorum, & curatorum prejudicium, ac Divini cultus diminutionem: & propterea attendentes, quod inter personas, presertim Ecclesiasticas contentionum, & discordiarum fomenta connivertibus oculis toleranda non erant, volensque jus suum unicuique illesum conservari: litteras ipsius Sixti predecessoris, ac omnia, & singula in illis contenta, indeque secuta quecunque rata, & grata habens motu suo proprio, & ex ejus certa scientia, non ad alicujus sibi super eo oblate petitionis instantiam, sed ex sua mera liberalitate sub data, videlicet x. Kal. Decembris Pontificatus sui anno nono, confirmaverat, approbaverat, & innovaverat: tuncque & pro tempore existenti Patriarche Venetiarum, ut litteras ipsas observari, & adimpleri faceret, mandaverat: ac recolende memorie Adrianus Papa VI. etiam predecessor noster, pro eo quod super decreto, commissione, & mandato ipsius Leonis predecessoris, illius superveniente obitu, littere expedite non fuerant; ne propterea rectores, Plebani, & curati prefati decreti, commissionis, & mandati predictorum frustrarentur effectu, eidem Patriarche quatenus litteras Sixti, & decretum commissionem, & mandatum Leonis predecessorum predictorum in Civitate, & Diecesibus predictis, solemniter publicando, illas, & illa, ac contenta in eis inviolabiliter, & inconcusse observari auctoritate Apostolica mandaret; nequicquam contra illarum tenorem, etiam pretextu cujusvis privilegii & indulti Apostolici, etiam pro fabrica Basilice Principis Apostolorum de urbe, aut alia sub quacunque verborum forma, ex quavis causa concessorum per dictos religiosos, seu quoscunque illorum ordinum, vel alios, cujusvis status, gradus, dignitatis, & conditionis existentes innovari permitteret; & quibusvis laicis ne eosdem religiosos, ad audiendum eorum confessiones, sibique Ecclesiastica Sacramenta ministrandum contra formam, & continentiam litterarum Sixti, & decreti Leonis predecessorum predictorum de cetero recipere presumerent, sub excommunicationis, & aliis penis tunc expressis, inhiberet; contradictores, & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo, invocato etiam ad id, si opus foret, auxilio brachii secularis; per suas etiam in forma brevis litteras dederat in mandatis; prout in singulis litteris predictis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum rectorum Plebanorum, & curatorum secularium Parochialium, etiam collegiatarum Ecclesiarum predictarum, in hac parte simul adherentium, petitio continebat; tu Frater Patriarcha propter tui absentiam vel impedimentum executioni litterarum earundem interesse multotiens nequeas, Civitasque Venetiarum Nuntio Apostolico aliquando careat; proptereaque nonnulli Religiosi, & forsan ordinis mendicantium a certo tempore citra ad domos Parochianorum

ipso-

ipsorum adherentium accedere, missasque inibi celebrare, ac in personas ipsorum Parochianorum infirmorum nonnulla spiritualia exercere, & quedam eis forsan exhibita etiam in eorum domibus & Ecclesiis benedicere, ac per Parochias ipsorum adherentium processionaliter ire, & alia ad dictos adherentes spectantia, absque ipsorum adherentium licentia facere ausi forsan sint, & audent, in eorumdem adherentium non modicum prejudicium, & jacturam: pro parte dictorum adherentium nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus; quatenus si de absentia, & impedimento predictis vobis constiterit, vos filii nuntie, & primicerie ad executionem dictarum litterarum juxta illarum continentiam & tenorem in omnibus, & per omnia procedatis, perinde ac si littere predicte vobis omnibus a principio directe fuissent. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo, aut unus vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Civitatis Castellan. Anno Incarnat. Dominice 1542. 3. Kal. Martii Pont. nostri anno nono.

Ja. Cordellas.

Paulus Pp. III. decernit, ut in Civitate Venetiarum nullus obtinere possit nisi unum benefitium.

C 3 1542. 19. Novembris.

Ex Archivo Patriarchali.

Dilecti filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod dudum fel. rec. Clementi Pape VII. predecessori nostro pro parte tunc Ducis, & Dominii Venet. inter alia exposito quod licet postquam pie mem. Leo Papa X. etiam predecessor noster, tunc suis ex certis, tunc expressis causis, per quasdam in forma brevis statuerat, & ordinaverat: quod ex tunc perpetuis temporibus Parochialium Ecclesiarum, Plebaniar., seu Plebanatuum nuncupatarum Venetiarum ococcurrente vacatione, illarum Parochiani, qui earum Patroni etiam tunc existebant, consensum suum electioni futurorum Rectorum earumdem prestare non possent, nisi dum, & quando in solito loco, precedente vocatione illorum, qui presentationi hujusmodi interesse deberent, ac debitis tractatibus congregati forent: nec non omnibus patronis predictis sub excommunicationis late sententie pena, ne alicui consensum extra locum solitum, & nisi vocatis omnibus, & adunatis, prestare presumerent, districtius inhibuerat decreto irritanti desuper adjecto eidem Clementi predecessori pro parte Ducis, & Dominii predictorum exposito, quod in Civitate Venet., seu illius Collegiatis, & hujusmodi Parochialibus Ecclesiis diversa beneficia Ecclesiast. Presbyteralia, Diaconalia, & Subdiaconalia nuncupata ad electionem dilectorum filiorum Capitulorum, & Collegiorum earumdem Ecclesiarum, & confirmationem pro tempore existentis Patriarche Venetiarum spectantia, existebant, & ad illa dum pro tempore vacabant, tam juxta constitutiones Patriarchales Venetiarum, quam etiam per bon. mem. Laurentium Justinianum, & Andream Bondimerium desuper editas, & per alios Patriarchas Venetiarum reformatas, & a tunc procuratoribus Cleri Venet. approbatas & confirmatas necnon de consuetudine hactenus, ut plurimum observatas, persone idonee de gremio ipsarum Ecclesiarum, si vita moribus, & etate idonee repe-

rlebantur, alias de quibuscunque aliis Ecclesiis ejusdem Civitatis gradatim, vid. Diaconus ad Presbyteratus, & Subdiaconus ad Diaconatus nuncupata beneficia hujusmodi per tunc capitula, & collegia predicta eligi consueverant: quodque cause, propter quas statutum inhibitio, & littere Leonis predecessoris hujusmodi pro Ecclesiis dicte Civitatis emanaverant, & constitutiones Patriarchales, hujusmodi edite fuerant etiam in Murano, & Majurbio, ac Torcello, nec non Burano, & Mathemauco Torcellane & Clugiensis Diecesis opidis, seu locis dicte Civitati circunvicinis, & temporali ditioni Ducis, & Dominii predictorum subjectis, subsistebant, & in illis etiam observari debebant: idem Clemens predecessor ipsorum Ducis, & Dominii supplicationibus inclinatus inter alia statutum ordinationem, inhibitionem, & decretum ac litteras Leonis predecessoris, nec non singulas constitutiones Patriarchales hujusmodi ex certa scientia, per quasdam sub plumbo expeditas, approbasset, & confirmasset, ac illis perpetue firmitatis robur adjecisset, & illa firmiter observari debere decrevisset nec non ad singula de Murano, Majurbio, Torcello, Burano, & Mathemauco loca, & illorum Ecclesias, ac singulas in illis consistentia beneficia prefata; ita ut ex tunc perpetuis futuris temporibus Ecclesiarum dictorum locorum, & beneficiorum in illis consistentium predictorum vacatione occurrente, Parochiani earundem Ecclesiarum patroni consensum extra locum solitum, & nisi dum, & quando in loco solito, precedente vocatione illorum, qui presentationi hujusmodi interesse deberent, ac debitis tractatibus congregati forent, juxta tenorem litterarum Leonis predecessoris hujusmodi, prestare non possent: ac non sic vocati, & adunati consensum prestare presumentes excommunicationis late sententie penam incurrerent: nullique ad beneficia, in eisdem Ecclesiis consistentia nisi juxta Patriarchales constitutiones predictas idonei, de gremio earumdem Ecclesiarum si vita moribus, & etate idonei reperti forent, alias de quibuscunque Ecclesiis gradatim, videl. Diaconi ad Presbyteratus, & Subdiaconi ad Diaconatus nuncupata beneficia hujusmodi per illorum Capitula, seu Collegia, aut alios, ad quos pertineret eligi valerent; & quicquid secus attemptari contingeret irritum, & inane existeret, extendisset, & ampliasset; supplevissetque omnes & singulos juris & facti defectus, si qui forsan in editione ipsarum constitutionum Patriarchalium intervenerant, & insuper premissa omnia & singula etiam pro Ecclesiis singulorum locorum predictorum: quodque similiter ex tunc perpetuis futuris temporibus beneficiorum in Ecclesiis Civitatis, & singulorum locorum hujusmodi vacatione occurrente, Capitula, & Collegia earundem Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi vacare contingeret, ut prefertur, ad electionem personarum, modo premisso, qualificatarum ad dicta beneficia sic vacantia gradatim juxta constitutiones predictas procedere, & personas sic per eos electas Patriarche, & loci ordinario, pro tempore existenti, per eum confirmandas, seu instituendas presentare deberent: & electiones ipse forma juris, & constitutionum Patriarchalium non servata, vel de personis indignis, & non idoneis pro tempore facte nullius roboris vel momenti existerent, statuisset, & ordinasset: necnon omnibus, & singulis, Capitula, & Collegia hujusmodi facientibus, & representantibus ne ad electionem alicujus, nisi in loco Capitulari, ac solito Ecclesiar. ipsarum, ac vocatis omnibus quorum interesset juxta ipsarum constitutionum formam procedere quoquo modo presumeret, inhibuisset; decreto irritanti etiam desuper adjecto. Nichilominus nonnulli beneficia Ecclesiastica Presbyteralia Diaconalia, & Subdiaconalia hujusmodi obtinentes, dum illis de Parochialibus Ecclesiis, Plebibus nuncupatis, in dicta Civitate providebatur, seu etiam ad regimen Cathedralium Ecclesiarum assumebantur, eisdem suis Prioribus beneficiis postmodum per seipsos deservire nolentes, & etiam si voluissent non valentes, beneficia predicta, etiam post ipsa-

ipsarum Parochialium, ac regimen, & administrationem Cathedral. hujusmodi possessione, vel quasi retinebant; ex quo consuetus ministrorum Ecclesiasticorum numerus in eisdem Ecclesiis deficiebat. Ecclesie solitis obsequiis divinis frustrabantur, & littere, necnon constitutiones predicte suo votivo effectu carebant: prefatus Clemens predecessor eorumdem Ducis, & Dominii supplicationibus inclinatus inter cetera, quod de cetero singula beneficia predicta per assecutionem Parochialium Ecclesiarum Plebium nuncupatarum Civitatis predicte; necnon per assumptionem ad regimen, & administrationem Cathedral. Ecclesiar., quamprimum promori, Parochiales Ecclesias acceptassent, & assumpti ad regimen, & administrationem Cathedral. Ecclesiarum hujusmodi ipsi assumptioni consensissent, eo ipso vacare censerentur: & ex tunc ipsa Collegia, & Capitula ad illa pro tempore vacantia de gremio ipsarum Ecclesiarum gradatim, vid. Diaconus ad Presbyteratus, & Subdiaconus ad Diaconatus, si idonei forent, alioquin Subdiaconum, vel alium, qui inibi deserviret: & si idoneus inibi non reperiretur ex alia quavis Ecclesia dicte Civitatis personas idoneas, etiam ad Presbyteratus eligere valerent, per alias suas etiam in forma brevis statuit & ordinavit; ac districtius inhibuit decreto irritanti similiter desuper adjecto, prout in singulis litteris predictis dicitur plenius contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in Civitate, & opidis, seu locis predictis sepius contingat, quod Clerici, Subdiaconi, aut Diaconi, vel Presbyteri in aliqua Ecclesiarum Civitatis, & opidorum seu locorum hujusmodi beneficiati ad alia beneficia Subdiaconalia, vel Diaconalia, aut Presbyteralia hujusmodi in aliis Ecclesiis eorumdem Civitatis, & opidorum, seu locorum, ut prefertur, eligantur, & in eis instituantur, ipsique sic electi, & instituti, tam prima per eos obtenta, quam alia ad que de novo electi, & in quibus instituti existunt, etiam post assecutam secundi beneficii pacificam possessionem, insimul retineant; & sic unus duo, & quandoque plura beneficia Subdiaconalia, vel Diaconalia, aut Presbyteralia hujusmodi in Ecclesiis Civitatis, & oppidorum, seu locorum predictorum obtineat; & propterea Divinus cultus, qui medio constitutionum predictarum in dictis Ecclesiis observabatur, & per illarum beneficiatos sub spe retributionis ad Dei laudem, & Christifidelium devotionem augebatur, diminuatur; & alias detrimentum patiatur, in maximum ipsarum Ecclesiar. prejudicium, & Parochianorum earum ad murmurationem, & scandalum: nobis humiliter supplicari fecistis, ut ad occurrendum indemnitati Ecclesiarum Civitatis, & opidorum, seu locorum hujusmodi, quod nullus in eisdem Ecclesiis ultra unum beneficium Subdiaconale, Diaconale, aut Presbyterale hujusmodi obtinere possit: & si contingat aliquem in una Ecclesiarum hujusmodi aliquo ex dictis beneficiis beneficiatum ad aliquod aliud simile vel dissimile Subdiaconalium, vel Diaconalium, aut Presbyteralium beneficiorum hujusmodi in quavis alia dictarum Ecclesiar. eligi, & electionem hujusmodi confirmari, seu ipsum sic beneficiatum in secundo beneficio hujusmodi institui; quod quevis alia per ipsum, sic institutum, in quibusvis aliis Ecclesiis Civitatis, & opidorum, seu locorum predictorum obtenta beneficia hujusmodi per assecutionem possessionis dicti beneficii, in quo postremo institutus fuerit, perinde, ac si beneficia hujusmodi alias de jure communi incompatibilia forent, vacent, & vacare censeantur; ac Capitula, seu Collegia Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi per assecutionem ipsam pro tempore vacantia, erunt ad electionem aliarum personarum idonearum, de ipsarum Ecclesiarum in quibus electio erit facienda, si haberi poteruut, alias de aliarum Ecclesiarum gremio, ad eadem beneficia sic vacantia, alias servata forma constitutionum Synodalium, & Patriarchalium, ac singularum litterarum predictarum procedere libere & licite valeant: perpetuo statuere, & ordinare; aliasque in premissis opportune providere de beni-

dignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes beneficia predicta in unaquaque Ecclesia Civitatis oppidorum, & locorum predictorum ideo instituta esse ut in singulis eisdem Ecclesiis in Altaris ministerio per tres Clericos vid. Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum ministretur; quodque substitutus pro alio deserviens mercenarius, & non pastor existat, ac cupientes singulis beneficiis hujusmodi per singulos beneficiatos deserviri, & exinde cultum divinum augeri hujusmodi supplicationibus inclinati: quod de cetero nullus in eisdem Ecclesiis ultra unum ex dictis beneficiis obtinere possit; & si contingat aliquem in una Ecclesiarum hujusmodi aliquo ex beneficiis predictis beneficiatum, ad aliquod aliud simile, vel dissimile beneficiorum prefactorum, in quavis alia Ecclesiarum hujusmodi eligi, & electionem hujusmodi confirmari, seu ipsum in beneficiatum in secundo beneficio hujusmodi institui: quod quevis alia per ipsum sic institutum in quibusvis aliis Ecclesiis Civitatis, & opidorum, seu locorum predictorum obtenta beneficia hujusmodi per assecutionem possessionis beneficii, in quo postremo institutus fuerit, perinde, ac si alias de jure communi incompatibilia existerent, vacent, & vacare censeantur: ac Capitula seu Collegia Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi per assecutionem ipsam, pro tempore vacantia, erunt, ad electionem aliarum personarum idonearum de ipsarum Ecclesiar. in quibus electio erit facienda, si haberi poterunt, alias de aliarum Ecclesiarum gremio, ad eadem beneficia sic vacantia; alias servata forma constitutionum Synodalium, & Patriarchalium, & singularum litterarum predictarum, procedere libere & licite valeant; auct. Apostolica tenore presentium perpetuo statuimus, & ordinamus, non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus; nec non omnibus illis, que singuli predecessores prefati in singulis eorum litteris voluerunt non obstare: ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 19. Novembris 1542. Pont. Nostri Anno IX.

Blos. El. Ful.

A tergo | Dilectis filiis Nobilibus viris Petro Lando Duci, & Dominio Venet.

Victor Puteolanus Vicarius Patriarchæ Venetiar. mandat exequtioni litteras Julii Pp. III. quibus concedit, ut absente Patriarcha possit ejus Vicarius judicare lites novem Congregationum Cleri Veneti.

D Z. 1551. 26. Augusti.

Ex Catastico Cleri Veneti.

IN Christi Nomine Amen. Cunctis pateat, & sit notum, qualiter Anno Nat. ejusdem millesimo quing. quinq. primo Indictione nona, die vero mercurii vigesimo sexto mensis Aug. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Julii Divina providentia Pp. III. Anno secundo. In mei Notarii publici testiumque infrascriptorum ad hec specialiter rogatorum presentia. Coram Rev. D. Victore Puteolano J. V. D. Ecclesie S. Bartholamei de Rial. perpetuo; necnon Reverendiss. in Christo Patris & D. D. Hieronymi Quirino Miseratione Divina Patriarche Venet. Dalmatieque Primatis Vicario in spiritualibus Generale, & ejusdem

dem absentis a Civitate & Dioc. Venet. Locumtenente, & in hac parte Judice Com. & Delegato Apostolico personaliter constituti Rev. D. Presb. Petrus de Spatariis S. Pauli, Marcus Bettega S. Leonis, & Gaspar Solio S. Fantini Ecclesiarum Venet. Plebani supramassarii, & Petrus Pianella Ecclesie S. Martialis Venet. Plebanus, & Baldasar Martini S. Moysis, & Philippus de Bossellis S. Joannis Chrisostomi Ecclesiarum Venetiar. Presbyteri titulati Syndici majores, & omnes Presidentes omnium Congregationum Rev. Cleri Venet. dictis nominibus exhibuerunt, & presentaverunt R. D. sue litteras Apostolicas presenti Sanctiss. D. N. Pp. in forma brevis cum supp. introclusa clausas, & annulo Pisc. more Rom. Curie obsignatas sanas quidem & integras, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, neque in aliqua sui parte suspectas; sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes, (prout p. facie apparebant) & debita cum instantia suprascriptis nominibus petierant, & requisiverant illas per R. D. Suam acceptari, admitti, aperiri, & exequi.

Qui Rev. D. Vicarius Locuntenens Judex que Commissarius, & Delegatus Apost. antedictus. Audita predicta instantia, & requisitione predictas litteras Apostolicas, ea qua decuit Reverentia acceptavit, & admisit, aperuit, & legit, & earum intellecto tenore tanquam obedientie filius obtulit se paratum, ad illarum debitam executionem. Mandans insuper illas cum introclusa supplicatione, ad perpetuam futurorum memoriam in actis Can. Patriar. Venetiar. fideliter registrari.

Acta fuerunt predicta omnia & singula Venetiis in Camera Cubiculari Domus habitationis supr. R. D. Vicarii, & Judicis posite prope Ecclesiam S. Bartholamei de Riv. Anno Indict. die Mense, & Pontificatu quibus supra. Presentibus Rev. & Ex. D. Camillo melle J. V. D. & Venerab. Viris D. Presbyteris Baptista Tenago Clerico Veneto, & Canonico Torcellano, & Bartholomeo Burgi Presb. titulato Ecclesie S. Panthaleonis Venet. testibus, ad premissa specialiter habitis & rogatis.

Tenor vero predictarum litter. Apostolicarum sequitur & est talis vid.

A Tergo | Dilecto filio Victori Puteolano Vicario, & Locumtenenti generali Venerab. Fr. Patriarche Venet. Intus vero in margine superiori.

JULIUS PAPA III.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem mittimus tibi supplic. presentibus introclusam manu dilecti filii Nostri H. Card. Veralli in presentia nostra signatam, volumusque, & tibi committimus, & mandamus, ut vocatis vocandis ad illius executionem procedat juxta ejus continentiam, & signaturam. Datum Rome apud S. Marcum, sub annullo Pisc. die 30. Julii 1551. Pontificat. Nostri Anno secundo.

Leo de Fano, & Jo: Mileti.

Tenor vero suprascripta introclusæ sequitur ut intus, vid.

Beatissime Pater. Cum in Civitate Venetiarum fuerint, & ad presens sint novem Congregationes, seu Collegia Clericorum Secularium; sub diversis titulis, & nuncupationibus, quarum singule habent suum Archipresb. in caput, & plures Clericos, ac Presbyteros in membra, inter quas Congregationes seu Coll. ortis alias antiquis temporibus nonnullis questionibus, & differentiis &c. Communes redditus illorumque, ac ipsarum Congregationum Regimen, & administrationem eo alias deventum fuit, ut Congregationes, & Colleg. predicta omnes & singulas questiones, ac differentias ipsas in bon. mem. Laurentium Justin. tunc

Epi-


Episcopum, & deinde Patr. Venet. remiſſerunt, & de eis ſe compromiſſerunt, qui in materia hujuſmodi arbitrio quaſdam Conſtitutiones, & ordinationes edidit, & inter ceteras voluit, arbitratus fuit, & ordinavit, quod ex dictis novem Congregationib. unum Collegium XXVII. Sacerdotum erigeretur, dictoque Collegio preficerentur ſex Preſidentes, qui pro majori parte eorum haberent facultatem judicandi omnes lites, & diferentias, que oriri poſſent inter ipſas Congregationes, & Confratres earum; & a ſententiis ipſorum Preſidentium, ad dictum Collegium appellaretur, & denique ab ipſius Collegii diffinitionibus ad Patriarcham, qui pro tempore fuerit app. devolveretur, a cujus ſententiis in preſentis ulterius nemini appellare liceret; que ordinationes cum nonnullis correctionibus, edditionibus, & confirmationibus formatis ab ipſo B. Laurentio, & aliis ſucceſſoribus ſuis electis arbitris ab ipſis Congregationibus, ab annis centum ultra inviolabiliter obſervate fuerunt. Verum pater ſancte, quia modernus Patriarcha jam per aliquot annos a dicta Civitate Venetiarum abſens eſt, & de ejus reddita ob ipſius impotentiam ignoratur. Et cum multe lites, & queſtiones fiant & continue oriantur, & in dies oriri poſſent inter ipſas Congregationes, & earum Confratres diverſis de cauſis, que juxta conſtitutiones predictas per ipſum Rever. Patriarcham, & per neminem alium terminari non poſſunt. Et propterea pendeant indeciſe in grave damnum & prejuditium ipſarum Congregationum, ac fratrum earumdem & Collegii predicti, & quia dubitatur utrum Vicarius in ſpiritualibus Generalis dicti Reveren. Patriarche poſſet in vim ſue generalis deputationis, ad cauſas audiendas, & decidendas anted. arbitrariam juriſditionem in hujuſmodi cauſis dictarum Congregationum exercere. Cum videatur ad hoc electa fuiſſe induſtria perſone. Supplicant igitur humiliter S. V. Preſidentes dicti Collegii nomine ipſarum omnium Congregationum, ac ipſorum fratrum quatenus. E. S. V. dignetur ad tollendum omne dubium, & pro faciliori diffinitione, & terminatione queſtionum, & litium que pro tempore inter Collegium Congregationes, & Confratres ipſarum ratione adminiſtrationum, & quarumcunque aliarum cauſarum paci, & tranquilitati ipſorum oratorum paterne conſulendo. Rev. D. Victori Puteolano Vicario, & Locumtenenti Generali Reverendiſs. D. moderni Patriarche Venet. committere & mandare, ut in abſentia ipſius Reverendiſs. D. Patriarche ſolum, & duntaxat in premiſſis omnibus, & ſingulis, procedat, judicet, diſiniat, fineq. debito terminet, & decidat ac omnia, & ſingula faciat exerceat mandet, & ordinet prout idem Rev. D. Patriarcha ſi preſens eſſet juxta tamen formam dictarum ordinationum facere poſſet ſi preſens, & perſonaliter intereſſet. Premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus antedictis, ac Apoſtolicis ſi que eſſent, ceteriſq in contrarium facientibus quibuſcunq. premiſſorum omnium formas, & tenores pro ſufficienter expreſſis habentes. Conceſſ. ut petitur in preſentia D. N. Pp. H. Car. Verallus, cum abſolutione a Cenſuris ad effectum, & per breve S. V. hac ſupp. introcluſa, vel extenſum prout magis oratoribus videbitur. Conceſs. H. Car. Verallus.

Dat. Rome apud S. Marcum quarto Kal. Auguſti Anno ſecundo.

Ego Dominicus Baldigara Venetus.

L. S. D. Theodori pub. Imperiali, & Veneta auctoritatibus Notarius, & Curie Patriarchalis Venet. Canc. Premiſſis preſentationi receptioni, aperitioni, lectioni, & admiſſioni ſupradictarum literarum & Commiſs. Apoſtolicarum cum oblatione ad debitam earum executionem, ut ſupra factis una cum teſtibus ſuprascriptis interſui dum ita agerentur, & de mandato ſupraſcripti Rever. D. Vicarii Patriarchalis, & Judicis & Commiſſarii Apoſtolici, & rogat. a ſupraſcriptis Rev. D. Preſidentib. Congregationum Reverendi Cleri Venet. premiſſa omnia, & ſingula ſcripſi, & publicavi dictaſque litteras Apoſtolicas, cum ſupplicatione introcluſa fideliter in actis, & interno Inſtrumentorum dicte Curie Pa-

Patriarchalis Venetiarum registravi, ad futurorum Memoriam, & ea omnia sic ut supra in presenti libro per Coad. michi fidum transcribi feci, & auscultavi, & quia ea concordare inveni in omnibus, cum suis originalibus autenticis, Ideo in fidem subscripsi, & proprio tabellionatus signo consueto signavi rogatus & requisitus.



Julius Papa III. committit Episcopo Ravellensi Legato Apostolico, ut cognita causa decernat circa magistros Clericorum per sexteria dispositos.

E 3 1553. 28. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

JULIUS PAPA III.

VEn. Frater Salutem & Apostolicam Benedictionem. Exponi nuper fecerunt dilecti filii Archidiaconus Capitulum, & Canonici Ecclesie Venetiar., quod alias postquam felicis record. Leo Papa X. predecessor noster, quod tunc Patriarcha Venetiarum, magistros, qui predicte & aliarum Ecclesiarum Civitatis Venet. Clericos, seu pueros gramaticam edocerent, unum vid. pro quolibet sexterio, qui in ipsa Civitate sex erant, deputasset, ac eisdem magistris de salario super redditibus fabricarum Ecclesiarum predictarum percipiendo, aut aliquo beneficio Eccl. in illis pro tempore vacante providisset, per suas in forma brevis litteras commisserat, & indulserat, & deinde succedente tempore experientia compertum fuerat, quod provisio hujusmodi, que utilissima fore credebatur, culpa dictorum magistrorum firma & integra eis deputata salaria sive didiscerent, sive non didiscerent ipsi Clerici seu pueri habentium, ac eosdem pueros negligendo omnem sollicitudinem, & curam aliis discipulis, & scholaribus laicis, a quibus mercedem etiam semper acceperunt adhibentium, in maximam ipsorum Clericorum, seu puerorum versa erat jacturam & perniciem, ceterum in tam grandi, & spaciosa Civitate magistri etiam si vellent pacto aliquo necessitati Clericorum, seu puerorum eorundem, qui divinis officiis interesse, & in scholas longo intervallo distantes se conferre tenebantur, satisfacere, nullo modo poterant, quo fiebat, ut pueris divagandi ansa prebebatur, & propterea Ven. Fr. Hieronymus Patriarcha Venetiar. perspicue considerans fructus, redditus & proventus fabrice sive Patriarchalis Ecclesie summam trium, & viginti ducatorum de camera vel circa annuatim non excedere salarium uni magistro in grammatica prope dictam Ecclesiam commoranti; ac scholam cum pluribus scholaribus, seu pueris tenenti jam pluribus annis suis sumptibus, & ex proventibus sue mense Patriarchalis, persolvebat, quidam Alexander seu Aleander, & nonnulli alii magistri in sexterio Castelli deputati, a certis annis citra suam scholam, ab eadem Ecclesia per miliare vel circa distantem tenentes, licet Clericos ipsius Ecclesie nunquam erudierint, ac fructus, redditus, & proventus ejusdem fabrice manutentioni & fulcimento, ac Ecclesie hujusmodi, & illi incumbentium onerum supportationi vix sufficiant, nichilominus mercedem immeritam ab Archidiacono Capitulo, & Canonicis prefatis extorquere., eosque desuper coram certis partium illarum judicibus molestare non erubuerunt, seu molestare velle se jactarunt, ac molestant seu jactant in

in animarum suarum periculum, ac Archidiaconi, Capituli, & Canonicorum, nec non fabrice predictorum prejudicium non modicum, quare pro parte eorundem Archidiaconi, Capituli, & Canonicorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictorum magistrorum jactantium, aut molestantium audaciam reprimendo, aliquibus probis viris in partibus illis, ut se de premissis diligenter informarent, & si per informationem hujusmodi rem prout superius enarratur, existere reperirent, modernos, Archidiaconum, Capitulum Canonicos dicte Ecclesie pro tempore existentes nec non fabricam hujusmodi ab indebita mercedis & salarii hujusmodi solutione absolverent, & liberarent; quodque dicto Hieronymo, ac pro tempore existente Patriarcha Venetiar. in deputatione & solutione magistri, qui prope ipsam Ecclesiam resideat, & Clericos predictos edoceat pro tempore cessante, Archidiaconus, Capitulum, & Canonici prefati alium Magistrum viciniorem & eruditum ad pueros, seu Clericos prefatos bonis litteris, & moribus docendum & erudiendum eligere, & deputare libere, & licite valerent licentiam & facultatem concederent & pariter indulgerent, ac eos, & dictam fabricam contribuendo, vel salarium magistro per Patriarcham, aut ipsomet pro tempore electo & deputato solvendo, ad aliquam in posterum salarii solutionem aliis magistris deputatis aliquo modo faciendam non teneri, neque obligatos esse, nec ad id a quoquam invitos compelli posse, seu debere, ac de cetero contributione, aut solutione per prefatum Hieronymum, ac pro tempore existentem Patriarcham Venetiarum de benignitate sua, ac fructibus sue mense hujusmodi facta seu facienda cessante hujusmodi salarii solutionem magistris per ipsosmet Archidiaconum, Capitulum, & Canonicos non autem a pro tempore existente Patriarcha Venetiar. eligendis & deputandis, ac prope Ecclesiam predictam pro toto illius Sexterio mansuris cedere, ac illis persolvi, sicque per quoscunque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & interpretari debere decernerent, aliaque in premissis, & circa ea necessaria, & opportuna facerent, & quotiens opus fuerit exequerentur committere, & mandare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus per presentes committimus, & mandamus quatenus tibi constito, quod prefati magistri officio ad quod tenentur non fungantur, & mercedem non mereantur in premissis, prout justum tibi videbitur facias, non obstantibus, premissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non litteris ejusdem Leonis predecessoris hujusmodi ceterisque contariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVII. Martii MDLIII. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Leo de Fano.

A tergo | Venerab. Fr. Episc. Ravellen. in Dominio Venetor. nostro & Apostolice Sedis Nuncio.

Pau-

Paulus IV. Nuntium Apostolicum Venetiis degentem hortatur, ut cum Veneto Patriarcha magna animorum conjunctione, concordia, & charitate se gerat.

F 3 1556. Ultima Februarii.

Ex Archivo Patriarchali.

PAULUS PAPA IV.

VEn. Fr. salutem & Apostolicam Benedictionem Meminimus, cum istic olim in minoribus essemus, inter bon. mem. Hieronymum Quirinum Patriarcham Venetiarum, & Nuntium Apostolicum eas, ut audiebamus, de jurisdictione utriusque sepenumero exortas esse controversias, ut Patriarcha interdum potius de Civitate, quam ullo pacto de jure suo discederet, ac se magistratu quodammodo tanquam abdicaret, quod sane si non culpa, & non sine nota, tum ipsius Civitatis, tum Pontificis Maximi, tunc viventis, accidebat, qui quasi conspicientibus oculis tanto totius istius Provintie scandalo nullum adhiberi remedium videbantur, & quamquam id aliqua ex parte, tam Patriarche, quam Nuntio tribueretur de ministris tamen Nuntii non nichil dubitabatur qui nulla prava industria, sed ipsorum Tribunalium inveterata quadam consuetudine, dum rem facerent, non considerabant, & quicquid fere Patriarcha jure suo instituisset Nuntii auctoritate destituebant, adeo ut putaretur ea potissimum de causa Patriarcham, Virum alioquin optimum, per multa religione ac pietate preditum, quodam quasi exilio voluntario a sua Ecclesia, & sponsa tandiu sejunctum vixisse, quo fiebat ut Clerici, & Sacerdotes non pauci tali freti suorum judicum discordia eos modestie fines turpiter transgrederentur, intra quos honestas & vita eis prescripta omnino contineri se debet. His de rebus tunc multi nobiscum querebantur, verum cum nichil ejusmodi, ad nos attineret, divinam tamen bonitatem pro eorum concordia orabamus. Postea vero quam nos inde discessimus, etsi nonnulla aliquando delata ad nos sunt, que tamen consecuta fuerint, nescimus. Nunc autem cum Ven. Fratris Vincentii Diedi presentis Patriarche probitatem, doctrinam, prudentiam, easque animi dotes & virtutis divitias, non jam nunc agnoscamus, que tali munere, & cura dignissime sunt, multaque ab eo, & egregia in Dei gloriam opera spe certa expectare omnes possimus, quando nos hoc in loco Deus constituit, ad nos pertinet in primis procurare, ne illa eadem huic accidant, & malis tam illorum, quam presentium temporum, quanto fieri a nobis salubrius poterit diligenter mederi, ac presertim apud istam Civitatem Provinciamque nobilissimam, cui quantum debeamus, quantoque desiderio honorem illi omnem, omnemque apud Deum gratiam optemus, nemo est, qui nesciat, quas ob res fraternitatem tuam, tametsi non neccessariam hoc ei esse arbitramur, his litteris hortari, ac monere in Domino voluimus, ut cum ipso Patriarcha ea semper animorum conjunctione, rerumque inter vos agendarum concordia, pace, charitate, se gerat, que fratres, & in Christo fratres, ac personam atque onus, quod pro Deo in primis, ac pro nobis istic sustinetis, decet, ita ut neuter alteri impedimento esse possit, unusque tantummodo scopus utrique sit, in quem mentis vestre oculos, & justitie tela intendatis, hoc est Divine Majestatis, & honor, & amor, & timor, quibus cum reliqua (ut scitis) conjuncta

ſunt, que ad deſiderium veſtrum & officium veſtri muneris ſpectant, quemadmodum tam illius, quam tuam fraternitatem non minus, quam ſuo inſtituto fecerunt hucusque facturam eſſe in poſterum non dubitamus, ut autem id a vobis fieri facilius poſſit, ſi qua ſunt, que forte obſtent, de iis nos tua fraternitas certiores faciet; ut eæ omnes tollantur difficultates, que diffidia iſtiusmodi vel peperint antea, vel in futurum parere ullo modo poſſint, quibus omnibus in rebus ſolitam tuam diligentiam, fidem, & integritatem in Domino requirimus.

Datum Rome apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die ultima Februarii MDLVI. Pont. Anno primo.

Iſr. Binus.

Paulus IV. inbibet quibuſcumque Prælatis, ne Venetos Clericos ad Ordines promoveant, abſque Veneti Patriarchæ Vincentii Diedo licentia.

G 3 — 1557. 12. Maii.

Ex Archivo Patriarchali.

A tergo | *Ven. Fr. Vincentio Patriarchæ Venetiarum.*

Paulus Papa IV.

VEn. Fr. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut nobis nuper exponi feciſti, tu ex debito tui Paſtoralis officii non ſolum abuſibus, qui inſtigante zizanie ſatore intra gregem tibi creditum, in Civitate, & tua Dioceſi Venetiar. in dies introduci formidantur occurrere, verum etiam jam introductos dante D. tollere ſatagens comperaris ob ignorantiam Sacerdotum Civitatis & Dioceſis predictarum multa ſcandala in eodem grege ſuboriri, & adcurren. ſcandalis hujusmodi propoſueris, neminem Clericorum, aut ad aliquem ſacrum, vel non ſacrum ordinem in Civitate & Dioceſ. predictis promovere, niſi litterarum ſcientia, etate & moribus idoneus & ſufficiens exiſtat, & quia nonnulli Epiſcopi in eadem Civitate reſidentes, avaritie cecitate ducti, ſub pretextu quod ad hoc ſufficienti ſint Apoſtolice Sedis facultate muniti, quoscunq. ad eos recurrentes, indifferenter, & indiſcrete ordinant, & ad quosvis etiam ſacros ordines promovent hujusmodi tuo laudabili propoſito non ſine animi moleſtia frauderis, in animarum periculum, & fidelium ſcandalum, nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut ordinationes, & collationem ordinum hujusmodi, aliasq. de expreſſa licentia tua faciendas, quibuscunque Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prelatis in Civitate, & Dioceſi predictis interdicere, aliasque in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſt. dignaremur; Nos igitur hanc tuam piam intentionem plurimum in Domino commendantes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, tibi quod quibuscunque Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſc., & aliis quavis dignitate fulgentibus Prelatis, non tamen moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſt. in Dominio Venetiar. Nuntio, ne de cetero vita tua durante pretextu cujusvis facultatis eis ſuper ordinationibus, & collatione ordinum hujusmodi etiam a nobis, & dicta Sede aut ejus legatis vel penitentiario noſtro, vel quovis alio quam dicto Nuntio, cui, & cujus facultatibus in aliquo prejudicari non intendimus, in genere, vel in ſpetie conceſſe, aut per eos generaliter, ſeu per quasvis promovendas perſonas particu-

ticulariter, & in spetie obtente, aliquem tibi ratione Ecclesie Venetiarum, cui prees, subditum ad quemvis, tam sacrum, quam non sacrum ordinem absque expressa licentia tua promovere presumant, sub excommunicationis late sententie, aliisque sententiis, censuris, & penis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis tuo arbitrio moderandis, & applicandis auctor. nostra, tam particulariter & nominatim, quam generaliter, & per edictum publicum inhibere, & quoscunque Patriarchas, Archiepiscopos, Episc., & Prelatos inhibitioni tue, seu potius nostre hujusmodi non parentes sententias, & censuras, & penas predictas incurrisse declarare, & si opus fuerit in spetie & nominatim excommunicare, ac legitimis super his habendis servatis processibus sententias censuras, & penas hujusmodi etiam iteratis vicibus aggravare, & auxilium brachii secularis invocare & implorare ceteraque in premissis necessaria, & opportuna facere & exequi libere & licite valeas plenam liberam, & omnimodam auctor. Apost. tenore presentium concedimus facultatem & potestatem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis facultatibus super ordinationibus, & collatione ordinum hujusmodi quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis Episcopis, & Prelatis, etiam a nobis, & Sede ac legatis & Penitentiario predictis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clericis, & Decretis etiam motu proprio, aut alias quomodolibet hactenus concessis, & imposterum concedendis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes, hac vice spetialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse, & illas adversus presentes nemini suffragari posse decernimus, contrariis quibuscunque, aut si eisdem Patriarchis Archiepiscopis Episc. & prelatis vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non posset per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Maii MDLVII. Pont. Nostri Anno secundo.

Jo: Barengus.



Pius IV. Joanni Trivisano Patriarchæ electo Venetiarum, atque Abbati Commendatario S. Cypriani de Muriano concedit, ut habitum, Rochettum, & alia insignia Episcoporum Sæcularium, quoad vixerit, deferre possit.

H 3 1560. 1. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

Pius Papa IV.

Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis tue meritis inducimur, ut personam tuam nobis, & Apost. Sedi devotam specialibus favoribus, & gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos volentes te cujus persona nuper Ecclesie tue Venetiar. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de Fratrum nostrorum consilio Apostolica auctor. providimus, teque tunc Abbatem Monasterii S. Cypriani de Muriano Ord. S. Benedicti Torcell. Dioces. eidem Ecclesie in Patriarcham prefecimus, & pastorem, curam, & administrationem ipsius Ec-

Ecclesie tibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac tecum, ut etiam postquam in vim provisionis, & prefectionis predictarum pacificam possessionem, seu quasi regiminis & administrationis dicte Ecclesie, ac illius bonorum assequutus fores, & munus consecrationis suscepisses Monasterium ipsum in commendam, quoad viveres etiam una cum dicta Ecclesia quandiu illi preesses retinere valeres, sub certis modo & forma tunc expressis dicta auctoritate dispensavimus specialis gratie favore prosequi tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut decentius in seculo verseris, & sine deformitate inter Canonicos dicte Ecclesie, ac dignitates in ea obtinentes, ac alias ubilibet degas, & cum Canonicis, ac dignitates hujusmodi obtinentibus in ipsa Ecclesia divinis officiis, & processionibus, ac alias ubicunq. convenientius intersis. Quod habitum Rochettum, & alia insignia Patriarcharum, seu Episcoporum secularium ad eorum instar in omnibus, & per omnia, quoad vixeris, ubique locorum publice absque alicujus censure, seu pene Eccl. incursu, aut Apostasie reatu deferre, & gestare libere & licite valeas eadem auctor. tenore presentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesie & ordinis predictorum, & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, nec non privilegiis indultis, & litteris Apostolicis dicto ordini, ac alias quomodolibet in contrarium forsan concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis eorum quoque totis tenoribus specialis specifica expressa & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro plene, & sufficienter habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisq. contrariis quibuscunq.

Datum Rome apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die prima Martii MDLX. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. de Torres. A Calorius.

A tergo [Dilecto filio Joanni Electo Venetiarum.



Pius Papa IV. exemplum Pauli IV. imitatus appellationes Presbyterorum, quos Patriarcha utpote minus idoneos instituere in beneficiis recusaverat, ad se advocat, & lites pœnitus extinguit.

13. 1560. 19. Julii.

Ex Archivo Patriarchali.

PIus Papa IV. Ad futuram rei memoriam. Dudum emanarunt a fel. rec. Paulo Papa IV. immediate predecessore nostro in forma brevis littere tenoris subsequentis. A tergo videl. Venerabili Fr. Vincentio Patriarche Venetiar. Intus vero. Paulus Papa IV. Venerabilis Fr. salutem & Apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, licet nos alias tibi ne ex tunc de cetero aliquem in rectorem, seu Plebanum, aut beneficiatum alicujus ex Parochialibus Ecclesiis, Plebaniis, seu Plebanatibus nuncupatis, Venetiarum, que pro majori parte etiam collegiate existunt, & in quibus diversa perpetua beneficia Ecclesiast. Clericatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus nuncupata existunt, & ad quas, ac beneficia in eis consistentia, dum pro tempore vacant, electio, seu no-

nominatio personarum idonearum ad Ecclesias, vid., dilectis filiis Parochianis ipsarum Ecclesiarum, ad beneficia vero hujusmodi pro tempore existenti Plebano earumdem Ecclesiarum, & qui cum eo Capitulum predictarum Ecclesiarum, constituunt, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Clericis, dicta beneficia pro tempore obtinentibus, ex antiqua & per Sedem Apostolicam approbata, hactenusque pacifice observata consuetudine (ut asseritur) competit; nisi prius tibi de ejus in etate moribus, & doctrina, idoneitate, & sufficientia, per diligens a te desuper habendum examen, aut alias Canonice constitisset instituere presumeres, per alias nostras in forma brevis litteras inhibuerimus: tibi etiam in virtute sancte obedientie injungentes; ut si aliquem minus idoneum, & sufficientem in rectorem vel Plebanum seu beneficiatum instituendum presentari contingeret, tu, eo rejecto, Parochianis, seu Capitulo prefatis alium idoneum, & sufficientem juxta constitutiones Patriarchales Venetiar., & super illis emanatas litteras Apostolicas eligendi, seu nominandi licentiam concederes, prout in eisdem litteris nostris plenius continetur: tuque honorem Dei, & salutem animarum desiderans pro salubri Ecclesie Venetiarum, cui prees, directione, inhibitionem, & injunctionem nostram hujusmodi plene observes; minus idoneos reiiciendo; & Parochianis, seu Capitulis predictis alium idoneum, & sufficientem eligendi, seu nominandi licentiam concedendo: nichilominus dilecti filii Capitula Ecclesiar. hujusmodi sepe minus idoneos in beneficiatos ipsarum Ecclesiar. instituendos tibi presentare presumant: & si eos, ut minus idoneos reiicis, & eisdem Capitulis alium idoneum, & sufficientem eligendi, seu nominandi licentiam concedis; eum eligere, seu nominare negligant: & ipsi minus idonei sic presentati te super institutione de eis facienda diversimode, etiam judicialiter molestent: & novissime, cum tu dilectum filium Victorem q. Petri Presbyterum Venetiarum, a dilectis filiis Capitulo Ecclesie S. Jo: Chrysostomi Venet. ad perpetuum simplex Ecclesiasticum Subdiaconatum nuncupatum presentatum, seu nominatum tanquam insufficientem in ejus examine compertum, rejecisses; idem Victor asserens se exinde indebite gravari ad nos, & sedem predictam appellaverit, & causam appellationis hujusmodi certis judicibus in istis partibus per litteras audientie conditas committi obtinuerit; ac pretextu commissionis hujusmodi procuratorem suum fiscalem coram Abbate Monasterii S. Cypriani de Muriano Torc. Diecesis Venetiis commorante in judicium traxerit. Nos attendentes iniquum existere, quod tu, aut officiales tui ex bono obedientie, pro quo laudandi estis, malum, & incommodum reportetis; volentes in premissis opportune providere, statum, & merita cause hujusmodi pro expressis habentes, causam ad nos advocamus, & litem hujusmodi penitus extinguimus; ac dicto Victori in premissis perpetuum silentium imponimus: districtius inhibentes Victori, & Abbati predictis, ac quibusvis aliis judicibus pro parte ipsius Victoris hactenus impetratis, & imposterum impetrandis, nè in causa hujusmodi quovismodo procedere presumant; ac decernentes ex nunc irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctor. scienter vel ignoranter contigerit attemptari: & nichilominus tibi, tam Capitulo Ecclesie S. Jo: Chrysostomi, quam aliis, qui de cetero aliquos minus idoneos ad quevis beneficia dicte Civitatis presentaverint, competentem terminum, infra quam alios idoneos & sufficientes ad predictum, ut prefertur vacans, & alia pro tempore vacancia beneficia eligant, seu nominent prefigendi: & eo elapso, nisi alios idoneos, & sufficientes ad ipsa beneficia elegerint, seu nominaverint; eadem beneficia pro ea vice tantum personis idoneis auctoritate conferendi: ita tamen, quod propter hoc constitutionibus, & super illis confectis litteris predictis, nullum in posterum prejudicium generetur, plenam & liberam Apostolica auctor. tenore presentium concedimus potestatem, & facultatem. Nonobstan-

stantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, atque omnibus illis, que in singulis litteris nostris predictis voluimus nonobstare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 20. Decembris 1557. Anno primo.

Jo: Berengus.

CUm autem, sicut dilectus filius Marcus Antonius Amulius eques aurate militie, nobilium Virorum Ducis, & Dominii apud nos Orator pro parte eorundem Ducis & Dominii nobis nuper exposuit: desuncto proxime Vincentio Patriarcha predicto nonnulli Clerici, ut prefertur, ad beneficia, in dictis ejusdem Pauli predecessoris litteris comprehensa, electi, & nominati, & per ipsum Vincentium Patriarcham tanquam insufficientes rejecti, ad nos & Sedem Apostolicam, vel ad Venerabil. Fr. Episcopum Vercellen. nostrum in Civitate Venetiarum Nuntium appellaverint: & certas appellationes desuper interposuerint; causasque appellationum hujusmodi prosequi, forsam jam ceperint: vel deinceps prosequi intendant: quare idem Dux, & Dominium nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super his opportune providere de benignitate Apostolicá dignaremur. Nos igitur conveniens & equum esse censentes, ut ea, que in vim dictarum litterarum Pauli predecessoris ab eodem Vincentio Patriarcha dum viveret, gesta fuerunt, inviolabiliter observentur, & absque aliquo appellationum, & litium involucro firma & illibata permaneant: hujusmodi supplicationibus inclinati statum, & merita appellationum & causarum hujusmodi, presentibus pro sufficienter expressis habentes, omnes, & singulas appellationes, & causas predictas in eisdem statu, & terminis, in quibus ad presens reperiuntur, ad nos advocamus, & lites penitus extinguimus; & dictis personis, ut prefertur, rejectis in premissis perpetuum silentium imponimus: districtius in virtuté sancte obedientie inhibentes ipsi moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolice Sedis in dicta Civitate Venetiarum Nuntio, & quibusvis aliis judicibus, tam pro parte ipsorum, ut premittitur rejectorum, quam aliorum quorumcunque per modernum, & etiam pro tempore existentem Patriarcham Venetiarum similiter in futurum ob illorum insufficientiam reiiciendorum, hactenus quomodolibet impetratis, & imposterum impetrandis, ne áppellationes hujusmodi admittant; neque eis deferant: sed eam penitus reiiciant, nec in causis prefatis quovis modo procedere presumant: decernentes pariter ex nunc irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nichilominus eidem moderno Patriarche, & ejus in dicto Patriarchatu successoribus, tam Capitulis prefatis, quam quibusvis aliis in eisdem litteris Pauli predecessoris expressis, qui de cetero aliquos minus idoneos ad quevis beneficia dicte Civitatis presentaverint, competentem terminum infra quem alios idoneos, & sufficientes ad eadem beneficia pro tempore vacantia eligant, seu nominent presigendi, & eo elapso, nisi idoneos, & sufficientes ad ipsa beneficia elegerint, seu nominaverint, dicta beneficia pro ea vice tantum personis idoneis auctoritate nostra conferendi; ita tamen quod propter hoc constitutionibus, & super illis confectis litteris prefatis nullum imposterum prejudicium generetur, plenam & liberam Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus potestatem & facultatem. Nonobstantibus omnibus illis, que dictus Paulus predecessor in suis litteris voluit non obstare ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 19. Julii 1560. Pontificatus nostri anno primo.

Ces. Glorierius.

Pius

Pius IV. confirmat privilegia Patriarchatus Venetiarum ei concessa per Summos Pontifices Antecessores.

K 3 1561. 5. Augusti.

Ex Catastico Patriarch.

PIus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii cura meritis licet imparibus nobis ex alto commissa nos incitat, & inducit, ut piis fidelium quorumlibet presertim insignis nobilitatis, & preheminentie titulo decoratorum, & Sedi Apostolice devotorum votis annuentes circa Ecclesiarum quarumlibet presertim Patriarchalium insignium, & personarum in eis divinis obsequiis continuo vacantium statum, & honorem prospere dirigendum, & feliciter conservandum nostre vigilantie partes solertius impendamus, & iis, que propterea processisse comperimus, ut illibata persistant, cum a nobis petitur Apostolici muniminis robur propensius impartiamur, & alias desuper provideamus prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem fel. rec. Nicolaus Pp. IV. Predecessor noster considerans quanta esset dignitas, & Magnitudo Reipublice Venetorum: quantaque Populi multitudo, quantus Civium ornatus, & amplitudo quantaque illius Dominii magnificentia existeret, advertens quoque animum ad eorum singularem erga eum, & Romanam Ecclesiam devotionem nimirum ipsorum requirentibus meritis ad ea agenda, & concedenda impellebatur, quibus talis, & tam egregie Civitatis, & Civium nomen, & gloria pro sue quoque Ecclesie majestate, & amplitudine illustraretur, quodque Ecclesia Patriarchalis Gradensis in Dominio ipsius Reipublice existens quam antea pie memorie Lucius III. Urbanus etiam III. Innocentius similiter III. Alexander IV. & Eugenius etiam IV. & forsan alii Romani Pontifices nostri, tunc sui predecessores inter alia sub Beati Petri, & sua protectione susceperant, & pro tempore existenti illius Patriarche Crucem ante se ferendam non tamen Rome, aut in presentia, seu comitatu Romani Pontificis concesserant, ac Alex. ad exemplar recolende memorie Alex. stasii Pape Nostri, tunc sui Predecessoris, & Eugenius predecessores prefatis Episcopalium Cathedrarum Urbes, videlicet Castellan. Torcellan. Methamaucen. Equilen. Caprulen. Civitatem novam Veglen. Arben. & Auseren. eidem Ecclesie Graden. tanquam Metropoli sue subditas esse decreverant, sita erat in loco deserto, & destituto cultoribus adeo, ut nullus jam dudum ibidem Patriarcha residere voluisset, ex quo tante dignitatis splendor sordescere estimabatur, & si in Civitate Venetiarum dignitas Patriarchalis Sedis institueretur, Civitas ipsa tanquam planta fructifera radicibus suis altius in solo uberi defixis, in immensum fere sue dignitatis ramos extenderet, & ampliationem reciperet, digniorem ac ex eo devotio Civium, & religio fidei, ac divinus cultus majorem fructum afferet, animarum dignitatem, ac titulum Patriarchalis Ecclesie Graden. nec non titulum & dignitatem Episcopatus Venetiarum qui a nomine loci in ambitu ipsius Civitatis existentis Castellum nuncupatur in quo illius Ecclesia Cathedralis sita erat Episcopus Castellanus nominatus existebat, ceterasque dignitates, Canonicatus, & prebendas, personatus, administrationes & offitia, ac beneficia Ecclesiastica in eis de fratrum suorum consilio, & assensu supprimens & penitus extinguens prefatam Castell. Ecclesiam in Patriarchalem Ecclesiam Sedem & dignitatem, cum omnibus & singulis Patriarchalibus insigniis, digni-

tatibus, preheminentiis, privilegiis, juribus, & honoribus, jam ipsi olim Ecclesie Patriarchali Graden. illiusque Patriarchis concessis. Graden. vero provinciam, cum omnibus illius suffraganeis Episcopis in Provinciam Patriarchalis Ecclesie Venetiarum erexit constituit, & deputavit, ac bone memorie Laurentium Justinianum, tunc Episcopum Venetiarum, Castellanum nuncupatum, primum Patriarcham Venetiarum instituit, decernens ut deinceps Ecclesia Patriarchalis Venetiarum perpetuis futuris temporibus appellaretur, quodque tam Graden. cum omnibus Ecclesiis sibi unitis, quam Castell. Ecclesiarum predictarum Dioceses prefate Ecclesie Venetiarum unite essent, & una duntaxat eademque Dioces. censeretur, ac alias, & alia fecit, statuit, & ordinavit, decrevit, applicavit, donavit, & assignavit prout, tam in ejus, quam aliorum predecessorum predictorum litteris desuper respective confectis plenius continetur. Nos ad dilectum filium Nobilem Virum Hieronymum Priolum Ducem Venetiarum, & prefatum Dominium ob suam in nos, & Sedem predictam hactenus continuatam devotionem, & eorum Reipublice decus splendorem, ac prestantiam, & providentiam debitum respectum habentes, ut in hujusmodi devotione eo ferventius perseverare studeant, quo etiam a nobis, & Sede predicta, se, & ipsam Ecclesiam Venetiarum, cui alias seu nuper tunc certo modo pastoris solatio destitute fel. rec. Paulus Pp. IV. predecessor noster de persona Ven. Fratris Joannis Venetiarum Patriarche de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, ad tunc Ducis, & Dominii nominationem Apostolica auctoritate providit ipsumque illi in Patriarcham prefecit, & pastorem & ad quam, ut par est, singularem prefati Hieroymus Dux, & Dominium gerunt devotionis affectum aliquo gratitudinis munere communitos esse cognoverint, illos specialis gratie favore prosequi volentes eorumdem Ducis Dominiique nobis per dilectum filium Hieronymum Superantium Nobilem Venetum, eorum apud nos oratorem in hac parte porectis supplicationibus inclinati, ac eorum contemplatione, & intuitu Ecclesiam ipsam Patriarchalem, sub nostra, & B. Petri protectione denuo suscipimus, ac presentis scripti privilegio communimus, nec non eadem suppressionem, extinctionem, executionem, constitutionem, deputationem, unionem, statuta ordinationes, donationes, concessiones, assignationes, & decreta, ac supradictum deferendi Crucem ante se, preterquam Rome, aut in presentia, vel Comitatu Romanorum Pontificum, ac omnia, & alia singula privilegia, preheminentias, exemptiones, facultates & indulta olim dicte Ecclesie Graden. ut prefertur, vel alias concessa, & postmodum ad Ecclesiam Venetiarum, etiam ut prefertur, vel alias translata, & illi per predictos, & alios Romanos Pontifices etiam predecessores nostros quolibet etiam de novo concessa, & approbata & innovata, ac predictas & singulas alias desuper confectas litteras, quorum, & quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus haberi volumus pro expressis, ac prout illa concesserunt omnia & singula in eis contenta, & inde secuta quecunque etiam si ipsa privilegia preheminentie exemptiones, facultates, & indulta aut eorum aliqua in usu esse desierint, aut nunquam observata fuerint auctoritate Apostolica tenore presentium ex certa nostra scientia approbamus, confirmamus, & innovamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, & nichilominus pro potiori cautella illa omnia, prout facta, statuta, ordinata, concessa, & decreta fuerunt in omnibus & per omnia de novo facimus, statuimus, ordinamus, ac etiam perpetue firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere, ac easdem presentes de surreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostre defectu notari, seu impugnari nullatenus posse, sed semper validas, & efficaces existere, & ita per quoscunque judices

qua-

quavis auctoritate fungentes sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, nec non si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari, irritum & innane decernimus, non obstantibus premissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus & formis, & cum quibusvis clausulis & decretis in genere vel in specie, & alias quomodolibet concessis approbatis, & innovatis, quibus omnibus illorum veriores tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre susceptionis, approbationis, confirmationis, innovationis, communitionis, facti, statuti, ordinationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & B.B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud S. Marcum Anno Incar. Dominice 1561. Non. Augusti Pont. Nostri anno secundo.

Berengus.

L. S. Victor de Mapheis Cancellarius Patriarchalis Venetiarum presens exemplum sumptum ab originalibus litteris Apostolicis tenoris suprascripti una cum dictis litteris Originalibus auscultavit, & concordari invenit propterea propria manu subscripsit, & solitum in tabellionatus signum apposuit.

Clemens VIII. Patriarcham Venetiarum hortatur, ut suæ Diœcesis Ecclesias etiam Regularium visitet, pravasque consuetudines inde submoneat.

L 3 1592. 25. Aprilis.

Ex Archivo Patriarchali.

CLemens Papa VIII. Venerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem Romanus Pontifex, qui cunctarum solicitatur neceessitatibus Ecclesiarum, super familiam domus sue ita invigilare debet, ut ad ea, que inordinata esse comperit, reformanda omnes, ad quos spectat, non solum exemplo movere, sed verbo, ac monitis excitare debeat. Cum itaque non sine magno animi nostri dolore nuper accepezimus, temporum injuria, & quorumdam etiam, qui Dei timore posthabito, ac proprii instituti immemores a recto sacrorum Canonum, & receptarum constitutionum tramite deviarunt, opera, multos in Ecclesiam tuam irrepsisse abusus, sive pravas consuetudines, quibus ii, qui in via mandatorum Domini minime progredi student, se fortasse tueri, ac fulcire non dubitant; quorum tolerantia multorum in dies malorum materiam prebere posset. Nos his incommodis, quantum cum Domino possumus occurrere cupientes fraternitatem tuam, de cujus pietate, prudentia, ac rerum experientia his presertim in rebus, que ad Dei cultum augendum, & animarum salutem procurandam pertinent, plurimum confidimus, & quam infrascripta omnia sponte etiam sua facturam certo scimus, in Domino hortamur, & ex paterna charitate monemus, quatenus auctoritate tua ordinaria, nec non facultate a Conc. Trid. attributa omnes, & singulos tue

Civitatis & Diecesis subditos, tam secnlares, quam cujusvis ordinis regulares, eorum Ecclesias, Monasteria, & loca pia, tam in capite, quam in membris visites, eosque tam ex juris Communis, quam ex dicti Conc. Trid. prescripto, Apostolicarumve, & Synodalium Constitutionum norma corrigas, & ad honestam vitam regularemque observantiam reducas: & si pro premissorum executione expedire indicaveris, Diecesanam, vel Metropolitanam Synodum indicas, & convoces, in qua de Cleri reformatione, & pravarum consuetudinum, que ut prefertur, irrepserunt, abolitione nominatim agendum erit, & sive in eadem Synodo, sive extra, quascunque consuetudines status, consuetudines, & decreta, que predicti Trid. Conc. decretis contraria fuerint, submoveri, ac tolli, & ad prescriptum ejusdem Conc. omnino conformari cures. Nos enim omnia, que per te modo, ac forma premissis facta & executa fuerint probabimus, & auctoritate nostra, cum opus erit, tuebimur. Hortamur etiam, & requirimus omnes, & singulos suffraganeos, ac Diecesanos, subditosque tuos, eisque etiam precipimus, in virtute sancte obedientie, ut tibi in premissis assistant, atque obediant, ac paternam correctionem, salubriaque monita, & mandata tua reverenter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent: Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 25. Aprilis 1592. Pontificatus Nostri Anno primo.

A tergo | Venerabili Fratri Patriarche Venetiarum.



Benedictus XIV. Aloysium Foscari a Duce & Dominio Venetiarum electum instituit Patriarcham Venetiarum.

M 3 — 1741. 3. Julii.

Ex Archivo Patriarchali.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Aloysio Foscari electo Patriarche Venetiarum Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Onerosa Pastoralis Offitii dispositione Summi Pastoris, qui pro suis ovibus animam suam ponere non recusavit, Nobis licet immeritis cura commissa, sollicita nos pulsat instantia, ut inter cetera, que undique confluunt negotia quibusque noster redditur animus multiplici varietate distractus, ad provisionem Ecclesiarum quarumcunque, presertim Patriarchalium, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, sollicite intendamus, ut eis cum vacaverint per nostram providentiam circumspectam Pastores accedant idonei, & Ministri providi deputentur, qui Ecclesias ipsas non solum gubernent utiliter, sed etiam multis modis efferant incrementis. Sane Ecclesia Patriarchalis Venetiarum, cui b. m. Franciscus Antonius Corrarius, ultimus illius Patriarcha, dum viveret presidebat, per obitum dicti Francisci Antonii Patriarche, qui extra Romanam Curiam debitum humane nature persolvit, Pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi a fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem ejusdem Ecclesie Patriarchalis celerem & felicem, ne illa longe vacationis exponatur incommodis, paternis, & sollicitis studiis intendentes post deliberationem, quam de preficiendo eidem Ecclesie Venete Personam

nam utilem, & fructuosam cum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem. Demum Te de legitimo Matrimonio ex Catholicis Nobilibus Parentibus in Civitate Venetiarum ortum, in sexagesimo, & ultra tue etatis anno, & in Sacro Presbyteratus Ordine a pluribus annis constitutum J. V. D. quem dilecti Filii Dux, & Dominium Venetiarum vigore Privilegii Apostolici, cui non est hactenus in aliquo derogatum, Nobis ad hoc per suas litteras presentarunt, cuique apud Nos de Litterarum scientia, Nobilitatis genere, Vite munditia, honestate, morum spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis, quibus Personam tuam illorum largitor Altissimus insignivit, fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis eidem Ecclesie Venet... de persona tua Nobis, & eisdem Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum, ac etiam de Fratrum eorumdem consilio Apostolica auctoritate providemus, Teque illi in Patriarcham preficimus, & Pastorem, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesie Venetiarum Tibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratiam, & largitur premia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos predicta Ecclesia Venetiarum sub tuo felici regimine regetur utiliter, & prospere dirigetur, & grata in spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipias; curam, & administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter & prudenter, quod Ecclesia ipsa Venetiarum Gubernatori provido, & fructuoso administratori gaudeat se commissam, Tuque eterne retributionis premium, nostram & Sedis Apostolice benevolentiam, & gratiam exinde uberius consequi merearis. Volumus autem quod Tu fidei professionem juxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus introclusam in manibus Ven. Fratrum nostrorum Thyatyrensis, & Torcellani Episcoporum, seu ulterius eorum emittere illamque sic emissam, tum tui, & Episcoporum Fratrum, seu alterius eorum subscriptione, ad Urbem infra prefixum tempus transmittere omnino tenearis; quibus, aut alteri eorum per alias nostras litteras mandamus, ut ipsi a Te professionem hujusmodi recipiant, seu recipiat. Volumus etiam, quod Tu Montem Pietatis erigi cures, conscientiam tuam desuper onerantes, per solam vero provisionem, & prefectionem hujusmodi Canonicatum, & Prebendam Ecclesie Paduane, quos obtines, vacare & ipso; ita ut de illis per Sedem Apostolicam tunc disponi possit, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari; irritum, & inane Decernimus.

Datum Rome apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominice millesimo septingentesimo quadragesimo primo quinto nonas Julii Pontificatus Nostri Anno primo.

A. Carafa G.

MENOLOGIUM VENETUM.

PRÆFATIO.

INstituenti mihi Ecclesias Venetas illustrare, placuit præter allatum Patroni nomen, ejusque adsciscendi causam, non inter ultimas curas rejicere Catalogum Reliquiarum, quæ in singulis asservantur, cultuque gaudent immemorabili. Quamquam enim authenticis pleræque documentis destituantur, tamen vetustissimæ, nec interruptæ traditionis præsidio, evincuntur ad nos translatæ ab Imperio præsertim Byzantino, partim religioso Græcorum Cæsarum munere, partim etiam ex spoliis, quæ fœderati inter se Veneti, & Galli subacta Constantinopoli diviserunt. Hoc pacto Sanctorum cultui, Civium devotioni, & singulari Patriæ ornamento videor mihi consuluisse. Interea tamen, ut methodo faciliori idipsum exequar, neve Lector ad aliquid inveniendum hac illac per varios Operis Tomos vagari cum molestia adigatur, juvat Menologium concinnare, ubi ad certam suamque diem, non solum nomina Titularium Sanctorum Ecclesiæ cujuslibet exhibeantur, sed eorum etiam Cœlituum, quorum vel integro corpore, vel insigni aliqua Reliquia Urbs nostra ditatur.

Atque id quidem consilii cœpi, cum peculiaria quædam Menologia (sic enim ea appellare licet) in meas manus devenerunt, quæ vel Religiosæ familiæ, vel Urbes aliquæ ad devotionem simul, & eruditionem, potius quam ad Festorum celebrationem, sacrosque ritus regendos elucubrari voluerunt. In id genus Menologia invectos video sub Beati nomine Viros pietate clarissimos, quibus hanc honoris notam non Romana Sedes, sed ut erat mos antiquissimus, populorum Scriptorumque consensus tribuerunt. Michi tamen in hoc adeo temperavi, ut Beati titulum, iis dumtaxat apposuerim, quibus vel cultus sine Romano decreto publice redditus, vel communis apud aliquam nationem nuncupatio hoc decus adjudicat. Nimirum vestigiis Antuerpiensium Biographorum pressius institi, qui alios, atque alios hujusmodi vel Beatos, vel Sanctos Venetos enuntiarunt, ut exemplo esse potest Beata

Comi-

Comitiſſa Taleapetra Virgo; de qua recentiſſime egerunt Tom. III. Septembris non ita pridem in lucem edito.

Porro, ubi eos affero Sanctos, qui in Romano Martyrologio locum habuerunt, elogia ipſorum adjicio ex ipſo Univerſalis Eccleſiæ Martyrologio compendioſe deprompta. Quoad alios nuda nomina annuncio, ſi paucos quosdam excipias, qui ex Apoſtolica facultate Officium proprium habent, & in peculiaribus Ordinum Religioſorum Menologiis memorantur.

Nominibus ſingulis notas addidi, breves eas, ac ſimplices, quibus non ad eruditionis pompam; ſed ad devotionis commodum utor, prorſus nimirum, ut Lector ſtatim deprehendat, ad quam Venetam Eccleſiam Sanctus quilibet, ſive propter Patroni appellationem, ſive propter cultam ibi inſignem ejus Reliquiam pertineat. Equidem poſſem, nec ægre admodum, Cronicas notas hac illac inſpergere, exempli cauſa, ubi de Crucifixis decies millibus, aut de Divæ Urſulæ comitatu, aliisve hujusmodi agitur; ſed præterquamquod inſtitutum meum prætergrederer, & actum agerem, & Criticos celeberrimos, præſertim Bollandiſtas reſcriberem, cum ab iis nihil in hac materia dignum ſcitu prætermiſſum ſit. Cæterum quidquid peculiare de quopiam Sancto relate ad Venetam Urbem occurrit, ſi Eccleſiam conſulat Lector, ad quam pertinet, a me non omiſſum videbit. Hoc pacto & devotioni, & brevitati in hoc Menologio conſului, quin aliud præterea ad inopportunam eruditionis pompam adjiceretur.

Illud mihi poſtremo addendum eſt, quod cæteroquin toties alibi profeſſus ſum, nimirum in Sanctorum laudibus, & titulis afferendis me nihil contra Urbani Papæ VIII, aliorumque Romanorum Pontificum decreta attentare, quibus ita ſcripta mea eſſe conſona velim, ut me Romanæ Catholicæ Eccleſiæ obſequentiſſimum Filium profiteor.

MENO-

MENOLOGIUM VENETUM

In quo enuntiantur Sancti, qui seu in Civitate, seu in aliqua Civitatis Ecclesia venerationem habent.

JANUARIUS.

Kalendis Januarii. 1

CIrcumcisio Domini nostri Jesu Christi (*a*). Cæsareæ in Cappadocia depositio Sancti Basilii Episcopi, cujus celebritas decimo octavo Kalendas Julii, qua die ordinatus fuit Episcopus, potissimum recolitur (*b*).

(*a*) Titulo hujus mysterii sacra est Deiparæ Virgini Ecclesia Parœcialis *Sancta Maria Mater Domini* nuncupata, cujus nomine insignitur una ex novem Cleri Congregationibus. Altera quoque Ecclesia Sanctimonialium Ordinis S. Augustini, Jesu & Mariæ nominibus decorata solemnitatem hanc veluti Titularem agnoscit.

(*b*) Ecclesiam habet Sanctus hic Doctor Parochialem, prout enuntiabimus ad diem 14. Junii.

Pridie Nonas Januarii. 4

In Creta natalis Sancti Titi, qui ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus ordinatus, post prædicationis officium fidelissime consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in Ecclesia, ubi a Beato Apostolo dignus minister fuerat constitutus (*a*).

(*a*) Caput hujus Apostolici Viri, cujus laus est in Divi Pauli epistolis, translatum est Venetias, anno lacrymandæ cladis Urbis Cretæ, atque in lipsanotheca Ducalis Basilicæ collocatum. Exponitur publicæ fidelium venerationi die IV. Januarii, ejus tamen officium, quod de communi Apostolorum sub ritu duplici agitur, transfertur in ipsa Ducali Ecclesia ob concurrentiam octavæ SS. Innocentium.

Octavo Idus Januarii. 6

Epiphania Domini (*a*).

(*a*) Oratorium Xenodochii apud Sanctam Mariam olim Cruci-

cife-

ciferorum, nunc Societatis Jesu, sub hujus mysterii invocatione fundatum fuit.

Septimo Idus Januarii. 7

S. Juliani Martyris (*a*).

(*a*) Ita in Romano Martyrologio, quando autem, vel ubi passus sit, se ignorare fatetur Baronius in annotat. Duo alligantur Juliani ad hanc diem in actis Sanctorum Tom. I. Januarii pag. 355. & 357, quorum alter ex Chronico, quod sub Fl. Dextri nomine editum est, civis Toletanus dicitur, & Episcopus; alter ex Sausaii Martyrologio *in tractu Andegavensi* enuntiatur Martyr. Tertius quoque affertur Julianus Martyr hac die Calari in Sardinia, qui ideo Martyr dicitur, quia in lapidea ejus epigraphe litteræ B. M. incisæ sunt. Utrum autem hasce litteras *Beatus Martyr*, ut autumant Sardi, & Seraphinus Esquirus exponit, an potius *Bonæ Memoriæ* seu *Bene Merenti* interpretari debeamus, eruditorum judicium esto. Utcumque de his Martyribus res sit, certum est, horum nulli dicatam esse Venetam Ecclesiam Parœcialem, quæ Divo Juliano celeberrimo Antiochiæ Martyri sacra est, attamen ex æquivoco, vel ex majorum nostrorum inscitia celebritas Titularis hac die in ejus Templo magnifica pompa recolitur, in Veneta vero civitate ob concurrentiam cum die infra octavam Epiphaniæ agitur die XIV. Februarii sub ritu Semiduplici.

Sexto Idus Januarii. 8

Venetiis depositio Beati Laurentii Justiniani Confessoris, primi ejusdem urbis Patriarchæ; quem doctrina, & supernis divinæ sapientiæ charismatibus copiosissime repletum Alexander Octavus in Sanctorum numerum retulit: de quo etiam Nonis Septembris (*a*).

(*a*) Sanctissimi hujus Præsulis corpus colitur in marmoreo magnificentissimo sepulcro ad aram principem in Ecclesia Patriarchali, quod supplices quotannis Dux & Senatus festiva pompa venerantur. Multas habet in diversis Venetiarum Ecclesiis suo nomini dedicatas aras, viget autem potissimum ipsius cultus apud Sanctimoniales S. Crucis de Judaica. Novissime Benedictus XIV. civitati Venetiarum offi-

changeli, atque nonnullæ ipsius Sancti reliquiæ in aliis urbis Ecclesiis coluntur.

Quartodecimo Kalendas Februarii. 18.

Venetiis Translatio Corporis S. Luciæ Virg. & Mart. quando Byzantio ad Ecclesiam S. Georgii Majoris primum, mox ad ipsius Divæ Ecclesiam Parœcialem translatum fuit.

(*a*) De Translatione Sanctæ Luciæ egimus tum ad Monasterium Sancti Georgii Majoris, tum ad aliud Monasterium ejusdem Sanctæ Luciæ.

Tertiodecimo Kalendas Februari. 20

Romæ ad Catacumbas Sancti Sebastiani Martyris, qui Diocletiano Imperatore jussus est ligari in medio campo, & sagittari a militibus, atque ad ultimum fustibus cœdi, donec deficeret.

(*a*) Nomine Sancti Sebastiani duæ Venetiis extant Deo sacræ ædes, quarum una ab Eremitis Congregationis Beati Petri de Pisis decentissime excolitur, altera vero Ecclesiæ Monialium S. Laurentii adhæret, de quibus suis locis abunde diximus. Coluntur clarissimi hujus Martyris reliquiæ variis in Ecclesiis, ut suis locis enuntiatum est; quas inter, notatu digna est, quæ ad ipsius Ecclesiam ab Eremitis excultam devenit ex pio Marini Sanuti Chronologi legato.

Duodecimo Kalendas Februarii. 21

Romæ passio Sanctæ Agnetis Virginis (*a*), quæ sub Præfecto Urbis Symphronio ignibus injecta, sed iis per orationem ejus extinctis, gladio percussa est.

(*a*) Sacra Divæ Agnetis Virginis ædes Parœcialis est, quæ digito, aliisque suæ Titularis Reliquiis insignitur. Alius ex ipsius Martyris digitis in Sancti Evangelistæ Lucæ Templo honorificentissime colitur.

Undecimo Kalendas Februarii. 22

Romæ ad Aquas Salvias Sancti Anastasii Persæ Monachi (*a*), qui a Cosroe Persarum Rege multis pœnis affectus, ad ultimum decollatus est.

(*a*) Sancti Martyris corpus Venetias e Constantinopoli sub Hen-

Henrico Dandulo Duce delatum fuisse ostendimus operis hujus Tom. IV. pag. 357, ubi Parœcialem Sanctissimæ Trinitatis Ecclesiam illustravimus.

Decimo Kalendas Februarii. 23

Alexandriæ S. Joannis Eleemosynarii ejusdem Urbis Episcopi, misericordia in pauperes celeberrimi, de quo Venetiis agitur pridie Idus Novembris (*a*).

(*a*) De Sancto Joanne Eleemosynario ad diem agemus Novembris XII.

Nono Kalendas Februarii. 24

S. Theodori Episcopi Myrensis, & Martyris, cujus corpus Venetias translatum est ad Monasterium Sancti Nicolai de Litore (*a*).

(*a*) De translatione hujus Sancti Martyris egimus ad Ecclesiam Sancti Nicolai de Litore.

Octavo Kalendas Februarii. 25

Conversio S. Pauli Apostoli (*a*), quæ fuit secundo ab Ascensione Domini anno.

(*a*) Suæ Conversionis titulo Ecclesiam habet Parœcialem Venetiis S. Paulus Apostolus, cujus titulo, & protectione gloriatur una ex novem Cleri Congregationibus; Sancti Apostoli Conversio, ut Venetiis inter festa solemnia enumeraretur jussit Majoris Consilii Authoritas sequenti Decreto.

MCCCXXI. Die XIV. Julii.

In Majori Consilio.

„ Cum per universum orbem quasi in omnibus Terris, &
„ locis Christianorum Festum Conversionis B. Pauli Apostoli
„ solemniter celebretur, & habeatur solemne, præterquam in
„ civitate Venetiarum, ubi debetur dictum Festum solemniz-
„ zari potius, quam in aliis civitatibus propter Festivitatem
„ Mariarum, quæ fit ipsa die in hac Civitate.

„ Capta fuit Pars, quod tam propter reverentiam B. Pau-
„ li Apostoli, quam etiam propter solemnitatem Mariarum,

quæ

„ quæ fit ipſa die, dictum feſtum Converſionis B. Pauli Apo-
„ li debeat ſolemne eſſe, ſicut ſunt alia Feſta ſolemnia.

Septimo Kalendas Februarii. 26

Smyrne Natalis Sancti Polycarpi (*a*), qui Beati Joannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Epiſcopus ordinatus fuit: poſtea ſub Marco Antonio, & Lucio Aurelio Commodo, igni traditus eſt; & cum ab eo minime læderetur, gladio confoſſus, martyrii coronam accepit.

(*a*) Pes, & Coſta Sancti Polycarpi Epiſcopi & Martyris, in Eccleſia Sancti Joſeph a Sanctimonialibus eidem Eccleſiæ inſervientibus magna veneratione cuſtodiuntur.

Sexto Kalendas Februarii. 27

Conſtantinopoli Sancti Joannis Epiſcopi, cognomento Chryſoſtomi, qui verbo & exemplo Chriſtianæ religioni plurimum profuit, & poſt multos labores in exilio vitam finivit (*a*).

(*a*) Eccleſiam Parœcialem Sancti Joannis Chryſoſtomi nomine inſignitam illuſtravimus Operis hujus Tom. II, in qua quidem Eccleſia colitur Os brachii ejusdem Sancti Doctoris; de cujus Reliquiis ditatur Eccleſia Societatis Jeſu. Duo vero ejus digiti integri Pollex ſcilicet, & Index dexteræ manus carne circumdati, in quibus conſpicue apparent ſulci ex nimio uſu (ut perhibent), per calamum in carne efformati, in Eccleſia S. Crucis de Judaica ad aram Sancti Athanaſii honorifice aſſervantur.

Tertio Kalendas Februarii. 30

Sancti Geminiani Epiſcopi Mutinenſis (*a*) miraculorum gloria illuſtris.

(*a*) Feſtum hujus Sancti Epiſcopi, quod in Romano Martyrologio enuntiatur die inſequenti XXXI. Januarii, Venetiis celebratur hac die etiam in Eccleſia propria Parœciali, quam alibi diximus a Narſete Eunucho Græcorum Duce fuiſſe ædificatam.

Pri-

Pridie Kalendas Februarii. 31

Translatio Sancti Marci Evangelistæ (*a*), cum sacrum ejus corpus ex Alexandria Ægypti urbe, a barbaris tunc occupata, Venetias allatum, ibidem in majori Ecclesia ejus nomine consecrata honorificentissime conditum fuit.

(*a*) Translatio hæc peracta fuit sub Justiniano Particiaco Venetorum Duce, celebratur autem Venetiis ipsius solemnis commemoratio sub ritu duplici majori.

FEBRUARIUS.

Kalendis Februarii. 1

Ravennæ Sancti Severi Episcopi (*a*), qui ob præclara merita signo columbæ fuit electus.

(*a*) Sacra est Venetiis Divo Severo Episcopo Ravennati antiqua Parœcialis Ecclesia, de qua fuse egimus Operis hujus Tom. XI.

Quarto Nonas Februarii. 2

Purificatio Beatæ Mariæ Virginis (*a*), quæ a Græcis Hypapante Domini appellatur.

(*a*) Deiparæ Virgini suæ Purificationis titulo sacra est Venetiis Parœcialis Ecclesia, quæ Sancta Maria Formosa nuncupatur, cui adnexa est una ex novem Congregationibus Cleri, de ejusdem Ecclesiæ nomine Congregatio S. Mariæ Formosæ appellata.

Tertio Nonas Februarii. 3

Sebaste in Armenia passio S. Blasii Episcopis & Martyris (*a*), qui multorum patrator miraculorum sub Agricolas Præside post diutinam cæsionem, atque in ligno suspensionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus diruptæ sunt; una cum duobus pueris capite truncatur.

Venetiis in Ecclesia Parochiali S. Joannis Baptistæ in Bragora, translatio S. Joannis Eleemosynarii (*b*) Patriarchæ Alexandrini.

Ascri-

Ascrivii in Illyrico S. Triphoni Martyris (*c*).

(*a*) Divo Blasio Sebasteno Episcopo, & Martyr sacra est Parœcialis Ecclesia, quæ os brachii sui Titularis se possidere gloriatur. Aliam habet idem Martyr Ecclesiam cum Divo Cathaldo Episcopo Tarentino communem, quæ a Sanctimonialibus Ordinis S. Benedicti excolitur in Judaica. Aliæ ipsius Reliquiæ asservantur in Lipsanotheca Ducalis Basilicæ, in Ecclesia Parochiali S. Joannis Chrysostomi, & in Templo Societatis Jesu.

(*b*) De Translatione S. Patriarchæ Joannis egimus ad Ecclesiam S. Joannis Baptistæ in Bragora, in qua quiescit.

(*c*) Festum S. Tryphonis Martyris solemniter hac die agitur sub ritu duplici 1. classis cum Octava apud Catharenses, qui de ipsius corpore, & patrocinio gloriantur. Ex sacro Sancti Tryphonis corpore abductum fuisse os brachii, & Venetias delatum alibi diximus, ubi Venetam S. Fantini Ecclesiam illustravimus. Aliud Divi Tryphonis festum celebrat Ecclesia Catharensis die x. Novembris, ex quo manifeste arguitur Tryphonem Ascrivii asservatum, illum ipsum esse, cujus natalitia recoluntur in Breviario Romano sub ritu simplici ad diem x. Novembris. Et quidem si in tormentis Martyrii enuntiandis utraque officia Romanum scilicet & Catharense conveniunt, discordant tamen in consumatione Martyrii, nam Tryphonem, quem Breviarium refert plumbatis contusum Martyrio coronatum fuisse, lectiones Catharensis Ecclesiæ asserunt diversa sententia condemnatum. Lectiones proprias S. Tryphonis Mart. die III. Febr. Ascrivii celebrandas indulsit Clemens Pp. VIII. anno 1594. die 17. Septembris, quas cum Romana Lectione comparandas exhibemus.

LECTIO IV.

„ Tryphon in Phrigia minori vico Campsade piis parenti-
„ bus natus, a prima ætate pietati usque adeo studuit, ut
„ etiam miraculis multis, & magnis adhuc puer floruerit, nam
„ & morbos varios præcibus ad Deum fusis curavit; & Dæ-
„ mones ab obsessis corporibus non raro expulsit. Ita vero
„ in hoc genere virtutis claruit, ut etiam solo Tryphonis

nomine

„ nomine audito maligni ſpiritus fugarentur: cum autem adoleviſſet, & Philippo Imperatore de medio ſublato, Deciana perſequutio in Chriſtianos ſævire cœpiſſet, tunc demum apparuit, quo conſilio Divina providentia militem ſuum jam inde a pueritia tam præclaris donis ornaſſet, & armis cœleſtibus muniviſſet.

LECTIO V.

„ Delatus igitur ad Aquilinum Præfectum Tryphon, quod non ſolum ipſe Chriſtum impenſe coleret, ſed multos præterea alios partim beneficiis curationum, partim Divina quadam eloquentia ad Chriſtianam religionem alliceret, continuo magna Præfecti diligentia quæſitus, & inventus, ſiſtitur ad Tribunal. Cum vero, ut nomen, Patriam, fortunam, & religionem ſuam edicere juberetur, intrepide reſpondit: Religione Chriſtianus ſum, nomen mihi Tryphon eſt, Patria Vicus Campſade, fortuna apud nos nec eſt, nec dicetur, qui providentia Dei cuncta credimus gubernari. Tum vero juſſu Præfecti variis tormentorum generibus excruciatus, incredibili conſtantia, & fortitudine omnia ſuperavit; primum enim ad multas horas in ligno ſuſpenſus cæditur; deinde vinctus, nudiſque pedibus per loca aſpera currere cogitur, quod ſupplicium invicto animo perferrens canebat: Perfice, Domine, greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea; tum pedes ejus acutis clavis perforantur, & ipſe nihilominus per mediam Urbem verberibus agitatur. Poſt iterum virgis cæſo faces ardentes ejus lateribus adhibentur: ad extremum capitis ſententia condemnatur.

LECTIO VI.

„ Cum igitur apud Nicæam Beatus Tryphon glorioſum Martyrium conſummaſſet, qui Nicææ erant, mundis ſindonibus, & variis aromatibus ſacras Reliquias componentes ad præſidium Urbis ſuæ eas aſportare, ac recondere cogitabant. Cæterum Sanctus Martyr per quietem apparens admonuit, ut in Patriam ſuam Campſadem corpus ſuum transferre-

„ tur, ibique ſepulturæ mandaretur, ſed cum longo tempore
„ ſacræ Glorioſi hujus Martyris Reliquiæ apud Campſadem
„ prope Civitatem Apameam, ut ipſe mandaverat, quieviſ-
„ ſent, placuit tandem Divinæ Providentiæ tantum Theſau-
„ rum cum Italia communicare. Itaque Veneta Navi aſpor-
„ tatum, atque apud Catharum Dalmatiæ urbem depoſitum,
„ vicini omnes populi magna celebritate colunt.

Nonis Februarii. 5

Catanæ in Sicilia natalis Sanctæ Agathæ Virginis, & Martyris (*a*), quæ poſt mammillarum abſciſſionem, poſt volutationem in teſtulis, & carbonibus, tandem in carcere Deum præcando conſummata eſt.

(*a*) Os brachii Divæ hujus Martyris translatum fuit ex Urbe Conſtantinopoleos Venetias ſub Henrico Dandulo Duce, atque in ea Eccleſia locatum, quæ olim Divæ ipſius Agathæ, nunc vero Sancti Ubaldi nuncupatur, cujus quidem Eccleſiæ Sancta Martyr eſt contitularis.

Octavo Idus Februarii. 6

Cæſareæ in Cappadocia natalis Sanctæ Dorotheæ Virginis, & Martyris (*a*), quæ ſub Sapricio illius Provinciæ Præſide capitali ſententia punita eſt.

(*a*) Ex S. Rituum C. indulto colitur S. Dorothea V. M. Venetiis officio Eccleſiaſtico ſub ritus ſemiduplici ob ſacrum ipſius Brachium, quo ditatur Eccleſia Parœcialis SS. Simonis, & Judæ Apoſtolorum.

Septimo Idus Februarii. 7

Sancti Romualdi Abbatis, Monachorum Camaldulenſium Patris (*a*), cujus dies natalis agitur tertiodecimo Kalendas Julii. Heracleæ Sancti Theodori ductoris militum (*b*), qui Licinio imperante, poſt multa tormenta truncatus capite, victor migravit in cœlum.

(*a*) Divus Romualdus Abbas, cujus os in Eccleſia S. Clementis Eremitarum Camaldulenſium aſſervatur, prima Eremitici ſui inſtituti exordia in finibus Venetorum diſpoſuit, mox in Cuxanenſis Monaſterii clauſtris Divo Petro Urſeolo ſpiritualis vitæ Dux fuit, & Magiſter.

(*b*) De Divo Theodoro Heracleensi Martyre agitur Venetiis die IX. Novembris, cur autem ejus festivitas ad eam diem alligetur, disseruimus Tom. II. ad Ecclesiam S. Salvatoris, in qua venerandum ipsius corpus jacet.

Sexto Idus Februarii. 8

Beati Hieronymi Æmiliani Confessoris Patritii Veneti, & Congregationis Clericorum Regularium de Somascha Fundatoris (*a*).

(*a*) Post eximia virtutum exempla Venetiis edita, ubi pium colligendi orphanos institutum incœpit, Beatus Hieronymus Somaschæ obdormivit in Domino, quo ex loco insignis ejus Reliquia ad Ecclesiam S. Mariæ de Salute translata fuit.

Quarto Idus Februarii. 10

Apud Montem Cassinum Sanctæ Scholasticæ Virginis (*a*), sororis Sancti Benedicti Abbatis.

(*a*) Contitularis est hæc Sancta Virgo Ecclesiæ Parœcialis Divo Benedicto ejus Fratri dicatæ, Sacellum etiam habet in confinio Sancti Joannis Novi, eo nempe in loco, ubi pridem Ecclesia sub ipsius Virginis nomine extructa fuerat, quam ex Danduli chronico novimus anno 1105. ex incendio conflagrasse.

Idibus Februarii. 13

Ravennæ Sanctarum Fuscæ Virginis (*a*), & Mauræ nutricis ejus, quæ, Decio imperante, multa sub Quinctiano Præside perpessæ, demum gladio transfixæ martyrium consummarunt.

(*a*) Divæ Fuscæ Virginis, & Martyris officium proprium ex S. Rituum C. indulto celebratur hac die Venetiis sub ritu duplici minori, tum ob Parœcialem Ecclesiam eidem Divæ Martyri dedicatam, tum ob insignem ipsius Reliquiam in ipsamet Ecclesia honorifice asservatam.

Quartodecimo Kalendas Martii. 16

Cumis in Campania Translatio Sanctæ Julianæ Virginis, & Martyris (*a*), quæ Nicomediæ varie cruciata, demum flam-

mas ignium, & ollam ferventem superans capitis decollatione Martyrium consummavit.

(*a*) Ecclesia Parœcialis S. Pantaleonis veluti contitularem veneratur S. Julianam Virginem Nicomediensem, cujus insignes aliquas Reliquias ab immemorabili tempore possidet.

Undecimo Kalendas Martii. 19

Inventio corporis S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani & Confessoris (*a*), quod e Constantinopoli devectum Venetiis in Ecclesia S. Georgii Majoris collocatum fuit.

(*a*) Agitur festum hoc sub ritu duplici 2. classis in Ecclesia S. Georgii Majoris, ubi venerandum S. Patriarchæ corpus quiescit, in Veneta autem Urbe sub ritu semiduplici celebratur.

Sexto Kalendas Martii. 24

In Judæa natalis Sancti Mathiæ Apostoli (*a*), qui pro Evangelii prædicatione martyrium passus est.

(*a*), Ex Dyrrachio Urbe a Turcis occupata Brundusium primo, mox Venetias ad Ecclesiam Sancti Dominici translatum fuit cum aliis reliquiis etiam brachium S. Mathiæ Apostoli, argentea theca in modum brachii efformata, inclusum.

MARTIUS.

Kalendis Martii. 1

Heliopoli Sanctæ Eudociæ Martyris (*a*), quæ in persecutione Trajani, percussa gladio, martyrii coronam accepit.

(*a*) E Zacintho Insula deportata fuit Venetias, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Humilitate collocata manus dextera Sanctæ Eremitæ & Martyris Eudociæ, cum omnibus suis digitis & articulis, usque ad lacerti connexionem.

Octavo Idus Martii. 8

Granatæ in Hispania Sancti Joannis de Deo, Ordinis Fratrum Hospitalitatis infirmorum institutoris, misericordia in pauperes & sui despicientia celebris (*a*).

(*a*) Os integrum Sancti Joannis de Deo in Ecclesia S. Mariæ titulo Rosarii Ordinis Prædicatorum asservatur, quod Clementis X. munere acceptum religioso Fratrum cœtui obtu-

obtulit Jo. Baptista Nani Eques Venetus in Romana Curia Orator.

Sexto Idus Martii. 10

Apud Sebastem Armeniæ Urbem Sanctorum Quadraginta Mart. (*a*). Item Sancti Crescentionis Martyris, cujus corpus Venetias translatum est, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Salute collocatum (*b*).

(*a*) Ad hos Martyres pertinere dicuntur, tum corpus S. Melithonis assertum, & in Ecclesia Xenodochii S. Lazari Mendicantium asservatum, tum alia ossa, quæ per varias Urbis Ecclesias coluntur; cum autem eorum corpora combusta, & in cineres redacta dicantur, sacras hasce reliquias potius ad alios XL. Romæ sub Galieno martyrio coronatos spectare verisimilius dicerem.

(*b*) Sepulcralem epigraphen Sancti Crescentionis attulimus, & illustravimus Operis hujus Tom. IX. pag. 19. Colitur autem in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Salute hac die sub ritu duplici.

Quarto Idus Martii. 12

Romæ Sancti Gregorii Papæ, & Ecclesiæ Doctoris eximii (*a*), Constantinopoli Sancti Theophanis (*b*), qui pro cultu sacrarum imaginum in Samothraciam deportatus, ibidem ærumnis confectus, reddidit spiritum, multisque miraculis claruit.

(*a*) De hujus Sancti Pontificis titulo nominatur Ecclesia Abbatialis, & Parœcialis, quam illustravimus Operis hujus Tom. IX.

(*b*) Caput S. Theophanis Martyris asservatur in Ecclesia Monialium S. Crucis de Judaica, quod verisimile ad eum Theophanem pertinere, de quo agunt Latini, & Græci hac die, licet enim in Martyrologio Romano Martyr non enuntietur, tamen hoc titulo dignissimus apparet, cum in exilium pro fidei veritate pulsus, ibidem ærumnis confectus, vitam finierit.

Sextodecimo Kalendas Aprilis. 17

Constantinopoli Sancti Pauli Martyris, qui sub Constantino Copronymo, cum Sanctarum Imaginum cultum defenderet, igne combustus est (*a*).

(*a*) Agit hac die Martyrologium Romanum de S. Paulo M., cui consentit Græcorum Menologium; at cum Martyrium

die

die VIII. Julii consumasse tradatur, ad eam diem festum ejus alligant Urbis Venetæ, & Monasterii Sancti Georgii Majoris Tabulæ.

Quartodecimo Kalendas Aprilis. 19

In Judæa natalis Sancti Joseph (*a*) Sponsi Beatissimæ Virginis Mariæ.

(*a*) Geminas habet Venetiis Ecclesias S. Joseph a Sanctimonialibus Ordinis S. Augustini excultas, quarum una in regione Castelli posita ex sui Titularis nomine S. Joseph appellatur, altera vero in confinio SS. Gervasii, & Protasii ædificata ex rigidiore Monialium instituto *Le Romite* vulgo nuncupatur.

Duodecimo Kalendas Aprilis. 21

In monte Cassino natalis Sancti Benedicti Abbatis, qui Monachorum disciplinam in Occidente pene collapsam restituit (*a*).

(*a*) Divus Benedictus Venetiis habet Parœcialem Ecclesiam, quam Monachi Cistercienses primum, mox Canonici Regulares S. Spiritus tenuerunt, quæque sacris ipsius Sanctissimi Monachorum Patriarchæ reliquiis decoratur.

Octavo Kalendas Aprilis. 25

Annuntiatio Beatissimæ Genitricis Dei Mariæ (*a*).

(*a*) Venetiis sub ritu duplici Primæ Classis agitur festum Sanctissimæ Virginis Annuntiatæ præcipuæ Urbis patronæ, cui sacra est Ecclesia Parœcialis Sancta Maria Jubanico nuncupata.

Quarto Kalendas Aprilis. 29

In Urbe Astensi S. Secundi Martyris (*a*).

(*a*) De Secundo Astensi Martyre agitur Venetiis Kalendis Junii, ea nempe die, qua in Martyrologio Romano memoria affertur S. Secundi Martyris Amerini.

APRI-

APRILIS.

Quarto Nonas Aprilis. 2

Sancti Francisci de Paula, Ordinis Minimorum institutoris (*a*), quem virtutibus, & miraculis clarum Leo Decimus Sanctorum numero adscripsit.

Cesareæ in Palestina passio Sanctæ Theodosiæ Virginis Tyriæ (*b*), quæ persecutione Gallerii Maximiani lateribus & mammis ad interiora usque dilaniatis, in mare projicitur.

In Palæstina depositio Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ (*c*), quæ peccatrix appellatur.

(*a*) Ecclesia Ordinis Minimorum, Divo Bartholomæo Apostolo dedicata, S. Francisci de Paula, qui contitularis est, nomine passim appellatur, ob ingentem populi devotionem, & Reliquias Sancti Thaumaturgi ibidem asservatas.

(*b*) Quali fervore olim apud Venetos viguerit Sanctæ Theodosiæ cultus ostendimus ad Ecclesiam S. Thomæ Apostoli, quæ ejusdem Divæ Martyris reliquiis decoratur. Consule Bollandiani operis continuatores Tom. I. Aprilis ad diem II.

(*c*) Admirabilis pœnitentis crus integrum carne & pelle nigrescentis coloris coopertum colitur in Ecclesia S. Nicolai de Litore Monachorum Cassinensium, qui ejusdem Divæ officium celebrant hac die sub duplici ritu.

Quinto Idus Aprilis. 9

In Judæa Sanctæ Mariæ Cleophæ, sororis Sanctissimæ Dei genitricis Mariæ (*a*).

Antiochiæ Sancti Prochori (*b*), qui fuit unus de septem primis Diaconis; & fide ac miraculis clarus, martyrio coronatus est.

(*a*) Sanctæ hujus mulieris, cujus laus est in Evangelio, sacrum caput colitur in Ecclesia S. Mariæ Servorum, ut notavit in suo *De Situ Urbis* libro Marcus Antonius Sabellicus, ejusque Officium ibidem hac die quotannis festive peragitur sub ritu duplici. Pars aliqua ejus corporis quiescit in Ecclesia Monialium S. Andreæ Apostoli; duas vero ipsius Costas obtinuerunt Moniales Cœnobii S. Ludovici.

(*b*) In Ecclesia Sancti Sebastiani Eremitarum Congregationis Bea-

Beati Petri de Pisis asservatur os integrum Sancti Prochori Diaconi, & Martyris.

Decimooctavo Kalendas Maii. 14

Romæ via Appia Sanctorum Martyrum Tyburtii, Valeriani & Maximi (*a*), qui ob fidei confessionem fustibus cæsi, gladio percussi sunt.

(*a*) Insignes Sanctorum Tiburtii, & Valeriani Martyrum reliquiæ asservantur in Ecclesia Parœciali S. Benedicti Abbatis.

Sextodecimo Kalendas Maii. 16

Venetiis Translatio S. Isidori Martyris ex Chio Insula (*a*).

(*a*) Jacet Venetiis sacrum Divi Isidori corpus in Ducali Divi Marci Basilica, quod solemni supplicatione indicta invisere quotannis hac die tenentur Dux, & Senatus ob præservatam a nefaria Marini Faledri Ducis conjuratione Reipublicæ libertatem. Translationis officium sub ritu duplici celebrat Sæcularis & Regularis Clerus, qui ad sepulcrum Martyris gratias acturi annuatim accedunt.

Tertiodecimo Kalendas Maii. 19

Romæ S. Leonis Papæ IX. virtutum, & miraculorum laude insignis (*a*).

(*a*) Divo Leoni Papæ IX. paucis ab ejus obitu elapsis annis dedicata fuit Ecclesia Parœcialis, quæ olim sub S. Catharinæ nomine dedicata erat.

Duodecimo Kalendas Maii. 20

Venetiis in Monasterio S. Georgii Majoris Translatio Corporis S. Cosmæ Eremitæ & Confessoris (*a*).

(*a*) De hac Translatione agunt hac die Tabulæ ejusdem Monasterii, in quo recolitur sub ritu semiduplici.

Nono Kalendas Maii. 23

Natalis Sancti Georgii Martyris (*a*); cujus illustre martyrium inter coronas Martyrum Ecclesia Dei veneratur.

Venetiis Translatio B. Petri Acotanti (*b*), cujus corpus septem a depositione translatis lustris mirabiliter inventum

ad

ad Ecclesiam Sancti Basilii, magno cum populi concursu deductum fuit.

(*a*) Tres Venetiis præclarissimus Martyr Georgius habet Ecclesias suo nomini dedicatas, quarum prima olim de jure Ducalis Capellæ in possessionem devenit Monachorum Sancti Benedicti, qui Titularis sui Cranium, & Os brachii se obtinuisse gloriantur. Altera, quæ Sanctus Georgius de Alga vulgo nuncupatur, a Congregatione Canonicorum Regularium Sancti Georgii de Alga olim possessa, novissimis hisce temporibus, post deletam eamdem Congregationem, Fratribus Carmelitis Excalceatis tradita fuit. Tertia demum a natione Græcorum ædificata Divinis Officiis Græco ritu peragendis frequentatur. Os alterum Brachii hujusce Sancti Martyris, ut notat Dandulus, ad Ducalis Basilicæ lipsanothecam translatum fuit. Sancti Mart. festum inter solemnitates Venetæ Urbis adscribi jussit Majus Consilium sequenti Decreto.

MCCCVII. Die III. Junii.

In Majori Consilio.

„ Cum Festum Sancti Georgii per universum mundum so-
„ lemniter celebretur, & hactenus per Consilium de XL. fue-
„ rit captum. Vadit pars, quod ipsum Festum S. Georgii
„ sit de cætero solemne, & si Consilium est contra, re-
„ vocetur.

(*b*) Inventionis, & Translationis historiam dedimus Operis hujus Tom. I. pag. 96.

Septimo Kalendas Maii. 25

Alexandriæ natalis Beati Marci Evangelistæ (*a*), qui pro fide Christi tentus, funibus vinctus, & per saxa raptatus, graviter afflictus est: deinde ipso Domino sibi apparente, ad cœlestia regna vocatus est octavo Neronis anno.

Alexandriæ Sancti Aniani Episcopi (*b*), qui Beati Marci discipulus, ejusque in Episcopatu successor, clarus virtutibus quievit in Domino. Antiochiæ Sancti Stephani Episco-

pi & Martyris, qui ab hæreticis multa passus, in Orontem fluvium præcipitatus est (*c*).

(*a*) De Ducali Sancti Marci Basilica, deque sacris ejusdem Evangelistæ lipsanis in ea quiescentibus fuse disseruimus, ubi eamdem Basilicam illustravimus. Sacrum Divo Marco est insigne Sodalitium inter Urbis majora adnumeratum.

(*b*) De S. Aniano Alexandriæ Episcopo festum agitur Venetiis die II. Decembris; qua die memoriam ejus Venetiis quiescentis iterum enuntiabimus.

(*c*) In Ecclesia Monialium Tertii Ordinis Sancti Francisci, S. Sepulcrum vulgo nuncupata, asservatur integrum Os S. Stephani Episcopi Antiocheni & Mart.

Quarto Kalendas Maii. 28

Ravennæ natalis Sancti Vitalis Mart. (*a*), qui post equulei tormenta jussus est deponi in profundam foveam, & terra ac lapidibus obrui; talique Martyrio migravit ad Christum. Venetiis Beatæ Claræ de Bugnis Virginis (*b*), quæ sanctitate & miraculis floruit in Monasterio Sancti Sepulcri Tertii Ordinis S. Francisci.

(*a*) Ecclesiam, quæ Parœcialis est D. Vitali Mart. sacra, Venetiis erigi mandavit Vitalis Faledro Dux; prout notavimus Tom. III. pag. 383.

(*b*) Hac die de Beata Clara de Bugnis Virgine, agit Arturus in Martirologio Seraphico; Fortunatus vero Uhueberus ipsam enuntiat in Menologio Franciscano ad diem XIII. Octobris.

Tertio Kalendas Maii. 29

Mediolani Sancti Petri Martyris Ordinis Prædicatorum ab Hæreticis ob fidem catholicam interempti (*a*). Item S. Leonis Episcopi Samos & Conf. (*b*), cujus corpus ex ipsa Samo ablatum, Methamaucum primo, mox Venetias translatum fuit, ubi in Ecclesia S. Mariæ de Humilitate requiescit.

(*a*) Digitus S. Petri Mart. Ordinis Prædicatorum ornatissimo tabernaculo inclusus asservatur ad aram Sacrarii in Ecclesia Sanctorum Joannis, & Pauli.

(*b*) De S. Leone Episcopo Samos, deque ejus translatione diximus Operis hujus Tom. V. pag. 90.

Pri-

Pridie Kalendas Maii. 30

Romæ S. Catharinæ Virg. (*a*) Senensis Ordinis S. Dominici, vita, & miraculis claræ.

Venetiis in Monasterio S. Mariæ Servorum, Beati Bonaventuræ Tornieli Forolivienfis ejusdem Ordinis (*b*), cujus corpus Utino, ubi pie obierat, Venetias translatum ad Aram Sacrarii collocatum fuit.

(*a*) Pedem integrum, & carne pelleque circumdatum Divæ Catharinæ Senensis Virginis possident Fratres Prædicatores Monasterii Sanctorum Joannis & Pauli; Digitus vero carne coopertum, & integræ vestis cum velo hujus Seraphicæ Virginis asservantur in altera Ordinis Prædicatorum Ecclesia Divo Dominico dedicata.

(*b*) De eo fuse disseruimus Tom. II. pag. 34.

M A J U S.

Kalendis Maii. 1

Natalis Beatorum Apostolorum Philippi & Jacobi, ex quibus Philippus apud Hierapolim cruci affixus, & lapidibus obrutus glorioso fine quievit; Jacobus vero Jerosolymorum Episcopus e pina Templi præcipitatus, confractis cruribus, ac fullonis fuste in cerebro percussus interiit (*a*).

In Ægypto Sancti Jeremiæ Prophetæ (*b*), qui a populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit.

Seduni in Gallia passio S. Sigismundi Regis Burgundionum, qui in puteum demersus occubuit, ac postea miraculis claruit (*c*).

(*a*) Quæ Primicerii ædibus adhæret Ecclesia SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, olim a Benedictinis Ascetis exculta fuit. In ea sacrum caput asservatur, quod ad Divum Jacobum Minorem Apostolum spectare antiqua traditio ejusdem Ecclesiæ testatur. Insignis e corpore Divi Jacobi Minoris Apostoli portio, sub ara Dominicæ Nativitatis jacere novimus in Ecclesia Sancti Georgii Majoris. Ossa aliqua Sancti Philippi extant in Basilica Ducali.

(*b*) Parœcialis Ecclesia Divo Jeremiæ Prophetæ sacra sui Titula-

tularis dentem vestemque honorifice asservat, cujus etiam crus incorruptum extat in Ecclesia S. Antonii Abbatis Canon. Regul. S. Salvatoris.

(c) Brachio S. Sigismundi Regis, & Martyris ditatur Ecclesia Parœcialis S. Apollinaris.

Sexto Nonas Maii. 2

Octava S. Marci Evangelistæ.

Alexandriæ Natalis S. Athanasii ejusdem Urbis Episcopi (a) sanctitate, & doctrina clarissimi, qui post multos agones multasque patientiæ coronas migravit ad Dominum.

(a) S. Athanasii Doctoris sacrum & incorruptum corpus, capite carens, jacet in Ecclesia Monialium S. Crucis de Judaica, ejus tamen festum ob concurrentiam octavæ Sancti Marci celebratur Venetiis die xi. Maii. Caput hujusce Sancti Doctoris apud se asservari gloriabantur Moniales S. Hieronymi, quod postea fatalis incendii clade consumptum fuit.

Quinto Nonas Maii. 3

Jerosolymis Inventio sacrosanctæ Crucis Dominicæ, sub Constantino Imperatore (a).

(a) Dominicæ Crucis, plurimas & insignes portiones præ cæteris Orbis Christiani civitatibus possidet Urbs Venetiarum, quarum suis locis, & præcipue ad Ducalem Basilicam mentionem egimus. Ipsius vivifici ligni titulo decorantur Ecclesiæ Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti in Judaica, & Clarissarum Virginum de Luprio, eique pariter sacrum est sacellum nationis Armenaorum non longe ab Ecclesia S. Juliani ædificatum.

Quarto Nonas Maii. 4

Apud Ostia Tiberina natalis Sanctæ Monicæ matris B. Augustini, cujus ille præclaram vitam in libro nono Confessionum testatam reliquit (a).

(a) Diva hæc contitularis est ejus Ecclesiæ, quam Venetiis habet Sanctus Doctor Augustinus ejus filius.

Pridie Nonas Maii. 6

Romæ Sancti Joannis ante portam Latinam (*a*), qui Romam perductus, & in olei ferventis dolium missus, purior & vegetior inde exiit, quam intravit. Damasci natalis B. Joannis Damasceni sanctitate & doctrina celebris (*b*), qui pro cultu sanctarum imaginum strenue decertavit: cum vero ei dextera manus amputata fuisset, imagini Beatæ Mariæ Virginis, quam defenderat, seipsum commendans, protinus dexteram integram sanamque recepit.

(*a*) Parœcialis Ecclesia Sanctus Joannes Novus nuncupata Titulo Martyrii Sancti Joannis Evangelistæ Deo sacra est.

(*b*) Digitus Sancti Joannis Damasceni in lipsanotheca Ecclesiæ Sancti Georgii Græcorum asservatur, prodigiosa autem Deiparæ imago, quæ præcisam eidem Divo dexteram reddidit, illa est (ut ex traditione accepimus), quam populorum religio in Sacello Sanctæ Mariæ de Pace nuncupato apud SS. Joannis & Pauli Ecclesiam summa populorum, & præcipue Græcorum veneratione colitur.

Septimus Idus Maii. 9

Nazianzi natalis Beati Gregorii Episcopi, ob singularem divinarum rerum doctrinam cognomento Theologi (*a*).

(*a*) Sancti Gregorii Eremitæ corpus in Ecclesia S. Zachariæ quiescens perperam ex sola homonymia Divo Gregorio Nazianzeno tribuitur, cujus nonnullæ Reliquiæ coluntur hac die in Ecclesiis Sancti Lucæ Evangelistæ, Sancti Ludovici Episcopi, & Sanctæ Mariæ Societatis Jesu.

Sexto Idus Maii. 10

In terra Hus S. Job Prophetæ (*a*) admirandæ patientiæ viri.

Romæ via Latina natalis Sanctorum Martyrum Gordiani, & Epimachi (*b*).

Apud Tarentum Sancti Cataldi Episcopi miraculis clari (*c*).

Item Translatio Corporum SS. Cosmæ & Damiani Mart. (*d*) ad Ecclesiam S. Georgii Majoris Venetiarum.

(*a*) Nomine Sancti Job extat in regione Canalis Regii Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia.

(b) Sacra Divorum Gordiani & Epimachi capita, atque ossium fragmenta plurima quiescunt in Ecclesia Parœciali S. Paterniani.

(c) Sanctimoniales Ordinis S. Benedicti in extremo Judaicæ angulo degentes Ecclesiæ suæ Titulares habent Divos Blasium Sebastenum, & Cataldum Tarentinum Episcopos.

(d) Translationis hujusce festum celebratur sub ritu Semiduplici in Ecclesia Sancti Georgii Majoris, ut in ipsius tabulis notatur.

Quarto Idus Maii. 12

Romæ via Ardeatiana Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei fratrum (a), qui gravissimis verberibus equuleo & flammis cruciati novissime capite cæsi sunt.

Ibidem via Aurelia Sancti Pancratii Mart. (b), qui martyrium capitis obtruncatione complevit.

(a) Corpora horum Fratrum, seu magnam corporum partem ex urbe Romana ad se devenisse, asserunt ex traditione Moniales S. Zachariæ, nullum tamen ostendunt seu donationis, seu translationis documentum.

(b) Potior pars corporis Sancti Pancratii pueri Martyris ex Benedicti Papæ III. munere ad Ecclesiam S. Zachariæ devenit, uti diximus ad ipsam Ecclesiam illustratam.

Pridie Idus Maii. 14

Venetiis in Monasterio S. Georgii Majoris Translatio S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, & Confessoris (a). Item Methone in Peloponneso S. Barbari militis & martyris (b), cujus corpus a Felicio Episcopo Methone sepultum est, at Venetias deinde translatum in Ecclesia S. Laurentii requiescit.

(a) Translationem hujusce Sancti Præsulis sub ritu duplici in Ecclesia S. Georgii Majoris quotannis celebrari tabulæ ipsius Ecclesiæ testantur.

(b) Sancti Barbari Martyris solemnitas celebratur hac die officio proprio & ritu duplici in Ecclesia S. Laurentii, in quo jacet; Clerus autem Vetus festum ejus agit sub ritu semiduplici de Communi.

Idibus Maii. 15

In Insula Chio natalis Beati Isidori Martyris (*a*), in cujus Basilica extat puteus, in quem fertur fuisse injectus, de cujus aqua infirmi sæpius potati sanantur.

(*a*) Venetiis Translatio hujus Sancti Martyris agitur die XVI. Aprilis sub ritu duplici.

Decimoseptimo Kalendas Junii. 16

Eugubii S. Ubaldi Episcopi (*a*) miraculis clari.

Burdigalæ in Aquitania depositio Beati Simonis cognomento Stok Confessoris, Ordinis Carmelitarum (*b*) miraculis clari.

(*a*) Quæ olim Divæ Agathæ sacra erat Venetiis Parœcialis Ecclesia, fluxu deinde temporis in Sancti Ubaldi titulum transiit.

(*b*) Os magnum & integrum S. Simonis Stok Carmelitæ Confessoris, ex Burdigalensi Urbe eductum, & authenticis litteris munitum Ecclesiæ Venetæ Carmelitarum anno 1621. die XI. Septembris dono misit Gregorius Canalis totius Ordinis Carmelitarum Prior Generalis.

Quartodecimo Kalendas Junii. 19

S. Joannis Ducis Alexandriæ & Martyris, cujus corpus ex Urbe Constantinopoli Venetias translatum est, atque in Ecclesia S. Danieles honorifice collocatum (*a*).

(*a*) Sancti Joannis Mart. Translationem attulimus ex Chronico Danduli ad Monasterium S. Danielis, in cujus Ecclesia summa veneratione asservatur; Festum ejus hac die agitur ob corporis translationem anno 1637. peractam de humiliori ad ornatiorem locum, in quo nunc jacens conspicitur. Translationem hanc solemni pompa celebratam fuisse testatur, (quod exhibemus) S. C.

MDCXXXVII. VIII. Maggio.

In Pregadi.

„ Dovendosi alli 17. del presente far la Translazione del cor-
„ po del Miracoloso Santo Gio. Martyre Duca di Alessan-
„ dria, che si ritrova nella Chiesa di S. Daniel di questa

Cit-

„ Città, dal luoco ove ripossa al presente quel Santissimo
„ Corpo in altro più decente nella stessa Chiesa, e dovendo concorrere alla Processione per la solennità, ed in onore di così Veneranda Reliquia il Venerando Clero, e Regolari di questa Città, conviene all'ordinaria pietà, e Religione della Republica dar ordine di comodo conveniente per la detta Processione, come ne è stata fatta l' istanza nel Collegio Nostro, sia però comesso alli Provveditori, e Patroni all'Arsenal, che debbino dar ordine a chi spetta di formar sopra il Rio di S. Daniel un Ponte con le solite Peate, e Scale, affine che l'opera così pia, e Religiosa resti in tal modo perfezionata ad onor di Sua Divina Maestà, e di quel Glorioso Santo.

Nono Kalendas Junii. 24

Venetiis in Monasterio S. Georgii Majoris Translatio corporis S. Pauli Mart. (*a*) In Istria Sancti Servilii Mart. (*b*).

(*a*) Peracta fuit hæc Translatio die 21. hujus mensis, attamen ejus memoria ad hanc diem sub ritu semiduplici celebranda assignata fuit, quia dies 22. impedita reperitur Officio duplici S. Romani Abbatis.

(*b*) Sub invocatione Divi Servilii Mart. sacra Deo sunt Templum & Xenodochium, quod Monachorum primo, mox Sanctimonialium celebre Cœnobium fuit. Sancti Servilii Crus ex Istria ad Insulam sui nominis primum, ac deinde ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Humilitate translatum fuit.

Octavo Kalendas Junii. 25

Venetiis in Monasterio S. Nicolai de Litore Translatio corporum S. Nicolai Magni, Nicolai Avunculi, & Theodori Martyris Episcoporum Myrensium, quæ ab Henrico Contareno Episcopo Castellano Myra Lyciæ deducta Venetias translata fuerunt.

(*a*) Sacrorum pignorum Translationem ex antiquis monumentis ostendimus, ubi ipsam Sancti Nicolai de Litore Ecclesiam illustravimus.

Sexto

Sexto Kalendas Junii. 27

Natalis Sancti Joannis Papæ, & Martyris (*a*), qui a Theodorico Italiæ Rege Ariano Ravennam evocatus, ibique propter Orthodoxam fidem in carcere diu maceratus, vitam finivit.

(*a*) Natalitia S. Joannis Papæ, & Martyris solemni officio celebrant Cœnobitæ S. Mariæ Servorum de Venetiis ob venerandum ipsius Martyris caput ab Urbe Roma concessione Pontificis ad suam Ecclesiam devectum.

Pridie Kalendas Junii. 31

Aquilejæ Sanctorum Martyrum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ fratrum (*a*), qui ob christianæ fidei constantiam una cum pedagogo suo Proto capite plexi sunt.

Forolivii Beati Jacobi Salamonii Patritii Veneti Ordinis Prædicatorum (*b*) virtutibus, & miraculis gloriosi.

(*a*) Sanctorum Cantiani, & Sociorum Martyrum, quibus Ecclesia Parœcialis dedicata est, celebratur Venetiis Officium proprium sub ritu duplici ex concessione S. Rituum C. Ipsorum nomine insignitur una ex novem Cleri Congregationibus.

(*b*) Solemnitas Beati Jacobi Salamonii Venetiis ob concurrentiam Officii SS. Cantiani & Soc. Martyrum alligata fuit ad diem II. Junii.

J U N I U S.

Kalendis Junii. 1

Venetiis memoria S. Secundi Mart. (*a*).

(*a*) Celebratur hac die Venetiis festum S. Secundi Martyris, cui sacra est Ecclesia Monasterii in Insula Fratrum Ordinis Prædicatorum de Observantia; In ea Ecclesia S. Secundi Martyris corpus jacet, quem in Urbe Astensi Martyrium subiisse, & ex ea deinde Venetias deductum fuisse, antiqua traditio refert. De eo fuse disseruimus Operis hujus Tom. VI. Cur autem hac die, quæ Divo Secundo Amerino Martyri sacra est, Officium Divi Secundi Astensis Venetiis celebretur, ignoramus.

Quarto Nonas Junii. 2

Venetiis depositio Beatæ Euphemiæ Justinianæ Virginis, & Abbatissæ in Monasterio S. Crucis de Judaica (*a*).

(*a*) Admirabilem clarissimæ hujus Virginis vitam dedimus Operis hujus Tom. 1. pag. 40.

Tertio Nonas Junii. 3

Venetiis in Monasterio S. Georgii Majoris Translatio corporis Sancti Stephani Protomart. (*a*)

(*a*) Translationem S. Stephani hac die officio Ecclesiastico colunt sub ritu Semiduplici Monachi Sancti Georgii Majoris Venetiarum.

Septimo Idus Junii. 7

Constantinopoli natalis Sancti Pauli ejusdem civitatis Episcopi (*a*), qui Arianorum insidiis crudeliter strangulatus, ad cœlestia regna migravit.

(*a*) Honorifice asservatur corpus hujusce Sancti Præsulis in Ecclesia Monialium S. Laurentii ad ipsius magnificam aram; Officium autem ejus hac die Venetiis celebratur sub ritu Semiduplici.

Tertio Idus Junii. 11

Natalis Sancti Barnabæ Apostoli (*a*), qui Apostolatum suum glorioso Martyrio decoravit.

(*a*) Obtinet Venetiis S. Barnabas Apostolus Ecclesiam Parœcialem novissimis hisce temporibus a fundamentis reædificatam.

Pridie Idus Junii. 12

In Ægypto S. Onuphrii Anachoretæ (*a*), qui magnis virtutibus ac meritis clarus migravit in Cœlum.

(*a*) Digitus S. Onuphrii ex Oriente delatus in Ecclesia Sancti Joannis Chrisostomi repositus fuit.

Idibus Junii. 13

Patavii Sancti Antonii Lusitani Confessoris, Ordinis Minorum, vita, & miraculis ac prædicatione illustris (*a*).

(*a*) Insignis Sancti Thaumaturgi Reliquia, os nempe brachii, ex Sacrario Patavino Senatus Veneti Decreto Venetias translata fuit, & ad eam aram collocata, quam ipsi Reipublicæ

reli-

religio magnificentissime dedicata. Tanta autem est Venetorum erga Divum Antonium pietas, ut in omnibus ferme Ecclesiis eidem ara dedicata inveniatur.

Decimooctavo Kalendas Julii. 14

Cesareæ in Cappadocia ordinatio Sancti Basilii Episcopi (*a*), doctrina & sapientia insignis.

Samariæ in Palæstina S. Elisei Prophetæ (*b*).

(*a*) Ecclesiam Venetiis habet Sanctus Basilius Episcopus Parœcialem: ejus autem manus asservatur in Ecclesia S. Georgii nationis Græcorum e Constantinopoli delata.

(*b*) Os coxæ Sancti Elisei Prophetæ colitur, & ostenditur in Ecclesia Carmelitarum antiquæ observantiæ.

Decimoseptimo Kalendas Julii. 15

In Lucania apud Silarum flumen natalis Sanctorum Martyrum Viti, Modesti, atque Crescentiæ (*a*), qui post bestias & catastas divina virtute superatas, cursum gloriosi certaminis peregerunt.

(*a*) Horum Sanctorum Martyrum titulo decoratur Parœcialis Ecclesia, quam supplices quotannis adeunt Princeps & Senatus gratias Domino reddituri ob liberatas ab infanda Bajamontis Theupoli conjuratione Urbem & Rempublicam.

Sextodecimo Kalendas Julii. 16

Tarsi in Cilicia Sanctorum Martyrum Quirici (*a*), & Julitæ matris ejus sub Diocletiano Imperatore.

(*a*) Inter multa Sanctorum lipsana, quibus affluit Ecclesia S. Simeonis Prophetæ, custoditur honorifice brachium Sancti Quirici pueri & Martyris.

Quintodecimo Kalendas Julii. 17

Venetiis Beati Petri de Pisis Congregationis Eremitarum S. Hieronymi Fundatoris (*a*), qui in ea Urbe plenus dierum ac meritorum evolavit ad Cœlum.

(*a*) De Beati senis sepultura fuse egimus ad Monasterium S. Hieronymi Tom. II. pag. 116. ipsiusque merita non semel in hoc opere enuntiavimus.

Quartodecimo Kalendas Julii. 18

Alexandriæ passio Sanctæ Marinæ Virginis (*a*).

(*a*) Hæc Virgo illa ipsa est, quæ, (ut scribit Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum) sub virili habitu Monasticam exercuit disciplinam. Venetiis, ubi Ecclesiam habet sacro ipsius corpore divitem, celebratur ejus festum sub ritu duplici die 17. Julii, quæ dies Translationis ejus est.

Tertiodecimo Kalendas Julii. 19

Mediolani Sanctorum Gervasii, & Protasii fratrum, ex quibus priorem tamdiu jussit Astasius Judex plumbatis cædi, quousque spiritum exhalaret; sequentem vero fustibus cæsum capite truncari (*a*).

(*a*) Sanctorum Gervasii & Protasii Martyrum nomine insignitur Venetiis Ecclesia Parœcialis.

Decimo Kalendas Julii. 22

In monte Ararath passio Sanctorum Martyrum decem millium crucifixorum (*a*).

(*a*) Plurima horum Martyrum ossa Venetiis quiescunt in Ecclesia S. Mariæ ad Cœlestia, ipsorum autem apparitionem Abbati S. Antonii de Castello factam enarravimus, ubi ipsum Divi Antonii Monasterium illustratum dedimus Tom. IV. Alia etiam ipsorum Martyrum lipsana coluntur in Ecclesiis Parœciali Sancti Silvestri, & Regularium S. Augustini Divo Stephano dedicata.

Octavo Kalendas Julii. 24

Nativitas Sancti Joannis Baptistæ Præcursoris Domini (*a*), Zachariæ & Elisabeth filii, qui Spiritu Sancto repletus est adhuc in utero matris suæ.

(*a*) Sanctissimi Præcursoris Nativitas festum Titulare est multis in Urbe Veneta Ecclesiis, Parœciali scilicet S. Joannes Baptista in Bragora nuncupatæ, Monachorum Camaldulensium in Judaica, Monialium Ordinis S. Benedicti S. Joannes Laterano appellatæ, Equitum Melitensium, pii Ospitii Catecumenorum, & Sacelli prope Ecclesiam Patriarch. in quo collocatum est sacræ regenerationis lavacrum. Hodierna autem

tem festivitas solemni pompa celebratur in Ecclesia Paroeciali S. Hermagoræ, quæ dexteram Baptistæ manum ab incendio mirabiliter præservatam se asservare gloriatur. Articulus digiti asservatur in Ecclesia Paroeciali Sancti Joannis Decollati.

Septimo Kalendas Julii. 25

Venetiis Apparitio S. Marci Evangelistæ (*a*).

(*a*) Celeberrimam Sancti Evangelistæ Venetiarum Patroni apparitionem enuntiavimus ad Ecclesiam S. Marci, quam in perenne patrati prodigii testimonium adire hac die tenentur uterque Clerus, atque Majora Urbis Sodalitia.

Sexto Kalendas Julii. 26

Romæ in Monte Cælio Sanctorum Martyrum Joannis, & Pauli fratrum (*a*), qui sub Juliano Apostata Martyrii palmam gladio cædente perceperunt.

(*a*) Magnificentissimum Divis hisce Fratribus Venetiis exurgit Templum, quod ipsorum Martyrum Reliquiis decoratur. Illud annuatim visitant Dux & Senatus, de celebri adversus Turcas victoria grates Domino reddituri.

Tertio Kalendas Julii. 29

Romæ natalis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli (*a*), qui eodem anno, eodemque die passi sunt sub Nerone Imperatore.

(*a*) Apostolorum Principi sacra est Patriarchalis Ecclesia in regione Castelli constituta. Ejus autem insignis Reliquia in Ducalis Basilicæ thesauro collocata visitur.

Pridie Kalendas Julii. 30

Commemoratio Sancti Pauli Apostoli (*a*).

Lemovicis in Gallia Sancti Martialis Episcopi (*b*).

(*a*) Ecclesiam, & Congregationem Divo Paulo Apostolo sacras notavimus die 25. Januarii, ipsius enim Conversionem in titulum assumpserunt.

(*b*) Divi Martialis Episcopi festum Venetiis peragitur in propria Ecclesia die 1. Julii; a Clero autem totius civitatis peragitur die 27. Augusti.

Kalendis Julii. 1

Venetiis commemoratio Beati Francifci Quirini Patriarchæ Gradenfis (*a*).

(*a*) Pluries in hoc opere Beati Francîfci Quirini mentionem ingeſſimus, fed præcipue Tom. III. ad Eccleſiam Sancti Silveſtri, atque Tom. VI. ad Monaſterium Sanctæ Mariæ Glorioſæ, in cujus Eccleſia conditum fuit ejus corpus.

Sexto Nonas Julii. 2

Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis ad Eliſabeth (*a*).

(*a*) Virgineæ Viſitationis titulo Deo facræ funt Venetiis quatuor Eccleſiæ, fcilicet una Parœcialis in Litore, S. Eliſabeth nuncupata; Altera Presbyterorum Congregationis Oratorii, Tertia Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti, quæ vulgo Humilitas appellatur; Quarta denique Orphanodochii Pietatis, quæ modo magnifica forma a fundamentis exurgit.

Feſtum Virgineæ Viſitationis cum in univerſo orbe celebrari mandaſſet Urbanus Pp. VI, ipſius religionem in Deiparam Virginem æmulata Reſpublica Veneta decrevit, ut dictum Feſtum deberet *ab omnibus pro Feſto ſolemni celebrari*.

MCCCLXXXXVII. Die XXIX. Februarii.

In Majori Conſilio.

„ Quia nihil commendabilius eſſe cenſetur, quam devote &
„ reverenter venerari Creatorem omnium Deum fummum,
„ ac totam celeſtem curiam, & præfertim matrem Domini
„ noſtri Jeſu Chriſti, quæ ſemper ſtat, & intercedit pro
„ omnibus Chriſticolis, & alias piæ memoriæ ſanctiſſimus
„ Dominus Papa Urbanus mandaverit per totam univerſitatem celebrari, & ſolemnizari diem, qua Beatiſſima Virgo Maria viſitavit Sanctam Heliſabeth matrem S. Joannis Baptiſtæ diem videlicet ſecundam menſis Julii, & honor noſtri Dominii ſit, ut etiam nos celebremus, & ſolemnizemus diem, & ſolemnitatem prædictam.

Vadit

„ Vadit pars, ut ipsa Beata Virgo oret jugiter pro bono statu „ nostro, & conservatione, & augumentatione hujus nostri „ benedicti Dominii, quod dicta dies secunda mensis Julii, „ in qua dictum est festum, nunc, & de cætero omni anno so„ lemnizetur, & sit festum solemne, & debeat ab omnibus „ pro festo solemni celebrari, sicut fiunt cetere solemnita„ tes ordinarie.

Quinto Nonas Julii. 3

Cantuariæ in Anglia Sancti Lanfranchi Episcopi & Confessoris viri doctrina & pietate illustris (*a*).

(*a*) E Cruciferorum hæreditate devenit ad Patres Societatis Jesu Caput Sancti Lanfranchi Episcopi Cantuariensis, quod argentea theca inclusum hac die in propria Ecclesia exponunt, & officio Ecclesiastico sub ritu duplici colunt. Sunt, qui eum die 24. Aprilis obiisse, asserunt, at nos Venetam Societatis Jesu Ecclesiam, pluresque authores de eo scribentes sequuti, hac die ipsius memoriam posuimus.

Quarto Nonas Julii. 4

Augustæ in Rhetia Sancti Uldarici Episcopi (*a*) miraculorum gratia illustris.

Apud Mitylenem Sancti Andreæ Episcopi Cretensis (*b*).

(*a*) Caput S. Uldarici Episcopi, & Confessoris ostendunt in sua Ecclesia collocatum Fratres Carmelitæ antiquæ observantiæ, cujus rei assertio cum nullis roboretur documentis, vix adduci possum, ut credam, ad Divum Uldaricum Augustanum pertinere.

(*b*) Hac die de Andrea Episcopo Cretensi agunt Agiographi Antuerpienses ex Scriptoribus Græcis. Insignem Divi Andreæ Cretensis Reliquiam enuntiavimus ad Ecclesiam Monialium Tertii Ordinis Seraphici, Sanctum Sepulcrum nuncupatam, quæ tali thesauro ditatur.

Octavo Idus Julii. 8

Sancti Pauli Constantinopolitani Martyris (*a*), cujus corpus in Monasterio S. Georgii Majoris requiescit.

In Palæstina Sancti Procopii, Martyris, qui sub Diocletiano Imperatore capite cæsus est (*b*).

Vene-

Venetiis Inventio Corporum Sanctorum Ligorii & Barbari Martyrum (*c*).

(*a*) Memoria hujus Sancti Martyris agitur in Martyrologio Romano die 17. Martii, Venetiis autem Officio Ecclesiastico celebratur hac die, tum in Monasterio S. Georgii Majoris sub ritu duplici secundæ Classis, cum in aliis ejusdem Urbis Ecclesiis sub ritu semiduplici.

(*b*) Insignis Sancti Procopii Reliquia extat, & hac die exponitur in Ecclesia Sancti Nicolai de Litore.

(*c*) Nomine Inventionis recolitur hac die cum officio duplicis ritus in Monasterio S. Laurentii miraculum, quo Sacerdos quidam cœcus, gravibusque infirmitatibus affectus Beatorum Martyrum Ligorii & Barbari intercessione implorata sanitatem, & visum recepit, quo miraculo excitata Civitas Venetiarum horum Sanctorum corpora in Ecclesia S. Laurentii quiescentia majori veneratione colere cœpit.

Sexto Idus Julii. 10

Sancti Paterniani Episcopi Phanensis, & Confessoris (*a*).

(*a*) Hujus Sancti Episcopi nomine Deo sacra est Venetiis Parœcialis Ecclesia.

Quarto Idus Julii. 12

Aquilejæ natalis Sancti Hermagoræ discipuli B. Marci Evangelistæ, & primi ejusdem civitatis Episcopi, qui plurima pœnarum genera expertus, tandem una cum Fortunato Diacono suo capitali supplicio perpetuum meruit Triumphum (*a*).

Translatio S. Constantii Confessoris ex Ancona civitate Venetias peracta ad Ecclesiam Parœcialem S. Basilii (*b*).

(*a*) Ecclesia Parœcialis SS. Hermagoræ & Fortunati Martyrum titulum dedit uni ex novem Congregationibus Veneti Cleri, quæ Sanctos Martyres patronos sibi destinavit.

(*b*) Translatum hac die Venetias fuisse Sancti Viri corpus notat Petrus Calotius Ordinis Prædicatorum in Vitis mss. Sanctorum, & ex eo Petrus de Natalibus in Catalogo.

Pridie Idus Julii. 14

Lugduni depositio S. Bonaventuræ Cardinalis & Episcopi Albanensis Confessoris & Doctoris Ordinis Minorum (*a*) doctrina & vitæ sanctitate celeberrimi.

(*a*) Divi Bonaventuræ titulo insignitur Ecclesia Fratrum Minorum, quos Reformatos vocant, in qua asservatur articulus ejus digiti. Os ex ipsius corpore deductum colitur in Ecclesia Minorum Conventualium S. Mariæ Gloriosæ.

Decimoseptimo Kalendas Augusti. 16

Festum Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo (*a*).

(*a*) Ecclesiam Venetiis possident Fratres Carmelitæ antiquæ Observantiæ Deiparæ Virgini de Monte Carmelo consecratam.

Sextodecimo Kalendas Augusti. 17

Venetiis Translatio S. Marinæ Virginis (*a*).

(*a*) Celebre est Venetiis festum S. Marinæ Virginis, hac etenim die recuperata est in Cameracensi bello Civitas Patavina, cujus rei gratia statutum est, ut quotannis gratias divinæ miserationi acturi ad hujus Divæ Virginis Ecclesiam, in qua jacet ejus sacrum corpus, accederent Dux & Senatus, eamque solemni pariter supplicatione inviserent uterque Clerus, & majora Urbis Sodalitia.

Tertiodecimo Kalendas Augusti. 20

Antiochiæ passio S. Margaritæ Virginis & Martyris (*a*).

(*a*) De S. Margaritæ nomine appellatur Ecclesia Parœcialis, in qua ipsius maxilla reconditur. Alia quoque insignis Reliquia ejusdem Virginis Ecclesiam Monialium ornat, quæ duplici titulo S. Rochi, & S. Margaritæ nuncupatur. In sacra autem Divi Joannis in Oleo æde crus Sanctæ Martyris hodierna die devotioni fidelium exponitur; atque os brachii colitur in Ecclesia S. Antonii Abbatis.

Duodecimo Kalendas Augusti. 21

Babylonæ S. Danielis Prophetæ (*a*). Item Beati Pacifici Ordinis Minorum, cujus corpus Venetiis requiescit (*b*).

(*a*) Habet in regione Castelli S. Propheta Daniel Ecclesiam Monialium, ejusque sacrum crus in sacrario visitur in Ecclesia

clesia Sanctæ Mariæ Gloriosæ Fratrum Minorum Conventualium.

(*b*) Hac die depositum fuit in magnifico sepulcro Venetiis anno 1437. corpus Beati Pacifici Ordinis Minorum, ut dictum est Tom. VI. ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Gloriosæ, in qua requiescit. Alligat Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum extra Martyrologium ad hanc diem festum *B. Danielis Abbatis Cistercienfis Ordinis* Venetiis e Patritia Familia Molino progeniti, quem nos ideo prætermittimus, quia nullum nec de ejus sanctitate, nec de ejus cultu documentum invenimus præter ea, quæ in Menologio Cisterciensi afferuntur.

Undecimo Kalendas Augusti. 22

Apud Massiliam Natalis S. Mariæ Magdalenæ (*a*), quæ Salvatorem a mortuis resurgentem prima videre meruit.

Ancyræ in Gallatia natalis Sancti Platonis Martyris (*b*), qui immanissimis tormentorum generibus cruciatus, demum abscisso capite, invictam animam Deo reddidit.

(*a*) Divam Mariam Magdalenam Titularem habent Ecclesiæ duæ, una Parœcialis in regione Canalis Regii, in qua ejus Reliquiæ, altera Monialium vulgo *le Convertite* in Judaica de insigni autem Divæ Pœnitentis Reliquia gloriatur Ecclesia S. Pantaleonis Martyris.

(*b*) Sacrum Divi Platonis caput in Ecclesia S. Laurentii Venetiis magna veneratione asservatur, ejus autem officium a Sanctimonialibus insequenti die celebratur proprium & duplex. Os etiam integrum ipsius Martyris, quod perperam Divo Pantaleoni tribuitur, marmoreo loculo inclusum extat in Ecclesia Sancti Georgii Majoris ad aram Sancti Andreæ Apostoli.

Decimo Kalendas Augusti. 23

Natalis Sancti Apollinaris Episcopi, qui ab Apostolo Petro Romæ ordinatus, & Ravennam missus pro fide Christi gloriosum Martyrium consummavit.

Urbe Veteri Beatæ Joannæ V. Tertii Ordinis Sancti Dominici (*b*).

(a) Divo Apollinari Episcopo, & Martyri Ecclesiam in Rivoalto, a Ravennatibus viris ædificatam fuisse Tom. III. enuntiavimus, ubi ipsam Parœcialem Ecclesiam illustravimus.

(b) De ea agunt, eamque Beatam appellant Scriptores omnes Ordinis Prædicatorum. Os integrum ejus brachii asservatur in Ecclesia S. Dominici Venetiarum.

Octavo Kalendas Augusti. 25

Sancti Jacobi Apostoli (a) fratris Beati Joannis Evangelistæ, qui prope festum Paschæ ab Herode Agrippa decollatus est.

In Lycia S. Christophori Martyris (b), qui sagittarum ictibus confossus, Martyrium capitis obtruncatione complevit.

(a) Ecclesia in Rivoalto posita, quam primam omnium Venetiis ædificatam fuisse novimus, Divo Jacobo Majori Apostolo dedicata fuit, cui pariter sacræ sunt Ecclesia Parœcialis de Luprio nuncupata, atque Ecclesia Fratrum Servorum B. M. V. in Insula Judaicæ constituta.

(b) Celeberrimo Martyri ædificatæ fuerunt Venetiis duæ Ecclesiæ una nempe in Veneti stagni Insula, quæ S. Christophorus de Pace nuncupatur, atque altera a Monachis Cistercienfibus Venetiis exculta, quæ vulgari titulo S. Maria ab Horto nominatur. Extant in lipsanotheca Divi Marci Articuli unius digiti, in Ecclesia Societatis Jesu Os Coxæ, atque aliæ Reliquiæ in Ecclesiis S. Christophori, & Sanctæ Mariæ ab Horto, quæ omnes ex antiqua ipsarum Ecclesiarum traditione, atque ex ipsarum magnitudine ad gloriosum hunc Martyrem pertinere noscuntur.

Septimo Kalendas Augusti. 26

Dormitio Sanctæ Annæ Matris Genitricis Dei Mariæ (a).

(a) Sanctimoniales Benedictinæ in extrema Castelli regione degentes Ecclesiæ suæ titularem Divam Annam venerantur Deiparæ Genitricem, cujus insignibus Reliquiis divites se efferunt aliquæ Venetiarum Ecclesiæ, caput enim in Ecclesia S. Mariæ Humilitatis, Os brachii apud Moniales S. Ludovici, alterum brachii pariter Os integrum in Sacra Divi Joannis Chrysostomi æde ex traditione earum Ecclesiarum accepimus asservari.

Sexto Kalendas Augusti. 27

Nicomediæ passio S. Pantaleonis Medici (*a*), qui ictu gladii Martyrium consummavit.

Ibidem S. Hermolai Presbyteri (*b*), cujus doctrina B. Pantaleo ad fidem conversus est.

(*a*) Pantaleoni Martyri, olim apud Venetos celeberrimo, sacra est magnifica Parœcialis Ecclesia, quæ plurimas, & insignes ipsius Divi Reliquias possidet ex Oriente deductas. Extant & in aliis Urbis Venetæ Ecclesiis hujusce Sancti ossa aliqua, præcipue in Ducali Basilica, & in Ecclesia Parœciali S. Mariæ Magdalenæ, & Monasterii Sancti Antonii Abbatis.

(*b*) Divi Hermolai corpus seu multa ex corpore ossa jacent in Ecclesia S. Simeonis Prophetæ ex Oriente deducta.

Quarto Kalendas Augusti. 29

Tarasci in Gallia Narbonensi Sanctæ Marthæ Virginis, hospitæ Salvatoris nostri, & sororis Beatæ Mariæ Magdalenæ & Sancti Lazari (*a*).

(*a*) In extremo Urbis angulo prope æstuaria Templum, & Monasterium Divæ Marthæ Virgini sacra exsurgunt, cujus incolæ Sanctimoniales Titularis suæ manum præcipua asservant veneratione.

Tertio Kalendas Augusti. 30

Romæ Sanctorum Abdon, & Senem Persarum (*a*), qui pro Christi fide primum plumbatis cæsi, deinde gladio interfecti sunt.

(*a*) Sacra horum Martyrum capita in Ecclesia S. Thomæ Apostoli honorifice condita quiescere asserit ejusdem Ecclesiæ antiqua traditio, quorum festum idcirco solemni pompa ibidem hac die celebratur.

Pridie Kalendas Augusti. 31

In Sicilia Sancti Fantini Confessoris (*a*).

(*a*) Divi Fantini titulo extat Venetiis Parœcialis Ecclesia.

Quarto Nonas Augusti. 2

Romæ in Cœmeterio Callisti natalis Sancti Stephani Papæ & Martyris (*a*), qui dum Missæ sacrum perageret in sede sua decollatus est.

(*a*) Caput S. Stephani Papæ & Martyris se possidere asserunt Sanctimoniales Divi Zachariæ Venetiarum, quæ tamen sacri hujus pignoris nulla habent documenta; Crus quoque S. Pontificis colitur in Ecclesia S. Job.

Tertio Nonas Augusti. 3

Jerosolymis Inventio corporis Beatissimi Stephani Protomartyris (*a*), & Sanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, sicut Luciano Presbytero divinitus revelatum est, Honorii Principis tempore.

(*a*) Protomartyris Stephani corpus ad Ecclesiam S. Georgii Majoris translatum fuisse ostendimus Operis hujus Tom. VIII. Ad Ecclesiam autem S. Mariæ Formosæ, diximus ex Dandulo & aliis Veneti Scriptoribus de Petri Tribuni Episcopi Olivolensis munere deposita fuisse corpora Sanctorum Saturnini, Nicodemi Presbyteri, simul cum capite Sancti Romani Monachi, quæ sacra pignora ex incendii deinde clade misere perierunt; num Nicodemus Venetias translatus ille fuerit, cujus inventio hac die celebratur, prorsus ignoramus.

Pridie Nonas Augusti. 4

Bononiæ Sancti Dominici Confessoris (*a*) Fundatoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, viri sanctitate & doctrina clarissimi.

(*a*) Ecclesiam Divo Dominico Prædicatorum Patriarchæ Venetiis ædificari ex testamento jussit Marinus Georgio Dux Venetiarum, in qua Ecclesia Dens ex sacro ejusdem Patriarchæ capite excerptum asservatur.

Nonis

Nonis Augusti. 5

Venetiis obitus Beati Matthæi de Marchia Ordinis Minorum de observantia, cujus corpus in Ecclesia Sancti Francisci de Vinea collocatum fuit (*a*).

(*a*) Multa de Beato hoc viro attulimus Tom. VIII. pag. 30.

Octavo Idus Augusti. 6

In Monte Thabor Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi (*a*) Romæ via Appia in cœmeterio Calisti natalis Beati Xysti secundi Papæ & Martyris (*b*), qui in persecutione Valeriani gladio animadversus Martyrii coronam accepit.

(*a*) Sacrum Transfigurationis mysterium, Titulare est Ecclesiis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris, atque Hospitalis Incurabilium.

(*b*) In Ecclesia Sancti Salvatoris Venetiarum sacrum caput asservatur, quod ad Divum Xistum secundum Papæ pertinere asseritur; quum autem ex Orientis partibus deductum fuerit, jure dubitari potest, num ad alium potius spectet homonymum Martyrem.

Quarto Idus Augusti. 10

Romæ via Tiburtina natalis Beati Laurentii Archidiaconi (*a*), qui in persecutione Valeriani post plurima tormenta in craticula ferrea assatus, martyrium complevit. Item Venetiis memoria Sancti Leonis Bembi Patritii Veneti Episcopi Methonesis, & Confessoris, atque Beati Joannis Presbyteri, & Confessoris quorum corpora in Ecclesia S. Laurentii honorifice collocata sunt (*b*).

(*a*) Magnifica Venetiis extat Divi Laurentii Ecclesia, in qua de ipsius ossibus, & adipe asservatur. Os Cruris ejusdem Martyris in Ecclesia Monialium Sanctæ Mariæ ad Cœlestia honorifice colitur, pariterque in Ecclesia Societatis Jesu ad aram ipsius Martyris hac die exponitur insigne Os ex brachio ejusdem Sancti Archidiaconi excerptum.

(*b*) Cum dies, qua obierunt, ignoretur, ideo hic eorum reponimus memoriam, quia in Ecclesia S. Laurentii tumulati fuerunt. Fuse de ipsis disseruimus, ubi ipsam Divi Laurentii Ecclesiam illustravimus.

Pridie

Pridie Idus Augusti. 12

Assisii in Umbria Sanctæ Claræ Virginis, primæ plantæ pauperum fæminarum Ordinis Minorum, vita & miraculis celebris (a).

(a) Titularis est Diva hæc Virgo Ecclesiæ, & Monasterio Sanctimonialium Divi Francisci regulam profitentium.

Idibus Augusti. 13

Apud Forum Syllæ natalis Sancti Cassiani Martyris (a).

(a) Extat Sancto Cassiano Episcopo & Martyri dedicata Venetiis Ecclesia Parochialis prope Rivoaltum.

Decimooctavo Kalendas Septembris. 15

Assumptio Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ (a).

(a) Deiparæ in Cœlum Assumptæ ædificatas voluit Venetorum religio multas Ecclesias, Parochialem scilicet S. Mariæ Novæ, Canonicorum Lateranensium, Charitas nuncupatam, Fratrum Servorum B. M. V., Minorum Conventualium titulo S. Mariæ Gloriosæ, Societatis Jesu, Virginum Cistercienstum Sanctæ Mariæ ad Cœlestia, Monialium Clarissarum S. Mariæ Majoris, Cappucinarum strictioris observantiæ Seraphici Instituti S. Maria Gratiarum nominatam, Mulierum Secularium de Succursu, Orphanodochii apud SS. Joannem & Paulum, quibus in Ecclesiis triumphus Assumptæ in Cœlum Virginis solemni pompa celebratur.

Decimoseptimo Kalendas Septembris. 16

In Gallia Narbonensi apud montem Pessulanum depositio B. Rochi Confessoris (a), qui multas Italiæ urbes a morbo epidimiæ signo crucis liberavit: cujus corpus Venetias postea translatum, & in Ecclesia ejus nomine consecrata honorificentissime conditum fuit.

(a) Celeberrimum Divi Rochi Sodalitium sumptuosas tutelari suo erexit Ecclesiam & Hospitii ædes; ipsiusque Divi sacras exuvias Venetias translatas in ara majori ornatissime collocavit. Divo Rocho pariter sacra est altera Ecclesia Sanctimonialium Ordinis S. Augustini, quæ duplici titulo Sanctorum Rochi, & Margaritæ nuncupatur.

Sextodecimo Kalendas Septembris. 17

Cæsareæ in Cappadocia natalis Sancti Mamantis Martyris, (*a*) qui a pueritia ad senectutem usque longum Martyrium duxit, & feliciter consummavit.

(*a*) Sancti Mamantis celeberrimi apud Græcos Martyris Pes integer & incorruptus asservatur in Sacrario Ecclesiæ Congregationis Oratorii Venetiarum e Creta Insula translatus.

Quintodecimo Kalendas Septembris. 18

Romæ via Lavicana Sanctæ Helenæ matris Constantini Magni, piissimi Imperatoris (*a*).

Præneste natalis S. Agapiti Mart. (*b*), qui cum ex præcepto Imperatoris Leonibus objiceretur, & minime læsus esset, gladio ministrorum coronandus percutitur.

(*a*) Insula in Venetis Æstuariis nomine, & corpore insignis S. Helenæ, Templum, & Monasterium habet a Monachis Olivetanis exculta, ad quam translatum fuit ex Regia Constantinopoleos Urbe sacrum ejusdem Divæ Imperatricis corpus, ut ad ipsum Monasterium diximus, quod superius illustravimus.

(*b*) In Ecclesia Monialium S. Catharinæ exponitur hac die insignis Reliquia, quæ ad Divum Agapitum Prænestinum Martyrem dicitur pertinere.

Quartodecimo Kalendas Septembris. 19

In Provincia apud castrum Brincolam depositio S. Ludovici Episcopi Tolosani Ordinis Minorum (*a*), vitæ sanctitate, & miraculis clari.

In Cilicia natalis Sancti Andreæ tribuni (*b*) & suorum militum, qui ad fidem Christi conversi ab exercitu Seleuci Præsidis trucidati sunt.

(*a*) Officio proprio & duplici ritu celebratur hac die Venetiis festum S. Ludovici Episcopi Tolosani & Confessoris; cujus nomine sacra est Ecclesia Monialium Ordinis Sancti Augustini.

(*b*) Creta, in illius Urbis clade, cranium S. Andreæ mi-

litis

litis & martyris religiose desumptum ad Monachos Carthusianos Venetiarum de Aloysii Grimani Archiepiscopi munere devenit.

Tertiodecimo Kalendas Septembris. 20

In Judæa Sancti Samuelis Prophetæ (*a*).

(*a*) Sancti Samuelis Prophetæ cultui dedicata fuit Venetiis Ecclesia Parœcialis.

Duodecimo Kalendas Septembris. 21

Venetiis memoria Beati Petri Acotanti Patritii Veneti & Confessoris (*a*).

(*a*) Evolavit ad Cœlos Beatus Petrus Acotantus mense Augusti, cum autem dies obitus ignota sit, ideo ipsius memoriam ad præsentem diem assignavimus.

Nono Kalendas Septembris. 24

Sancti Bartholomæi Apostoli (*a*), qui vivus a Barbaris decoriatus est, atque Astyagis Regis jussu capitis decollatione Martyrium complevit.

In Samo Insula Sanctorum Gregorii, Theodori, & Leonis Confessorum (*b*), qui cum in rubeto, fanoque semiruto solitarii vixissent, Constantio imperante pariter obdormierunt in Domino.

(*a*) Parœcialem S. Bartholomæi Apostoli Ecclesiam illustravimus Operis hujus Tom. I. Brachium S. Apostoli Bartholomæi Benevento Venetias delatum, & in Ecclesia S. Hieremiæ depositum afferunt fere omnes Venetarum rerum Chronologi, alia autem ejus ossa se asservare afferunt Sanctimoniales Divi Andreæ, & Canonici Regulares Sancti Salvatoris, in utraque sui Ordinis Ecclesia S. Salvatoris videlicet, & S. Antonii Abbatis.

(*b*) Gregorii, & Theodori corpora, & Leonis caput Venetias ad sacram Divi Zachariæ ædem translata fuerunt; cum autem Gregorii Eremitæ nomen apud Occidentales minus notum esset, ex inscitia potius, quam ex dolo factum est fluxu temporis, ut Gregorii Eremitæ corpus ex Oriente translatum Divo Gregorio Nazianzeno celeberrimi inter Sanctos Orientales nominis adscriberetur, quod quidem plerumque

evenisse testatur eruditissime Bollandus in Actis Sanctorum Tom. I. Febr. pag. 334. *In Reliquiis plerumque contingit, ut quæ multorum sunt, eæ primario ejus nominis tribuantur. Ea causa esse videtur, cur Sancti unius tam multiplices dicantur variis locis reliquias reperiri.*

Quinto Kalendas Septembris. 28

Hippone Regio in Africa natalis Sancti Augustini Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris eximii (*a*), qui multis pro Ecclesia Dei perfunctus laboribus, ad præmia migravit in cœlum.

(*a*) Parœcialem habet Venetiis Ecclesiam Sanctus Augustinus Episcopus, & Doctor.

Quarto Kalendas Septembris. 29

Decollatio Sancti Joannis Baptistæ (*a*), quem Herodes circa festum Paschæ decollari præcepit.

Romæ in monte Aventino natalis Sanctæ Sabinæ Martyris (*b*) quæ sub Adriano Imperatore gladio percussa Martyrii palmam adepta est.

In pago Tricassino Sanctæ Sabinæ Virginis (*c*) virtutibus & miraculis gloriosæ.

(*a*) Titulo sui Martyrii obtinet Venetiis Ecclesiam Parœcialem Sanctus Joannes Baptista, in qua ipsius digiti articulus ex Syria, ut perhibent, deductus asservatur.

(*b*) Sanctæ Sabinæ Martyris Cranium una cum Phiala ejusdem sanguinis hac die in Ecclesia Societatis Jesu exponuntur, qualia autem prodigia per hasce sacras reliquias olim patrata fuerint, diximus ad ipsam Societatis Jesu Ecclesiam.

(*c*) Sanctæ Sabinæ Virginis corpus ex Apostolica Benedicti III. liberalitate quiescit in Ecclesia Monialium S. Zachariæ, solemnia autem Sanctæ Sabinæ Virginis celebrantur in Ecclesiis Venetis sub ritu duplici die 1. Septembris.

Pridie Kalendas Septembris. 31

Sancti Felicis Presbyteri, & Confessoris (*a*).

(*a*) Divo Felici Nolano, quem Martyrem Martyrologium Romanum enunciat die XIV. Januarii, sacra est Veneta Parœcialis Ecclesia, Sanctus Felix nuncupata, quæ Titularis sui solemnia hac die celebrat de Communi Confessoris, eo

quia

quia Sanctus Presbyter, licet plurima prō Christi fide perpessus sit, attamen in pace reddidit spiritum. De eo fusius diximus ad suam Ecclesiam Tom. II. Operis hujus.

S P T E M B E R.

Kalendis Septembris. 1

Venetiis in Monasterio Sanctorum Blasii, & Cathaldi depositio Beatæ Julianæ Virginis ejusdem Monasterii Fundatricis, & primæ Abbatissæ, Ordinis S. Benedicti (*a*), quæ meritis, & miraculis gloriosa migravit ad sponsum; cujus corpus incorruptum pie colitur in Ecclesia ejusdem Monasterii.

(*a*) Festum hujusce Beatæ Abbatissæ celebratur ex immemorabili consuetudine sub ritu duplici in Ecclesia ejusdem Monasterii, ad quam devotionis causa accedit maximus populi concursus. Ejus officium cum Lectionibus, & oratione propria concessit Monialibus ejusdem Monasterii Benedictus Papa XIV. sub ritu duplici recitandum.

Quarto Nonas Septembris. 2

Venetiis Dedicatio Ecclesiæ Patriarchalis.

Pamiæ in Galia S. Antonini Martyris (*a*).

In Creta Insula S. Cosmæ Eremitæ & Confessoris, cujus corpus Venetias ad Monasterium Sancti Georgii Majoris deductum fuit (*b*).

(*a*) Ecclesiam Parœcialem Divo Antonino Martyri dedicatam illustravimus Operis hujus Tomi XII. pag. 338.

(*b*) De Santo Cosma Eremita Venetias quiescente verba fecimus Tom. VIII. pag. 88, ubi Translationis ejus Historiam exposuimus.

Tertio Nonas Septembris. 3

Aquilejæ Sanctarum Virginum & Martyrum Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ, & Erasmæ (*a*), quæ sub Nerone post multa supplicia gladio cæsæ sunt.

(*a*) Sanctæ hæ Virgines, quæ Venetiis in Judaicæ Insula Ecclesiam Parœcialem habent, Officio proprio in eadem Urbe sub ritu duplici Minori coluntur.

Pridie Nonar Septembris. 4

In Monte Nebo Terræ Moab Sancti Moysis Legislatoris, & Prophetæ (*a*).

(*a*) Magnifici Templi Parœcialis Patronus, & Titularis est Sanctus Moyses Propheta.

Nonis Septembris. 5

Sancti Laurentii Justiniani primi Venetiarum Patriarchæ (*a*), qui Pontificalem Cathedram, quam hac die invitus ascendit, virtutum ac miraculorum gloria illustravit; cujus natalis dies sexto Idus Januarii recensetur.

Babilonæ Beati Gentilis Martyris Ordinis Fratrum Minorum, cujus corpus Venetias ad Ecclesiam S. Mariæ Gloriosæ Fratrum Minorum Conventualium delatum fuit (*b*).

Venetiis Beati Caroli de Monte Granello Congregationis Eremitarum S. Hieronymi de Fæsulis Fundatoris; cujus corpus in Ecclesia S Mariæ Gratiarum conditum fuit (*c*).

(*a*) De Sancto Præsule agitur Venetiis Sexto Idus Januarii, ea nempe die, qua evolavit ad cœlum.

(*b*) Passionem, & translationem Beati hujus Martyris dedimus Tom. VI. pag. 287.

(*c*) Prætiosam mortem, & depositionem Beati Caroli enuntiavimus Tom. VIII. pag. 296.

Sexto Idus Septembris. 8

Nativitas Beatissimæ semper Virginis Genitricis Dei Mariæ (*a*).

Venetiis Beatæ Comitissæ Virginis ex nobili familia Taleapetra, cujus corpus incorruptum adhuc visitur (*b*).

(*a*) Deiparæ Virgini suæ Nativitatis titulo sacræ sunt duæ Ecclesiæ Sanctimonialium, quarum antiquior S. Mariæ de Virginibus nuncupatur, altera vero est Monialium Cappucinarum prope Sanctum Hieronymum.

(*b*) In Sacra Divi Viti Æde jacet Venetiis integrum, & incorruptum corpus Beatæ Comitissæ Virginis, cujus vitam dedimus Tom. I. ad eandem S. Viti Ecclesiam.

Quinto Idus Septembris. 9

Venetiis Octava Dedicationis Ecclesiæ Patriarchalis.

Pridie Idus Septembris. 12

Sancti Niceti Martyris (*a*), cujus corpus Venetiis in Ecclesia S. Raphaelis Archangeli honorifice conditum est.

(*a*) Divus Nicetus in Ecclesia Divi Raphaelis Archangeli quiescens Martyr ille fuit, (ut refert ejusdem Ecclesiæ traditio) qui in persecutione Decii præcisam sibi morsu linguam in faciem meretricis expuit, cujus suppresso nomine mentionem ingerit Martyrologium Romanum ad diem 28. Julii. Plura de eo dedimus Tom. V. pag. 335.

Idibus Septembris. 13

Sancti Ligorii Martyris (*a*), qui in eremo degens a Gentilibus ob Christi fidem necatus est. Corpus ejus Venetias asportatum in Ecclesia Sancti Laurentii summa veneratione asservatur.

(*a*) A Sanctimonialibus Monasterii S. Laurentii Venetiarum, in quo venerandum Divi Ligorii corpus quiescit, festum ipsius hac die solemniter peragitur, & propriæ Lectiones leguntur, in quibus gesta, Martyrium, & divinitus facta corporis revelatio recensentur.

Decimooctavo Kalendas Octobris. 14

Exaltatio Sanctæ Crucis, quando Heraclius Imperator, Cosroe Rege devicto, eam de Perside Jerosolymam reportavit (*a*).

(*a*) Plurimæ vivificæ Crucis portiones hac die in Venetis Ecclesiis pietati fidelium exponuntur.

Decimoseptimo Kalendas Octobris. 15

Sancti Nicetæ Gothi (*a*), qui ab Athanarico Rege ob Catholicam fidem jussus est igne comburi.

(*a*) De eo in Ecclesia S. Nicolai quiescente agitur in eadem Ecclesiá die 28. Novembris fortasse ob translationem sacri corporis ea die peractam.

Sextodecimo Kalendas Octobris. 16

Sanctorum Cornelii, & Cypriani Pontificum & Martyrum (*a*), quorum natalis decimooctavo Kalendas Octobris recolitur.

(*a*) Sub Divi Cypriani nomine extat Muriani in Dioecesi

Tor-

Torcellana Abbatialis Ecclesia Patriarchali tamen Venetiarum jurisdictioni subjecta, quam utriusque Divi titulo a sui origine novimus fuisse insignitam. Dextera D. Cypriani manus asservatur in Ecclesia Patriarchali ex Abbatia Murianensi, ut ex conjecturis arguo, deducta. Insignia utriusque Pontificis ossa pie hodie coluntur in Ecclesia Societatis Jesu fidelium venerationi exposita.

Quintodecimo Kalendas Octobris. 17

Sancti Tharasii Eremitæ & Confessoris (*a*), cujus corpus Domino revelante mirabiliter repertum, Venetias ad Ecclesiam S. Zachariæ translatum fuit.

(*a*) Tharasii Eremitæ Sanctissimi mirabilem translationem ex Danduli Chronico excerptam exhibuimus ad Monasterium S. Zachariæ, in quo quiescit.

Duodecimo Kalendas Octobris. 20

Romæ passio Sanctorum Martyrum Eustachii, & Theopistis uxoris ejus (*a*), cum duobus filiis Agapito & Theopisto, qui sub Hadriano Imperatore in bovem æneum candentem inclusi Martyrium consummarunt.

(*a*) Nonnulla horum Martyrum ossa in Parœciali Templo quiescunt, quod sub eorum nomine Deo dedicatum est.

Undecimo Kalendas Octobris. 21

Natalis Sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ (*a*), qui in Æthiopia prædicans, Martyrium passus est.

In terra Saar Sancti Jonæ prophetæ, qui sepultus est in Geth (*b*).

(*a*) Ecclesiam Parœcialem, quæ de Lanionum jure est, Venetiis possidet S. Apostolus & Evangelista Matthæus, qui aliam pariter sibi dedicatam Ecclesiam Monialium in Majurbio habet sub jurisdictione Veneti Patriarchæ constitutam. Os brachii asservatur in Ecclesia S. Antonii Abbatis, & aliud in Ducali Basilica.

(*b*) Viget in Ecclesia S. Apollinaris antiqua traditio, quod in

in ea collocatum jaceat ignoto loco corpus S. Jonæ Prophetæ ex Oriente deductum, cujus caput honorifice depositum ostenditur ad aram ipsius Ecclesiæ. Quo autem tempore, vel ex quo loco deductum fuerit, penitus ignoratur. Quum autem non unus in Oriente claruerit Sanctus, Jonas nomine, fortasse ad aliquem ipsorum spectat sacrum caput, quod in Ecclesia S. Apollinaris asservatur, & ex usitato rudioris ævi æquivoco ad celebriorem ejusdem nominis Sanctum scilicet ad Jonam Prophetam pertinere, traditum est.

Decimo Kalendas Octobris. 22

Seduni in Gallia, in loco Agauno natalis Sanctorum Martyrum Thebæorum, Mauritii (*a*) cum sociis ejusdem legionis, qui sub Maximiano pro Christo necati, gloriosa passione mundum illustrarunt.

(*a*) Sacra Deo est sub invocatione SS. Mauritii, & Sociorum Martyrum Parœcialis Ecclesia.

Nono Kalendas Octobris. 23

Anconæ Sancti Constantii Ecclesiæ Mansionarii, miraculorum gratia conspicui (*a*).

Iconii in Lycaonia Sanctæ Theclæ Virginis & Martyris (*b*), quæ post plurima superata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace.

(*a*) Divi Constantii Anconitani translationem Venetias factam attulimus Operis hujus Tom. I. pag. 94 ad Ecclesiam S. Basilii, in qua venerabile ipsius corpus maxima veneratione collocatum fuit.

(*b*) Insignis S. Theclæ V. & M. Reliquia exponitur hac die in Ecclesia Monialium S. Catharinæ, in qua solemniter ipsius Officium peragitur.

Octavo Kalendas Octobris. 24

In Pannonia Sancti Gerardi Episcopi & Mart. (*a*) Hungarorum Apostoli nuncupati, Patritii Veneti, qui primus patriam nobili martyrio illustravimus.

(*a*) Ex corpore Divi Gerardi Muriani quiescente deducta fuit insignis Reliquia, & ad Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis

transla-

translata, eo quia in ipsius Ecclesiæ confinio Sanctus Martyr, ut traditur, ortum habuit.

Sexto Kalendas Octobris. 26

Sancti Gerardi Sagredo Episcopi & Martyris, de quo actum est octavo Kalendas Octobris (*a*).

(*a*) Hac die Venetiis agitur de Sancto Gerardo Episcopo & Martyre sub ritu duplici ex concessione Sedis Apostolicæ.

Quinto Kalendas Octobris. 27

Ægææ natalis Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani fratrum (*a*), qui in persecutione Diocletiani post multa tormenta, capite plectuntur.

(*a*) Habent Sancti Fratres Ecclesiam Monialium in Judaica positam, corpora autem ipsorum, sive, ut verius loquamur, nonnullæ partes corporum in Ecclesia S. Georgii Majoris quiescunt, quorum insignes Reliquiæ ad Ecclesiam S. Joannis in Oleo translatæ ibidem honorifice asservantur.

Tertio Kalendas Octobris. 29

In Monte Gargano venerabilis memoria Beati Michaelis Archangeli, quando ipsius nomine ibi consecrata fuit Ecclesia (*a*).

(*a*) Extat Venetiis Ecclesia Parœcialis sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli, in cujus honorem instituta fuit una ex novem Congregationibus Cleri, eidem Ecclesiæ alligata. In Judaica quoque Ecclesia Fratrum Carmelitarum Congregationis Mantuanæ Titularem agnoscit S. Michaelem Archangelum.

Pridie Kalendas Octobris. 30

In Bethlehem Judæ depositio Sancti Hieronymi Presbyteri, & Ecclesiæ Doctoris (*a*), qui probatorum Monachorum imitator factus, cum ad decrepitam usque vixisset ætatem, in pace quievit, sepultusque est ad Præsepe Domini.

(*a*) A Sanctimonialibus Ordinis S. Hieronymi sub regula S. Augustini Deo militantibus excolitur Ecclesia Divo ipsi Hieronymo Doctori maximo dedicata, in qua asservatur pars ex digitis ipsius Sancti.

Sexto Nonas Octobris. 2

Sancti Lizerii Martyris, cujus corpus Venetias delatum in Templo S. Zachariæ reconditum fuit (*a*).

(*a*) Passionem Sancti Lizerii enuntiat Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 2. Octobris pag. *626*, ubi se gesta ipsius collegisse fatetur ex Monumentis mss. Ecclesiæ S. Zachariæ, & ex ipsius passione, nuper (ut ait) ædita. Venerandum Martyris corpus fortasse ob incendii, quo Monasterium conflagravit, vel deperditum fuit, vel inter aliorum Sanctorum lipsana adeo commixtum, ut locus, in quo modo jacet, pœnitus ignoretur.

Quarto Nonas Octobris. 4

Assisii in Umbria natalis Sancti Francisci Confessoris, fundatoris Ordinis Minorum (*a*).

(*a*) Magnificum Templum D. Francisco parenti suo erexerunt Venetiis Minoritæ in Vinea, a qua nomenclaturam accepit. Sancti hujus festum, cum inter solemniores dies enumerari decrevisset Sixtus IV, ut Venetiis quoque pari modo observaretur, Majoris Consilii lege statutum fuit.

MCCCCLXXV. Die XXIX. Septembris.

In Consilio Rogatorum.

„ Pium, & religiosum est dignumque quocumque Principatu „ observare mandata Pontificis in rebus presertim ad amplitudinem cultus Divini, & Religionem illustrantem nostram pertinentibus. Idcirco cum Summus Pontifex novo Decreto constituerit, & jusserit per universum Christianum orbem celebrari, & observari pro festo diem Sancti Francisci.

„ Vadit pars, quod in hac urbe nostra dies ipse in posterum „ pro festo celebretur, & prohibitum sit omnibus aperire „ Apothecas & laborare sicut in ceteris festis celebrari, & „ observari consuetis sit sub pena contrafacientibus librarum „ v. parvorum.

Pridie Nonas Octobris. 6

Opitergii Sancti Magni Episcopi, cujus corpus Venetiis requiescit (*a*).

(*a*) Sanctum Magnum Opitergii primo, mox Heracleæ Episcopum inter Patronos suos adnumeratum veneratur Veneta Ecclesia; ejusque sacrum corpus honorifice jacet in Parœciali Ecclesia S. Hieremiæ Prophetæ.

Nonis Octobris. 7

Patavii S. Justinæ Virginis & Martyris (*a*), quæ a B. Prosdocimo Sancti Petri discipulo baptizata, cum in fide Christi constanter persisteret, Maximi Præsidis jussu gladio transverberata migravit ad Dominum.

In Provincia, quæ nuncupatur Augusta Euphratesia, Sanctorum Martyrum Sergii & Bacchi nobilium Romanorum sub Maximiano Imperatore (*b*).

(*a*) Memorabilis perpetuo erit apud Venetos Divæ Justinæ Patavinæ sacra dies, in qua fœderata Christianorum Principum arma insignem de Turcarum classe victoriam retulerunt, cujus Divinæ miserationis beneficium, ut duraturo grati animi testimonio recoleretur, statutum fuit, ut Parœcialis ejusdem Virginis Ecclesia a Monialibus S. Augustini exculta annuatim solemni supplicatione indicta a Duce, & Senatu inviseretur.

(*b*) Venetiis in Patriarchali Templo SS. Sergii, & Bacchi Martyrum lipsana quiescentia enuntiavimus marmoreo loculo honorifice recondita. Duo eorum ossa asservantur in Sanctuario Ducalis Ecclesiæ.

Octavo Idus Octobris. 8

Dedicatio Basilicæ Ducalis S. Marci Evangelistæ. Eodem die Natalis Beati Simeonis Senis (*a*), qui in Evangelio Dominum Jesum in ulnis suis suscepisse legitur. Item S. Maximi Episcopi Æmoniensis & Martyris (*b*), cujus corpus in Ecclesia S. Cantiani Venetiarum honorifice conditum est.

(*a*) Ex Urbe Constantinopolitana translatum fuit Venetias corpus S. Simeonis, & in Ecclesia Parœciali suo nomini pridem dedicata collocatum, ut ad ipsam Ecclesiam fuse notavimus.

(*b*)

(*b*) Gesta Sancto Maximo attributa, & adnotationes ad ipsum Martyrem spectantes attulimus Tom. II. Operis hujus ad Parœcialem Ecclesiam S. Canciani.

Idibus Octobris. 15

Abulæ in Hispania Sanctæ Theresiæ Virginis (*a*), Fratrum ac Sororum Ordinis Carmelitarum arctioris observantiæ matris & magistræ.

(*a*) In honorem Sanctæ Theresiæ Ecclesiam suam Domino consecrarunt Venetiis Moniales Carmelitæ antiquæ observantiæ.

Decimoseptimo Kalendas Novembris. 16

Apud Arbonam in Germania S. Galli Abbatis discipuli Beati Columbani (*a*).

(*a*) In confinio S. Geminiani extat Sacellum nomine S. Galli Abbatis nuncupatum, qui quidem Sanctus Abbas etiam in Ecclesia S. Severi colitur, ut contitularis.

Quintodecimo Kalendas Novembris. 18

Natalis Beati Lucæ Evangelistæ (*a*), qui multa passus pro Christi nomine, Spiritu Sancto plenus obiit in Bithynia.

(*a*) Ecclesia Parœcialis, atque una ex novem Congregationibus Cleri Divum Lucam Evangelistam Patronum venerantur, cujus corpus se possidere asserunt Fratres Minoritæ de Observantia in S. Job Monasterio degentes, uti diximus ad ipsum S. Job Monasterium. Brachium seu Os ex brachio asservatur in Eccl. S. Mariæ Servorum; aliud etiam os extat in Lipsanotheca Basilicæ Ducalis.

Duodecimo Kalendas Novembris. 21

In Cypro natalis S. Hilarionis Abbatis (*a*).

Apud Coloniam Agrippinam natalis Sanctarum Ursulæ & Sociarum ejus (*b*), quæ pro Christiana religione & virginitatis constantia ab Hunnis interfectæ, martyrio vitam consummarunt.

(*a*) Insignes Divi Hilarionis Abbatis Reliquiæ dono datæ fuerunt, ut suis locis dictum est, tum Parœciali Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum, tum Monasterio S. Georgii Majoris;

(*b*) Caput Divæ Ursulæ se possidere jactat Sodalitium eidem

Virgini dicatum in Sacello prope Sanctos Joannem & Paulum, attamen cum nulla invenerim de sacri hujus capitis translatione documenta fide digna, haud inverisimiliter censeo sacrum caput pertinere potius ad aliquam Virginem ex comitatu ejusdem S. Ursulæ. Idipsum etiam dicendum puto de alio Sanctæ Ursulæ capite in Ecclesia S. Catharinæ asservato. Plurima per Ecclesias Venetas dispersa asservantur capita & ossa, quæ ex Comitibus S. Ursulæ esse asseruntur.

Undecimo Kalendas Novembris. 22

Apud Coloniam Sanctæ Cordulæ, ex sodalibus Sanctæ Ursulæ (*a*), quæ novissima omnium martyrii coronam accepit.

(*a*) Sancta Cordula Virgo & Martyr, quæ novissima omnium sociarum Sanctæ Ursulæ martyrium consummavit, officio ecclesiastico sub ritu duplici colitur in Ecclesia S. Laurentii Venetiarum a Sanctimonialibus ejusdem Monasterii, quæ se ipsius capite ditari gloriantur. Ejusdem Sanctæ Virginis caput in sua Ecclesia asservari asserunt Fratres Carmelitæ antiquæ observantiæ. Quum autem Sancta Virgo Biceps dici nequeat, fatendum est uni ex his capitibus, & fortasse utrique, (cum ad comitatum Sanctæ Ursulæ pertineret) gratis Cordulæ nomen fuisse impositum.

Quinto Kalendas Novembris. 28

Natalis Beatorum Apostolorum Simonis Chananæi, & Thadæi (*a*), qui & Judas dicitur: qui in Persidem simul ingressi, martyrium consummarunt.

(*a*) Titulo Sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ extat Venetiis Parœcialis Ecclesia novissimis hisce temporibus magnifica molitione a fundamentis restituta; Brachium Sancti Apostoli Simonis ex Creta Insula, ubi in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia asservabatur, Venetias delatum in Ecclesia Sancti Spiritus eisdem Fratribus dono concessa collocatum fuit.

Tertio Kalendas Novembris. 30

Altini Sancti Theonesti Episcopi & Mart. (*a*), qui ab Arianis occisus est.

(*a*) De Sancto Theonesto & Sociis Martyribus agitur Venetiis die 22. Novemb. in Ecclesia Monialium S. Laurentii, ad

ad quam, ut notat Dandulus in Chronico, nonnullæ ipsorum Reliquiæ translatæ fuerunt.

NOVEMBER.

Kalendis Novembris. 1

Festivitas omnium Sanctorum (*a*), quæ ex Gregorii Quarti Papæ decreto solemniter observatur.

Venetiis Commemoratio Sanctorum Prosperi, Vitaliani, Vincentii, Mauræ, Petroniæ, Theodoræ, & Pontiani, quorum Reliquiæ in Ecclesia S. Paterniani asservantur (*b*).

(*a*) Omnium Sanctorum Festivitas titulus est Ecclesiæ Sanctimonialium sub regula S. Benedicti militantium.

(*b*) Horum Sanctorum, de quibus, Martyres ne, an Confessores sint, ignoratur; quosque ex Oriente traductos fuisse, traditur, memoria alligatur ad hanc diem, quæ omnium Sanctorum celebritate est festiva.

Quarto Nonas Novembris. 2

Commemoratio omnium fidelium Defunctorum (*a*).

(*a*) Sancta, & salubris cogitatio pro Defunctis exorandi, quæ modo præ cæteris urbibus eximie Venetiis excolitur, etiam remotiori ævo in eadem civitate viguit, ut testatur sequens Majoris Consilii Decretum.

MCCCXXI. Die XIX. Novembris.

In Majori Consilio.

„ Quod dies Mortuorum de cætero usque ad Tertiam sit so-
„ lemnis omnibus Judicibus, & Offitialibus Venetiarum,
„ ut possint vacare Orationibus, & Divinis Offitiis, sed
„ post Nonam teneantur venire ad eorum Offitia sicut an-
„ te. Et hoc injungatur omnibus Offitialibus antedictis,
„ & si Consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.

Nonis Novembris. 5

S. Zachariæ Sacerdotis & Prophetæ Patris Beati Joannis Bapti-

stæ (a). Item S. Elisabeth ejusdem Sanctissimi Præcursoris Matris (b).

(a) Celeberrimum est Venetiis Templum Sancti Zachariæ Prophetæ, in quo ejusdem Divi corpus ex Leonis V. Imperatoris Byzantini munere collocatum quiescit.

(b) Sanctæ Elisabeth nomine extat in Litore Parœcialis Ecclesia Virgineæ Visitationi dicata. Insignis autem Sanctæ Mulieris Reliquia asservatur in Ecclesia Parœciali Sancti Joannis Chrysostomi.

Octava Idus Novembris. 6

Lemovicis in Aquitania Sancti Leonardi Confessoris (a) discipuli Beati Remigii Episcopi, qui sanctitate, & miraculis claruit.

(a) S. Leonardi titulo appellata extat in regione Canalis Regii Ecclesia Parœcialis.

Quinto Idus Novembris. 9

Sancti Theodori Militis & Martyris (a), de quo VII. Idus Februarii.

Amasseæ in Ponto natalis S. Theodori militis (b), qui tempore Maximiani Imperatoris pro Christianæ fidei Confessione, ardentibus ignibus comburendus traditur.

Beryti in Syria commemoratio Imaginis Salvatoris (c), quæ a Judæis crucifixa, tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales, & Occidentales Ecclesiæ ex eo ubertim acceperint.

Venetiis in Monasterio S. Christophori in Insula Beati Gratiæ Catharensis (d), qui ibidem in laicali statu Regulam Divi Augustini professus virtutibus emicans sancte obdormivit, cujus corpus in eadem Ecclesia ad aram ipsi dicatam requiescit.

(a) Hujus Sancti Festum uti Urbis Protectoris celebratur Venetiis sub ritu duplici majori, quod tamen ex æquivoco homonymiæ prodiisse autumo cum enim ipsius corpus Venetias delatum fuisset, putarunt rudiores ex Venetis illi S. Theodoro pertinere, quem Respublica ab ipsis suis exordiis sibi Patronum adlegerat, cujusque imaginem olim in vexillis deferebat, quæ vulgi opinio cum ex fluxu temporis invaluis-

luisset, cœpit ad hanc diem ejus solemnitas celebrari, quæ tamen diei VII. Feb. alliganda esset.

(b) Theodorum hunc militem, & celeberrimum apud Græcos Martyrem jure autumo a Venetis electum fuisse exurgentis Urbis protectorem ab eo tempore, quo Narses Græci exercitus in Italia Dux ipsi Sancto Ecclesiam Venetiis ædificavit. Confirmatur hoc tum ex S. C., tum ex Episcopali S. Laurentii Justiniani Decreto, quo S. Theodori festum ob ejus patrocinia (nulla habitâ de corpore Venetiis asservato mentione) decernitur, quod de cætero debeat esse solemne. Sanctus autem Episcopus in suo Diplomate asserit S. Theodorum Urbis Patronum illum esse, cujus universali commemorationi Sancta Mater Ecclesia diem Nonam Novembris salubriter dedicavit. Utraque documenta ex Archivo Monasterii Sancti Salvatoris Venetiarum novissime deprompta exhibemus.

1450. *Die 21. Septembris in Rogatis.*

„ Quia, ut notum est, per superiora & continua tempora Sanctus Theodorus fuit protector istius Urbis nostræ una cum B. Marco Evangelista, ex quorum quidem Sanctorum intercessionibus res nostræ mediante divina clementia feliciter processerunt. Et sic res digna, & conveniens est, quod, postquam vexillum ipsius Sancti Theodori a nobis, sive ab ista Republica non defertur, saltem, & devotione, & veneratione hujus Beatissimi Sancti dies suæ commemorationis, quæ est die nono mensis Novembris, debeat celebrari.

„ Vadit pars, quod de coetero dies festivitatis ipsius S. Theodori sit festum solemne prout &c. & fuit obtentum, ut supra.

„ Laurentius Justinianus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Castellanus universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Dignum arbitramur, & congruum, ut cœlestis patriæ civibus ante divinæ majestatis thronum continue assistentibus, qui votivas pro fidelium salute preces fundere non desistunt, dignis laudibus

„ bus occurratur; ut celebrentur eorum nomina cum gloria,
„ & honore, cum itaque inter cœteros almæ Venetiarum Ur-
„ bis ab initio gloriosissimus Sanctus Martyr Christi Theo-
„ dorus, ejusdem Urbis præcipuus protector habeatur, quem
„ maxima ac speciali Devotione prosecuti semper fuimus.
„ Placuit Illustrissimo Ducali Dominio nostra instantia edi-
„ tum tribuere, quodque a nobis pontificaliter confirmatur,
„ quod die nono mensis Novembris proxime futuri, quem
„ Sancta Mater Ecclesia universalis suæ commemorationi
„ salubriter dedicavit, & annis singulis perpetuis tempori-
„ bus illo die festum Sancti Theodori nostri devoti, ac
„ istius inclytæ Urbis Venetiarum protectoris devotissime
„ celebretur, ac inviolabiliter ab omnibus perpetuo vene-
„ retur, ac sub excommunicationis pena omnibus præcipi-
„ mus, & mandamus irrefragabiliter observari. Et a cun-
„ ctis in nostra Diœcesi abstineatur mecanicis artibus exer-
„ cendis. Quibus XL. dies de Indulgentia observantibus mi-
„ sericorditer concedimus, ut pius & misericors Deus ejus
„ intercessionis auxilio civitatem istam ejus gratia cum pace,
„ & sospitate conservet.

„ Datum Venetiis in nostro Episcopali palatio MCCCCL.
„ die 12. Mensis Octob.

Philippus Morandus Cancell. Episc. Palatii ss.

(c) Inter Occidentales Ecclesias ex prodigioso sanguine uberius accepit Ecclesia Venetiarum, unde ex eo ditatæ fuerunt Ducalis Divi Marci Basilica, atque Ecclesiæ Parœciales Sanctæ Mariæ Novæ, & Sancti Vitalis.

(d) Beati Gratiæ ex Congregatione Montis Orthoni vitam & miracula dedimus Tom. I. ad Monasterium Sancti Christophori de Pace in Insula.

Quarto Idus Novembris. 10

Natalis Sanctorum Martyrum Thryphonis, & Respicii, ac Nymphæ Virginis (a).

(a) Caput & plurima ossa Sancti Tryphonis Mart. asservantur decentibus loculis inclusa in Ecclesia Parœciali Sancti Felicis, cujus Clerus hac die Officium S. Tryphonis celebrat

brat sub ritu duplici. At hodie festum S. Tryphonis colunt etiam Catharenses ob ejus corpus, quod se possidere gloriantur, ut diximus in notis ad diem III. Febr. Alium igitur esse oportet Tryphonem Venetiis in Eccl. S. Felicis asservatum ab illo, qui Ascrivii colitur, & in Breviario Romano hac die memoratur.

Tertio Idus Novembris. 11

Turonis in Gallia natalis Beati Martini Episcopi & Confessoris, cujus vita extitit miraculis gloriosa (*a*).

Cotyæi in Phrygia insignis passio Sancti Mennæ Ægyptii militis (*b*), qui in persecutione Diocletiani gladio cæsus est, ac multis post mortem miraculis claruit.

(*a*) Divo Martino Episcopo ædificata fuit Venetiis Parœcialis Ecclesia, Sancti autem Episcopi Os tybiæ asservari traditum est in Hospitio Sodalitii Sancti Joannis Evangelistæ.

(*b*) Duplici titulo Sanctorum Geminiani Episcopi, & Mennæ Martyris erigi jussit Venetiis Narses Dux Græcorum Ecclesiam Parœcialem, ut alibi diximus. Partem cranii Sancti Mennæ Martyris asservant Moniales Augustinianæ Sancti Joseph. Ejusque manus colitur in Parœciali Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis.

Pridie Idus Novembris. 12

Venetiis Sancti Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini, & Confessoris (*a*).

(*a*) Ecclesiam Parœcialem Divo Joanni Eleemosynario dicatam illustravimus Tom. III, ejusque corpus quiescere diximus in Ecclesia S. Joannis Baptistæ in Bragora.

Idibus Novembris. 13

Translatio corporis Sancti Venerii Martyris, quod ex Oriente ad Ecclesiam S. Agnetis Venetiarum delatum fuit (*a*).

(*a*) Translationem Divi Venerii Venetias peractam attulimus Operis hujus Tom. V. pag. 153, ex qua & ipsius Translationis dies innotescit.

Decimooctavo Kalendas Decembris. 14

Venetiis festum Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis (*a*).

Trecis in Gallia Sancti Venerandi Mart. sub Aureliano Imperatore (*b*). Item in Gallia Sanctæ Venerandæ Virginis (*c*), quæ sub Antonino Imperatore & Asclepiade Præside, Martyrii coronam accepit.

(*a*) Festum Patrocinii Deiparæ Virginis hac die in Urbe Venetiarum colitur sub ritu duplici majori ex Apostolica concessione; sub cujus titulo erecta est Ecclesia mulierum Pœnitentium.

(*b*) In Ecclesia Parœciali S. Cantiani festum agitur hodie sub ritu duplici Sancti Venerandi Martyris, cujus cranium ibidem habetur.

(*c*) Solemne est apud Moniales Corporis Domini festum Sanctæ Venerandæ Virginis, & Martyris ob lævam manum, quæ in ipsarum Ecclesia summa veneratione asservatur.

Duodecimo Kalendas Decembris. 20

Sancti Stephani Abbatis & Presbyteri Constantinopolitani (*a*) Confessoris.

(*a*) Ad Divi Stephani Presbyteri & Confessoris honorem ædificata visitur Venetiis Ecclesia Parœcialis ipsius exornata Reliquiis. Stephanum refert Ferrarius in Catalogo extra Martyrologium hac die, ipsumque Abbatem, & Martyrem enunciat sub Constantino Iconomacho, & citat de eo Eutropium lib. 22. Rer. Rom.

Undecimo Kalendas Decembris. 21

Jerosolymis Præsentatio Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ in Templo (*a*).

(*a*) Ob civitatem gravi pestilentia liberatam Senatus Venetus Virgini Deiparæ suæ Præsentationis titulo magnificentissimam excitari jussit Ecclesiam Sancta Maria de Salute nuncupatam. Titularis pariter est aliis duobus Ecclesiis Virginea Præsentatio Ecclesiæ nempe Monialium Tertii Ordinis Seraphici Sepulcrum vulgo nuncupatæ, & Ecclesiæ Virginum Secularium, quas Veneti *le Citelle* vocant.

Decimo Kalendas Decembris. 22

Romæ Sancti Mauri Martyris (*a*), qui ex Africa veniens ad Sepulchra Apostolorum, sub Numeriano Imperatore & Celerino Urbis Præfecto agonizavit.

(*a*) Contitularis modo, ut olim titularis erat, Ecclesiæ Divi Angeli est Sanctus Maurus Martyr, de quo hodie in Martyrologio Romano agitur.

Nono Kalendas Decembris. 23

Natalis S. Clementis Papæ (*a*), qui in persecutione Trajani apud Chersonesum relegatus ibi alligata ad collum ejus anchora in mare præcipitatus, martyrio coronatur.

(*a*) Eremitæ Camaldulenses Ecclesiam Sancti Clementis Papæ, & Martyris in Insula positam obtinuerunt; Os ex brachio Sancti Pontificis solemniter hac die ostenditur in Ecclesia Sancti Canciani.

Octavo Kalendas Decembris. 24

Natalis Sancti Chrysogoni Martyris (*a*), qui jubente Diocletiano, capite cæsus, & in mare projectus, Martyrium consummavit.

(*a*) In Ecclesia SS. Gervasii, & Protasii, cujus est contitularis, honorifice asservatur insignis Reliquia Sancti Chrysogoni Martyris.

Septimo Kalendas Decembris. 25

Natalis S. Catharinæ Virginis & Martyris (*a*), quæ sub Maximino Imperatore in carcerem trusa, tandem capitis obtruncatione martyrium complevit.

(*a*) Sanctimoniales Ordinis S. Augustini Ecclesiam obtinent antiquissimam Sanctæ Catharinæ Virg. & Mart. nomine insignitam. Hujus Sanctæ Festum solemnioribus Venetiarum diebus adnumeratum fuit anno 1307, ut ad ipsius Ecclesiam dictum est.

Sexto Kalendas Decembris. 26

Alexandriæ natalis Sancti Petri ejusdem Urbis Episcopi (*a*), qui cum esset omnibus virtutibus exornatus, Galerii Maximiani præcepto capite obtruncatur.

(*a*) Inter alia sacra lipsana, quibus affluunt Sanctimoniales

Divi Zachariæ, caput quoque adnumerant Sancti Petri Alexandrini Episcopi, & Martyris. Ejus pes colebatur olim in Ecclesia Sancti Hieronymi, qui ex incendio in cineres redactus fuit.

Quinto Kalendas Decembris. 27

In Persia Sancti Jacobi intercisi, Martyris conspicui (*a*), qui pro Christi confessione membratim jussus est concidi, & capite obtruncari.

(*a*) Os hujus præclarissimi Martyris servant in sua Ecclesia Sanctimoniales Beatæ Mariæ de Virginibus.

Quarto Kalendas Decembris. 28

Sancti Nicetæ Martyris (*a*), de quo 17. Kalendas Octobris.

(*a*) Corpus S. Nicetæ Martyris collocatum quiescit in Ecclesia Sancti Nicolai Parœciali, in qua hac die solemnia ipsius Martyris celebrantur; Venetiis autem festum ejus agitur sub ritu semiduplici die 20. Decembris.

Tertio Kalendas Decembris. 29

Sancti Fabiani Martyris (*a*), cujus corpus Venetiis in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Salute requiescit.

(*a*) Colitur hac die ritu duplici Sanctus Fabianus Martyr in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Salute.

Pridie Kalendas Decembris. 30

Apud Patras Achajæ natalis S. Andreæ Apostoli (*a*), qui ab Ægea Proconsule in Cruce suspensus, in ea populum docens biduo supervixit.

(*a*) Ecclesia S. Andreæ Apostoli in extremo angulo Civitatis posita a Sanctimonialibus Ordinis S. Augustini excolitur, quæ ipsius os brachii honorifice custodiunt. Læva Apostoli manus apud Patres Servorum B. M. V. Veneti Cœnobii ostenditur, atque nonnullæ aliæ ejusdem Apostoli insignes Reliquiæ in Ecclesiis Sancti Salvatoris, & S. Joannis Chrysostomi religiose asservantur. Habet & alteram S. Apostolus Ecclesiam in Insula prope litus, quæ a piissimo Carthusianorum Monachorum cœtu religiosissime excolitur.

DECEMBER.

Kalendis Decembris. 1

Sanctæ Candidæ Virginis Mart. (*a*), cujus corpus Venetiis in Ecclesia S. Laurentii requiescit.

(*a*) Hac die de S. Candida V. & M. officium agitur solemne cum Lectionibus propriis in Ecclesia Monialium S. Laurentii, in qua sacratissimum Reliquiarum ipsius pignus requiescit; in reliqua vero urbe eadem solemnitas celebratur sub ritu semiduplici.

Quarto Nonas Decembris. 2

Sancti Aniani Episcopi Alexandrini & Confessoris (*a*), de quo septimo Kalendas Maii.

(*a*) Sancti Aniani festum solemni recolitur officio in Ecclesia Charitatis Canonicorum Lateranensium, qui Sanctissimi Præsulis corpus sub ara majori collocatum asservant. Basilica Ducalis S. Marci, & aliæ eidem adnexæ Ecclesiæ sub ritu duplici celebrant idem festum, quod a Clero Urbis sub ritu semiduplici peragitur.

Pridie Nonas Decembris. 4

S. Barbaræ Virginis, cujus corpus ex urbe Constantinopoli adductum Venetiis in sacra æde S. Mariæ olim Cruciferorum, nunc Societatis Jesu collocatum fuit (*a*).

(*a*) Ad hanc S. Barbaram Venetiis quiescentem pertinet, ut traditum est Pes S. Barbaræ nuncupatus in Monasterio S. Laurentii asservatus. Caput vero in Sacello apud S. Mariam Formosam, & alia ossa in variis Ecclesiis sub S. Barbaræ nomine asservata, lipsana Sanctorum esse ex Cœmeteriis Romanis educta, verisimilius putatur, siquidem genuinum Barbaræ Nicomediensis V. & M. Dioscori filiæ corpus Torcelli jacet in Ecclesia Monialium S. Joannis Evangelistæ. Hoc ex Pontificio etiam privilegio confirmatur, quo Benedictus XIV. Officium S. Barbaræ Nicomediensis V. M. passionem, & translationem ipsius Torcelli factam continens, prius Torcellano Monasterio sub ritu 1. Classis mox universo Reipublicæ Venetiarum Dominio sub ritu duplici minori celebrandum indulsit anno 1752.

Nonis

Nonis Decembris. 5

Niciæ apud Varum fluvium Sancti Bassi Episcopi (*a*), qui in persecutione Decii, & Valeriani illustre martyrium consummavit.

Mutalæ in Cappadocia Sancti Sabbæ Abbatis (*b*), qui in Palæstina miro sanctitatis exemplo refulsit, & pro fide Catholica adversus impugnantes sanctam Synodum Chalcedonensem strenue laboravit.

(*a*) Divo Basso Episcopo & Martyri extructa, & dedicata fuit Ecclesia Parœcialis non longe a Ducali Basilica; in qua asservatur pars ejus cranii.

(*b*) Incorruptum celeberrimi Sancti corpus eadem veste indutum, qua vivens (ut traditur) utebatur, in marmoreo sepulcro collocatum visitur, & colitur ad ipsius sacellum in Ecclesia Sancti Antonini Martyris erectum.

Octavo Idus Decembris. 6

Myræ, quæ est metropolis Lyciæ, natalis S. Nicolai Episcopi & Confessoris (*a*).

(*a*) Sanctus Nicolaus terra marique miraculis gloriosus Venetam Urbem suis ditare voluit Reliquiis, quæ in Ecclesia eidem Sancto dicata, & in Litore posita honorifice conditæ quiescunt. Sacra sunt etiam eidem Divo tria Templa, quorum unum Parœciale est in regione Dorsiduri, aliud *la Latuga* nuncupatam a Fratribus Minoribus Conventualibus excolitur, tertium denique in regione Castelli situm prope Ducale Seminarium extructum visitur.

Sexto Idus Decembris. 8

Conceptio gloriosæ semper Virginis genitricis Dei Mariæ (*a*).

(*a*) Virginis Deiparæ sine labe originali conceptæ dedicatæ sunt duæ Seraphici Ordinis Monialium Ecclesiæ, quarum una *i Miracoli* nuncupatur, altera vero Capuccinarum est in regione Castelli.

Quinto Idus Decembris. 9

Veronæ Sancti Proculi Episcopi (*a*), qui in persecutione Diocletiani colaphis ac fustibus cæsus, & civitate pulsus in Ecclesiam suam restitutus quievit in pace.

(*a*) Ecclesia Parœcialis, quæ de jure est Sanctimonialium Divi Zachariæ, Titularem habet Sanctum Proculum Veronensem Episcopum.

Tertio Idus Decembris. 11

S. Nicolai Episcopi Myrensis & Confessoris (*a*) avunculi vulgo nuncupati, qui S. Nicolaum nepotem suum in Episcopatu præcessit.

(*a*) De Sancto Nicolao avunculo Episcopo Myrensi & Confessore celebratur hac die sub ritu dup. 2. classis Officium in Ecclesia S. Nicolai de Litore, in qua ipsius Divi corpus jacet e Myra Lyciæ translatum.

Idibus Decembris. 13

Syracusis in Sicilia natalis Sanctæ Luciæ Virginis & Martyris (*a*), quæ gladio in gutture percussa martyrium consummavit.

Neapoli Beati Joannis Marinonii Veneti Ordinis Clericorum Regularium (*b*).

(*a*) Corpus Sanctissimæ Martyris e Constantinopoli translatum quiescit nunc honorifice in ipsius Parœciali Ecclesia, quam excolunt Sanctimoniales Ordinis S. Augustini. Brachium autem, & manus asservantur in Ecclesia S. Georgii Majoris.

(*b*) Vitam ipsius dedimus Operis hujus Tom. V. ad Monasterium S. Nicolai de Tolentino.

Decimonono Kalendas Januarii. 14

In Cypro Insula natalis Beati Spiridionis Episcopi (*a*), qui unus fuit ex illis confessoribus, quos Galerius Maximianus dextero oculo effosso, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnaverat.

(*a*) Sancti Spiridionis corpus se habere olim jactabant Sanctimoniales Sancti Hieronymi, quod postea ex incendio in

cine-

cineres redactum fuit. (Ex verisimili autem conjectura Reliquiæ illæ ad Sanctum Siridionem Episcopum spectasse putandum est. Extat in Ecclesia S. Samuelis Articulus digiti hujus Sancti Præsulis, cujus officium ex Indulto Apostolico celebratur hac die sub ritu duplici in universa Venetorum Ditione.

Sextodecimo Kalendas Januarii. 17

Massiliæ in Gallia Sancti Lazari Episcopi (*a*), quem Dominus in Evangelio a mortuis suscitasse legitur.

(*a*) Ecclesia Xenodochii Mendicantium Divo Lazaro Episcopo Massiliensi dedicata fuit, cui pariter sacra est Ecclesia Monachorum Armenorum in Insula Veneti stagni sita.

Duodecimo Kalendas Januarii. 21

Calaminæ natalis Beati Thomæ Apostoli (*a*), qui lanceis transfixus, occubuit.

(*a*) Antiqua Divi Thomæ Apostoli Ecclesia, quæ Parœcialis est, modo a fundamentis ornatissime restituitur. In ea sacrum sui Titularis os asservatur.

Septimo Kalendas Januarii. 26

Jerosolymis natalis S. Stephani Protomartyris (*a*), qui a Judæis non longe post Ascensionem Domini lapidatus est.

(*a*) Translationem S. Stephani Protomartyris Venetiis factam dedimus ad Ecclesiam S. Georgii Majoris, in qua sacra lipsana condita jacent. Ejusdem Ecclesiæ Sanctissimus Levita Contitularis est, qui & aliam habet Venetiis Ecclesiam a Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini excultam. Costa Sancti Protomartyris hac die exponitur in Ducali D. Marci Basilica.

Sexto Kalendas Januarii. 27

Apud Ephesum natalis S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ (*a*), qui post Evangelii scriptionem, confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem sepultus est.

(*a*) Ecclesiam habet Venetiis Sanctus Apostolus, ad cujus honorem institutum fuit Sodalitium inter Majora Venetæ Urbis Sodalitia adnumeratum.

Quin-

Quinto Kalendas Januarii. 28

In Bethlehem Judæ natalis Sanctorum Innocentium (*a*), qui ab Herode Rege pro Christo interfecti sunt.

(*a*) Cum multæ Venetæ Ecclesiæ Sacris Bethlehemitarum Infantium lipsanis divites sint, præ cæteris tamen affluunt Ecclesiæ Parœciales Sanctæ Mariæ Novæ, & S. Pantaleonis, Ecclesia Societatis Jesu, atque Ecclesia Sanctorum Philippi & Jacobi, quæ omnes plurima Beatorum infantium ossa hac die publicæ fidelium venerationi exhibent.

Tertio Kalendas Januarii. 30

Romæ Sancti Liberalis Cannarum Episcopi & Martyris (*a*) sub Adriano.

(*a*) Ecclesia, quæ recepto Divæ Marinæ corpore ejusdem Virginis nomen suscepit, dicata antea erat Sancto Liberali Episcopo Cannarum & Martyri, cujus Reliquiæ insignes adhuc in ea Ecclesia ad aram ipso Martyri dedicatam hac die solemniter exponuntur. De eo suse Ferrarius in Catalogo extra Martyrologium hac die.

Pridie Kalendas Januarii. 31

Romæ natalis Sancti Silvestri Papæ (*a*), qui multis rebus sanctissime gestis quievit in pace.

(*a*) Ecclesia Patriarcharum Gradensium olim antiquissima sedes in Rivoalto posita Divum Silvestrum Titularem agnoscit, ad cujus honorem instituta etiam fuit una ex novem Congregationibus Cleri. Festum autem Divi Silvestri, ut solemniter celebraretur Venetiis statutum fuit anno 1408. die 7. Octobris Decreto Majoris Consilii.

MCCCCVIII. *Die* VII. *Octobris.*

„ Quod Festum gloriosi, & summi Pontificis Fideique Catholicæ, & Ecclesiæ Sacrosanctæ Excellentissimi defensoris, augumentatoris, & zelatoris eximii S. Silvestri, quod est singulis annis die ultima mensis Decembris pro reverentia Creatoris nostri, & ipsius almi Confessoris solemniter celebretur in civitate nostra Venetiarum de cætero annis singulis.

Secunda ex quintis Feriis Mensis Martii.

Festum Sacratissimæ Coronæ Spinarum Domini nostri Jesu Christi (*a*).

(*a*) Officium Sacratissimæ Coronæ Spinarum D. N. J. C. sub ritu duplici majori agitur Venetiis ex concessione Benedicti Papæ XIV. facta anno 1752. ea præsertim de causa, quod Venetiis maxima religione asservantur plurimæ ex spinis ipsius Dominicæ Coronæ.

Tertia ex Feriis quintis Mensis Martii.

Festum Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi (*a*).

(*a*) Quum Venetam Civitatem sanguinis pretiosissimi nonnullis guttis ditata sit, quæ in Ducali Basilica religiose coluntur, Benedictus Papa XIV. indulsit anno 1752., ut ejusdem sacratissimi sanguinis officium ab omnibus, qui ad horas canonicas tenerentur in urbe Venetiarum, & Diœcesi celebrari possit, quod deinde ad universam Venetam ditionem dilatatum fuit.

Feria quinta post Dominicam Passionis.

Festum Septem Dolorum Beatissimæ Virginis Mariæ (*a*).

(*a*) Titulo Sanctæ Mariæ de Planctu ædificata fuit publicis Reipublicæ sumptibus Ecclesia, & Sanctimonialibus Ordinis Servorum B. Virginis Mariæ publico munere assignata.

Feria secunda post Dominicam Resurrectionis.

Enuntiandum esset in Veneto Martyrologio Festum Divinæ Sapientiæ, cujus titulo dedicata est Ecclesia Parochialis, attamen ea de causa prætermittitur, quod nullum recitetur de Festo hoc officium proprium, sed solum de solemni Feria occurrente.

Sabbato in Albis.

Enuntiari deberet Venetiis in Ecclesia Parochiali SS. Apostolorum festum diei sequentis, quod Sanctis XII. Apostolis assignatum est, quum autem nullo Officio proprio celebretur, ideo prætermittitur.

Sabbato ante Dominicam III. post Pascha enuntiatur.

Festum S. Raphaelis Archangeli (*a*).

(*a*) Divi Raphaelis Archangeli nomine dedicata Venetiis habetur Ecclesia Parochialis.

In Vigilia Ascensionis.

In Monte Oliveti Ascensio Domini nostri Jesu Christi (*a*).

(*a*) Ascensionis Dominicæ titulo extat Venetiis Ecclesia, quæ olim Sancta Maria de Broleo vocabatur.

In Vigilia Pentecostes.

Dies Pentecostes, quando Spiritus Sanctus Jerosolimis super discipulos igneis linguis advenit (*a*).

(*a*) Sancto Paraclito dedicata sunt Venetiis duo Templa, alterum in æstuariis Sanctus Spiritus nuncupatum, in ea Insula, ubi degunt Minoritæ de Observantia Provinciæ Cretensis, alterum in urbe, quod Spiritus Sanctus dicitur a Sanctimonialibus excultum.

Sabbato infra octavam Pentecostes.

Festum Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis (*a*).

(*a*) Sanctissimæ Trinitati sacra est Ecclesia Parochialis, eodemque titulo insignitur Sacellum Sodalitii, quod apud S. Mariam de Salute visitur.

Feria IV. post Octavam Pentecostes.

Festum sacratissimi Corporis Christi (*a*).

(*a*) Extat Venetiis Templum Dominici Corporis titulo insignitum, quod a Religiosis Monialibus Ordinis Prædicatorum excolitur. Festum Corporis Christi ab Urbano IV. Pontifice institutum, ut Venetiis quoque *pro Festo solemni in Palatio, & ubique* haberetur Majoris Consilii lege statutum fuit anno 1295.

MCCXCV. Die Ultimo Maii.

In Majori Consilio.

„ Vadit Pars, quod Offitium Corporis Christi, quod fit in „ die prima Jovis post Octavam Pentecosten, propter reve-

„ rentiam ipsius Festivitatis habeatur de cetero pro Festo so-
„ lemni in Palatio, & ubique.

Solemnis autem supplicatio, qua Dominicum Corpus per Plateam Divi Marci circumfertur, instituta fuit anno 1407. hoc Decreto.

MCCCCVII. Die XXII. Maii.

In Majori Consilio.

„ Cum Festum sive solemnitas Corporis Christi reverentia
„ Dei, ac etiam pro imitatione bonarum consuetudinum,
„ quæ fiunt in omnibus terris notabilibus dicto die, sit omni
„ spiritu celebrandum.

„ Vadit Pars, quod dicto die omni anno de mane debeat
„ fieri Processio portando Corpus Christi sub uno palio pul-
„ cro super quatuor hastis, quod Palium portetur per quatuor
„ Nobiles milites, & si tunc non essent ibi milites, per qua-
„ tuor alios Nobiles prout videbitur Domino Duci, & Con-
„ siliariis, ad quam Processionem debeant esse Dominus Dux,
„ & sic est contentus & Consiliarii, & de aliis nobilibus,
„ qui vellent pro reverentia Gloriosi Jesu Christi Domini no-
„ stri, & honore Patriæ esse ad dictam processionem, ad quam
„ Processionem esse debeant omnes Canonici, & Mansionarii
„ Ecclesiæ Sancti Marci ab horis apud Canonicam, & ire
„ per apud Procuratias usque caput Plateæ, & circumdando
„ Plateam & revertendo in Ecclesiam per portam, quæ est
„ ad Canonicam per oppositum Ecclesiæ S. Bassi.

Ut autem statuta supplicatio solemniori modo ageretur S. C. mandatum fuit anno 1440, ut videre est ad Basilicam Ducalem S. Marci pag. 249. idemque novo Decreto confirmatum anno 1454. quibusdam additis regulis, quæ ad firmiorem rei exequendæ methodum videbantur opportuna.

MCCCCLIIII. *Die* XXX. *Decembris.*

„ Cum per universam Christianitatem festum Sacratissimi
„ Corporis Christi solemniter celebretur, & in multis civi-
„ tatibus, quæ non sunt comparandæ huic Civitati nostræ

Vene-

„ Venetiarum fiant omni anno in die ipsius solemnitatis so-
„ lemnissimæ processiones, & ceremoniæ in honorem tanti
„ misterii, & sacramenti, quod est summe laudandum & con-
„ veniat dignitati, & debito hujus civitatis, & Dominii No-
„ stri pro honore ipsius Sacramenti dare operam, quod om-
„ ni anno in die ipsius solemnitatis fiat una notabilis proces-
„ sio in S. Marco, & quanto solemnius sit possibile, & quam-
„ quam in festivitate elapsa Corporis Christi dicta processio
„ facta fuerit, tamen providendum est, quod sic omni anno
„ perseveretur, quia parum laudabile esset dedisse principium,
„ nisi continuaretur, & de bono in melius procederetur.

„ Vadit Pars, quod omni anno in die Corporis Christi fie-
„ ri debeat in S. Marco una notabilis, & solemnis processio,
„ ad quam venire debeant Scolæ Batutorum, regulæ Fratrum
„ & Monachorum & Congregationes Presbyterorum Secula-
„ rium, & Episcopi, & Abbates Mitrati juxta solitum om-
„ nes bene in ordine, & cum paramentis, & aliis ornamen-
„ tis suis, & quod Plathea S. Marci circumcirca panis co-
„ hoperiatur, quos panos illi de arte lane commodare tenean-
„ tur, & Antenellæ necessariæ accipiantur ab illis a lignami-
„ ne, & completa solemnitate omnia restituantur, & si ali-
„ quid ex prædictis perderetur vel vastaretur Dominium no-
„ strum id solvere & reficere teneatur.

„ Verum ne Plathea nostra omni anno frangatur pro figen-
„ do dictas Antenellas, ex nunc sit captum, quod Procurato-
„ res nostri S. Marci teneantur, & debeant fieri facere lapi-
„ des vivos seu marmoreos ad sufficientiam pro ponendo eos
„ in terra per plathеam prædictam in locis, in quibus Ante-
„ nelle figuntur, qui lapides ibi continue stabunt, & plathea
„ non recipiet, aliquod detrimentum. Expensa vero, quæ se-
„ quetur pro his lapidibus solvi debeat per ratam & faculta-
„ tem trium Procuratoriarum nostrarum. Executio autem fie-
„ ri faciendi dictam processionem omni anno, & habendi pa-
„ nos, & antenellas, & alia necessaria commissa sit Procura-
„ toribus nostris Ecclesiæ S. Marci auctoritate hujus Consilii.

Sabba-

Sabbato ante Dominicam III. Julii.

Festum Sanctissimi Redemptoris (*a*).

(*a*) Venetiis Dominica III. Julii solemnis agitur Commemoratio Sanctissimi Redemptoris Domini nostri Jesu Christi, cui magnificum Templum ære publico extructum fuit ob civitatem gravi pestilentia liberatam.

INDEX

Sanctorum & Beatorum, qui in hoc Menologio enuntiantur.

Abdon & Sennen Mm. 30. Jul.
Achilleus & Nereus Mm. 12. Maii.
Agapitus M. 18. Aug.
Agatha V. M. 5. Feb.
Agnes V. M. 21. Jan.
Anastasius Monach. M. 22. Jan.
Andreas Apost. 30. Nov.
Andreas Ep. C. 4. Julii.
Andreas M. 19. Aug.
Anianus Ep. C. 25. Apr. 2. Dec.
Anna 26. Julii.
Antoninus M. 2. Sept.
Antonius Abb. 17. Jan.
Antonius Patavinus C. 13. Jun.
Apollinaris Ep. M. 23. Julii.
Athanasius Ep. C. 2. Maii.
Augustinus Ep. C. 28. Aug.
Bacchus & Sergius Mm. 7. Oct.
Barbara V. 4. Dec.
Barbarus M. 14. Maii.
Barbarus & Ligorius 8. Julii.
Barnabas Ap. 11. Junii.
Bartholomæus Ap. 24. Aug.
Basilius Ep. C. 1. Jan. 14. Jun.
Bassus Ep. M. 5. Dec.
Benedictus Abb. 21. Martii.
Blasius Ep. M. 3. Febr.
Bonaventura Ep. C. 14. Jul.
Bonaventura Tornielli C. 30. Aprilis.
Candida V. M. 1. Dec.
Cantius, Cantianus, Cantianilla & Protus Mm. 31. Maii.
Carolus de Monte Granello C. 5. Septemb.
Cassianus Ep. M. 13. Aug.
Catharina V. M. 25. Nov.
Catharina V. Senen. 30. Apr.
Christophorus M. 25. Julii.
Chrysogonus M. 24. Nov.
Circumcisio D. N. J. C. 1. Jan.
Clara de Bugnis V. 28. Apr.
Clara V. 12. Aug.
Clemens Pp. M. 23. Nov.
Comitissa V. 8. Sept.
Constantius C. 23. Sept.
Ejus Translatio 12. Julii.

Cor-

Cordula V. M. 22. Octob.
Cornelius & Cyprianus Mm. 16. Sept.
Cosmas C. 2. Sept.
Ejus Translatio 20. Apr.
Cosmas & Damianus Mm. 27. Sept.
Eorum Transl. 10. Maii.
Crescentia & Soc. Mm. 15. Jun.
Crescentio M. 10. Martii.
Crucis Exaltatio 14. Sept.
Ejus Inventio 3. Maii.
Cyprianus & Cornelius Mm. 16. Sept.
Damianus & Cosmas Mm. 27. Septemb.
Eorum Transl. 10. Maii.
Daniel Proph. 21. Julii.
Decem Millia Martyr. 22. Jun.
Dedicatio Eccl. Duc. 8. Oct.
Dedicatio Eccl. Patr. 2. Sept.
Defunctorum Commemoratio 2. Nov.
Dominicus C. 4. Aug.
Dorothea V. M. 6. Feb.
Dorothea & Soc. Vv. Mm. 3. Sept.
Elisabeth 5. Nov.
Eliseus Proph. 14. Junii.
Epimachus & Gordianus Mm. 10. Maii.
Epiphania Domini 6. Jan.
Erasma & Soc. Vv. Mm. 3. Sept.
Eudocia M. 1. Martii.
Euphemia & Soc. Vv. Mm. 3. Sept.
Euphemia Justiniana V. 2. Jun.
Eustachius & Soc. Mm. 20. Sept.
Eutychius Ep. C. 19. Febr.
Ejus Translatio 14. Maii.
Fabianus M. 29. Nov.
Fantinus C. 31. Julii.
Felix Presb. M. 14. Januarii & Conf. 31. Aug.
Franciscus Conf. 4. Octob.
Franciscus de Paula C. 2. Apr.
Franciscus Quirinus Patr. Grad. 1. Julii.
Fortunatus & Hermagora Mm. 12. Julii.
Fusca V. M. 13. Febr.
Gallus Abb. 16. Octob.
Geminianus Ep. C. 30. Jan.
Gentilis M. 5. Sept.
Georgius M. 23. Apr.
Gerardus Sagredo Ep. M. 24. & 26. Sept.
Gervasius & Protasius Mm. 19. Junii.
Gordianus & Epimachus Mm. 10. Maii.
Gratia Conf. 9. Nov.
Gregorius Pp. C. & Eccl. Doct. 12. Martii.
Gregorius & Soc. Confessores 24. Aug.
Gregorius Nazianzenus Episc. C. 9. Maii.
Helena Imp. 18. Aug.
Hermagoras Ep. & Fortunatus Mm. 12. Julii.
Hermolaus C. 27. Julii.
Hieronymus C. & Doct. 30. Sept.
Hieronymus Æmilianus C. 8. Febr.
Hilarion Abb. 21. Octob.

Jaco-

Jacobus Maj. Ap. 25. Julii.
Jacobus intercisus M. 27. Nov.
Jacobus & Philippus Apostoli 1. Maii.
Jacobus Salomonius Conf. 31. Maii.
Jeremias Proph. 1. Maii.
Imago Salvatoris Beriti 9. Nov.
Innocentes Mm. 28. Dec.
Joanna V. Ord. Præd. 23. Jul.
Joannes Ap. & Evang. 27. Dec.
Ante Portam Latinam 6. Maii.
Joannes Calybita C. 15. Jan.
Joannes Chrysostomus Ep. C. 27. Jan.
Joannes Presb. C. 10. Aug.
Joannes Damascen. C. 6. Maii.
Joannes de Deo C. 8. Mart.
Joannes Eleemosynarius Ep. 23. Jan. 12. Nov.
Ejus Translatio 3. Febr.
Joannes Marinonius C. 13. Decembris.
Joannes & Paulus Mm. 26. Jun.
Joannes Pp. M. 27. Maii.
Joannis Baptistæ Nat. 24. Jun.
Ejus Decollatio 29. Aug.
Joannis M. Translatio 19. Maii.
Job Proph. 10. Maii.
Jonas Proph. 21. Sept.
Joseph Conf. 19. Martii.
Patrocinii Festum 24. Apr.
Isidorus M. 15. Maii.
Ejus Translatio 16. Apr.
Juliana Colalto V. 1. Sept.
Juliana V. M. 16. Sept.
Julianus & Soc. Mm. 7. & 9. Januarii.
Justina V. M. 7. Octob.
Lanfranchus Ep. C. 3. Jul.
Laurentius M. 10. Aug.
Laurentius Justinianus Ep. C. 8. Jan. 5. Sept.
Lazarus Ep. C. 17. Dec.
Leo IX. Pp. C. 19. Apr.
Leo Bembus Ep. C. 10. Aug.
Leo Ep. C. 29. Apr.
Leo & Soc. Confess. 24. Aug.
Leonardus Confess. 6. Nov.
Liberalis Ep. M. 30. Dec.
Ligorius & Barbarus Mm. 8. Julii.
Ligorius M. 13. Sept.
Lizerius M. 2. Octob.
Lucas Evang. 18. Octob.
Lucia V. M. 13. Dec.
Ejus Translatio 18. Jan.
Ludovicus Ep. C. 19. Aug.
Macarius Abb. 15. Jan.
Magnus Ep. C. 6. Octob.
Mamans M. 17. Aug.
Marcus Evang. 25. Apr.
Ejus Translatio 31. Jan.
Ejus Apparitio 25. Jun.
Margarita V. M. 20. Julii.
Maria tit. Annuntiationis 25. Martii.
Assumptionis 15. Aug.
Conceptionis 8. Dec.
Montis Carmeli 16. Julii.
Nativitatis 8. Sept.
Patrocinii 14. Nov.
Præsentationis 21. Nov.
Purificationis 2. Feb.
Visitationis 2. Julii.
Maria Cleophæ 9. Apr.
Maria Egyptiaca 2. Apr.

Maria Magdalena 22. Julii.
Marina V. 18. Junii.
Ejus Translatio 17. Jul.
Martha V. 29. Julii.
Martialis Ep. C. 30. Junii.
Martinus Ep. C. 11. Nov.
Martyres Decem Millia 22. Junii.
Martyres Quadraginta 10. Martii.
Mathias Ap. 24. Febr.
Matthæus Ap. Evang. 21. Sept.
Matthæus de Bascio C. 5. Aug.
Maura 1. Nov.
Maura M. 13. Febr.
Maurus M. 22. Nov.
Mauritius & Soc. Mm. 22. Sept.
Maximus Ep. M. 8. Octob.
Mennas M. 11. Nov.
Michael Archang. 29. Sept.
Modestus & Soc. Mm. 15. Jun.
Monica Vid. 4. Maii.
Moyses Proph. 4. Sept.
Nereus & Achilleus Mm. 12. Maii.
Nicetas Gothus M. 15. Sept. 28. Nov.
Nicetus M. 12. Sept.
Nicolaus Magnus Ep. C. 6. Dec.
Ejus Translatio 25. Maii.
Nicolaus Ep. C. 11. Dec.
Ejus Translatio 25. Maii.
Omnes Sancti 1. Nov.
Onuphrius Anachoreta 12. Jun.
Pacificus Confess. 21. Julii.
Pancratius M. 12. Maii.
Pantaleon M. 27. Julii.
Paternianus Ep. C. 10. Julii.
Paulus Ap. 29. Junii.
Ejus Conversio 25. Jan.
Ejus Commemoratio 30. Junii.
Paulus Ep. M. 7. Junii.
Paulus M. 17. Martii 8. Jul.
Ejus Translatio 24. Maii.
Paulus & Joannes Mm. 26. Jun.
Petronia 1. Nov.
Petrus Acotantus C. 21. Aug.
Ejus Translatio 23. Apr.
Petrus Ep. M. 26. Nov.
Petrus M. 29. Apr.
Petrus & Paulus Apostoli 29. Junii.
Petrus de Pisis C. 17. Junii.
Petrus Urseulus C. 10. 14. Jan.
Philippus & Jacobus Apostoli 1. Maii.
Plato M. 22. Jul.
Polycarpus Ep. M. 26. Jan.
Pontianus 1. Nov.
Prochorus M. 9. Apr.
Procopius M. 8. Julii.
Proculus Ep. C. 9. Dec.
Prosper, Vitalianus, Vincentius, Maura, Petronia, Theora, & Pontianus 1. Nov.
Protasius & Gervasius Mm. 19. Junii.
Quadraginta Mart. 10. Mart.
Quiricus M. 16. Junii.
Rochus C. 16. Aug.
Romualdus Abb. 7. Febr.
Sabbas Abb. 5. Dec.
Sabina V. 29. Aug.
Sabina M. 29. Aug.
Samuel Proph. 20. Aug.

Scholastica V. 10. Febr.
Sebastianus M. 20. Jan.
Secundus M. 29. Martii & 1. Junii.
Sennen & Abdon Mm. 30. Jul.
Sergius & Bacchus Mm. 7. Oct.
Servilius M. 24. Maii.
Severus Ep. C. 1. Febr.
Sigismundus M. 1. Maii.
Silvester Ep. C. 31. Dec.
Simeon Senex 8. Octob.
Simon Stok C. 16. Maii.
Simon & Thaddæus Apostoli 28. Octob.
Spiridion Ep. C. 14. Dec.
Stephanus C. 20. Nov.
Stephanus Ep. M. 25. Apr.
Stephanus Pp. M. 2. Aug.
Stephanus Protom. 26. Dec.
Ejus Inventio 3. Aug.
Ejus Translatio 3. Junii.
Thaddæus & Simon Apostoli 28. Octob.
Tharasius Erem. C. 17. Sept.
Thecla V. M. 23. Sept.
Thecla & Soc. Vv. Mm. 3. Sept.
Theodosia V. M. 2. Apr.
Theodorus M. 7. Febr.
Theodorus M. 9. Nov.
Theodorus Ep. M. 24. Jan.
Ejus Translatio 25. Maii.
Theodorus & Soc. Confessores 24. Aug.
Theonestus Ep. M. 30. Oct.
Theophanes M. 12. Martii.
Theora 1. Nov.
Theresia V. 15. Octob.
Thomas Ap. 21. Dec.
Tiburtius & Valerianus Mm. 14. Apr.
Titus Ep. C. 4. Jan.
Transfiguratio Domini 6. Aug.
Tryphon M. 3. Jan.
Tryphon & Soc. Mm. 10. Nov.
Valerianus & Tiburtius Mm. 14. Apr.
Ubaldus Ep. C. 16. Maii.
Veneranda V. M. 14. Nov.
Venerandus M. 14. Nov.
Venerius M. 13. Nov.
Vincentius 1. Nov.
Vitalianus 1. Nov.
Vitalis M. 28. Apr.
Vitus & Soc. Mm. 15. Jun.
Uldaricus Ep. C. 4. Julii.
Ursula & Soc. Vv. Mm. 21. Octob.
Xystus Secundus Pp. M. 6. August.
Zacharias Proph. 5. Nov.

Non

NON semel in hoc opere professus sum, me, ut homines ad exhibendam ab imperviis archivis delitescentia documenta allicerem, Ecclesias Venetas nullo ordine collectas illustrasse, & in lucem protulisse. Ad id invito licet animo agendum, necessitas, quæ legi non paret, me impulit, quod tamen in Torcellanis Ecclesiis evitare potui, eas enim, cum documenta omnium congesta præsto essent, opportuno ordine rite disposita vulgavi. Humanitatem itaque Lectoris obtestor, ne mihi vitio vertat, si desperationem aliquando in virtutem convertere coactus fuerim; præsertim cum inordinata Ecclesiarum commixtio facile ex aptato Indice suppleri queat. Indicem itaque profero eo modo dispositum, quo Franciscus Sansovinus Ecclesias ipsas in suo de Veneta Urbe libro ordinate concinnavit; scilicet, ut per sex Urbis regiones (Sesteria Veneti vocant) partitæ, eæ primum obtineant locum, quæ Parochiali jure insignitæ sunt, succedant deinde Regularium primo, mox Sanctimonialium Ecclesiæ; novissimo autem loco reliquæ statuantur, quæ nec Parochiali connotantur titulo, nec ab ullo Regulari cœtu coluntur.

In Regione Castelli.

Cathedralis Sancti Petri Apostoli.	Tom. XIII.	Pag. 1
Parochialis S. Blasii Ep. M.	VIII.	3
Par. S. Martini Ep. Conf.	IV.	331
Par. S. Joan. Baptistæ in Bragora.	IV.	339
Par. S. Antonini Mart.	XII.	338
Par. SS. Trinitatis.	IV.	356
Par. S. Justinæ V. M. Monialium Ord. S. August.	XI.	198
Par. S. Severi Ep. Conf.	XI.	137
Par. S. Proculi Ep. Conf.	XI.	405
Par. S. Mariæ Formosæ.	III.	291
Par. S. Marinæ Virg.	III.	251
Par. S. Leonis IX. Pp.	III.	244
Par. S. Joannis in Oleo.	XII.	217
S. Dominici Regularium Ord. Prædicat.	VII.	304
SS. Bartholomæi, & Francisci de Paula Regul. Ord. Minimorum.	IV.	313
S. Antonii Abbatis Canon. Regul. S. Salvatoris.	IV.	294

	Tom.	Pag.
S. Francisci a Vinea Regular. Ord. Min.	VIII.	10
SS. Joannis & Pauli Regularium Ord. Præd.	VII.	235
S. Mariæ de Virginibus Monialium Ord. S. Augustini.	IV.	3
S. Danielis Proph. Monialium Ord. S. August.	IV.	161
S. Annæ Monialium Ord. S. Benedicti.	IV.	250
S. Joseph Monial. Ord. S. Benedicti.	IV.	276
Immaculatæ Conceptionis Monialium Cappucinarum.	XII.	396
SS. Rosarii Monial. Tertii Ord. S. Dominici.	VII.	353
S. Sepulcri Monial. Tertii Ord. Minorum.	XI.	271
S. Zachariæ Monial. Ord. S. Benedicti.	XI.	305
S. Laurentii Mart. Monial. Ord. S. Benedicti.	XI.	41
S. Joannis Lateranensis Monial. Ord. Sancti Benedicti.	XI.	172
S. Mariæ de Planctu Monial. Ord. Servorum.	III.	276
S. Mariæ ad Cœlestia Monial. Cisterciensium	XI.	222
S. Nicolai Seminarii Ducalis.	XII.	401
SS. Petri & Pauli Apost. Xenodochii.	IV.	241
S. Mariæ Domus-Dei Hospitalis.	VIII.	320
S. Mariæ de Pietate Infantium Expositorum.	VIII.	68
S. Joannis Baptistæ Equitum Melitensium.	XII.	383
S. Georgii Græcorum.	XII.	357
SS. Philippi & Jacobi Apost.	XII.	225
S. Mariæ Derelictorum.	III.	271
S. Lazari Mendicantium.	IX.	294

In Regione Sancti Marci.

Basilica Ducalis S. Marci.	X.**	1
Parochialis S. Geminiani Ep. Conf.	III.	343
Par. S. Moysis Proph.	III.	358
Par. S. Mariæ Jubanico.	III.	372
Par. S. Mauritii Mart.	III.	379
Par. S. Vitalis Mart.	III.	383
Par. S. Samuelis Proph.	III.	393
Par. S. Michaelis Archang.	XII.	291
Par. S. Benedicti Abbatis.	XII.	252
Par. S. Paterniani Ep. Conf.	XII.	259

Par.

Par. S. Fantini Conf.	Tom. XII.	Pag. 318
Par. S. Lucæ Evang.	XII.	252
Par. S. Salvatoris Canonicorum Regularium.	II.	243
Par. S. Bartholomæi Apost.	I	315
Par. S. Juliani Mart.	III.	317
Par. S. Bassi Ep. Mart.	V.	112
S. Stephani Regularium Ord. S. Augustini.	XII.	305
S. Mariæ Consolationis Presbyt. Oratorii.	III.	217
SS. Rochi, & Margaritæ Monialium Ordin. S. Augustini.	III.	387
S. Mariæ in Broleo seu Ascensionis Dominicæ.	XII.	240
S. Galli Abbatis.	III.	346
S. Crucis Armenorum.	III.	337

In Regione Canalis Regii.

Paroch. S. Hieremiæ Proph.	VI.	415
Par. S. Luciæ Virg. Mart. Monialium Ord. S. Augustini.	VIII.	333
Par. S. Hermagoræ Ep. M.	I.	291
Par. S. Leonardi Conf.	XII.	111
Par. S. Mariæ Magdalenæ.	XII.	119
Par. S. Martialis Ep. Conf.	II.	153
Par. S. Fuscæ Virg. Mart.	XII.	129
Par. S. Felicis Conf.	II.	159
Par. S. Sophiæ.	II.	164
Par. SS. Apostolorum.	II.	169
Par. S. Canciani & Soc. Mart.	II.	198
Par. S. Mariæ Novæ.	II.	231
Par. S. Joannis Chrysostomi.	II.	235
S. Mariæ de Nazareth Carmelitarum Excalceatorum.	VI.	410
S. Job Regularium Ord. Minorum.	XII.	77
S. Bonaventuræ Ep. Conf. Regularium Ord. Minorum.	XII.	57
S. Mariæ Ord. Servorum B. M. V.	II.	1
S. Mariæ ab Horto Monach. Cistercienfium.	XII.	3
S. Mariæ Societatis Jesu.	II.	173
S. Christophori in Insula Regul. S. Augustini.	I.	253

Corporis Domini Monialium Ord. Præd.	Tom. I.	Pag. 113
S. Mariæ Redemptoris Monialium Cappucin.	XII.	66
S. Hieronymi Monial. Ord. S. Augustini.	II.	105
S. Ludovici Ep. Conf. Monial. S. Augustini.	I.	303
S. Catharinæ V. M. Monial. S. Augustini.	XII.	201
S. Mariæ Miraculorum Monial. Ord. Minor.	III.	267
S. Mariæ Patrocinii Mulierum Pœnitentium.	VI.	417
S. Mariæ de Misericordia Prioratus.	XII.	135

In Regione S. Pauli.

Parochialis S. Pauli Apost.	II.	309
Par. S. Thomæ Apost.	II.	326
Par. S. Stephani Conf.	II.	374
Par. S. Augustini Ep. Conf.	II.	379
Par. S. Ubaldi Ep. Conf.	II.	384
Par. S. Apollinaris Ep. Mart.	III.	156
Par. S. Silvestri Pp.	III.	3
Par. S. Matthæi Apost.	III.	173
Par. S. Joannis Eleemosynarii.	III.	181
S. Mariæ Gloriosæ Minorum Conventualium.	VI.	276
S. Nicolai de Latuca Minorum Conventual.	VI.	308
S. Joannis Evangelistæ Prioratus.	VI.	330
S. Rochi Conf.	VI.	313
S. Jacobi Majoris de Rivoalto.	III.	209

In Regione Sanctæ Crucis.

Paroch. S. Crucis Monialium Ord. Minorum.	IX.	311
Par. S. Simeonis Proph.	VI.	386
Par. SS. Simonis & Judæ Apostol.	VI.	403
Par. S. Joan. Baptistæ Decollati.	VI.	382
Par. S. Jacobi Majoris de Luprio.	VI.	378
Par. S. Eustachii Mart.	II.	388
Par. S. Cassiani Ep. Mart.	II.	393
Par. S. Mariæ Matris Domini.	II.	300
S. Nicolai de Tolentino Clericorum Regul.	VI.	181
S. Andreæ Apost. Monial. Ord. S. Augustini.	I	163
Jesus & Mariæ Monial. Ord. S. Augustini.	VI.	393

Huic Regioni (ut notat Sansovinus) *adnectuntur Ecclesiæ omnes & Monasteria, quæ extant in Insulis Æstuarii.*

S. Helenæ Monachorum Montis Oliveti.	Tom. IX.	Pag. 173
S. Andreæ Apost. Monachorum Carthusian.	IX.	135
S. Nicolai de Litore Monach. S. Benedicti.	IX.	3
S. Georgii Majoris Monach. Ord. S. Benedicti.	VIII.	81
S. Mariæ Gratiarum Monial. Cappucinarum.	VIII.	290
S. Clementis Pp. Mart. Eremitarum Camaldulensium.	IX.	215
S. Servuli Mart. Regul. S. Joannis de Deo.	V.	88
S. Spiritus Regularium Ord. Minorum.	IX.	246
S. Lazari Monach. Armenorum S. Antonii Abbatis.	IX.	268
S. Georgii in Alga Carmelitarum Excalceatorum.	VI.	57
S. Secundi Mart. Ord. Prædicatorum.	VI.	3
S. Mariæ de Nazareth Læmocomium.	IX.	298

In Regione Dorsi-duri.

Parochialis S. Nicolai Ep. Conf.	V.	365
Par. S. Raphaelis Archang.	V.	329
Par. S. Basilii Ep. Conf.	I	91
Par. SS. Gervasii & Protasii Mm.	V.	235
Par. S. Agnetis V. M.	V.	152
Par. S. Barnabæ Apost.	V.	379
Par. S. Pantaleonis Mart.	II.	341
Par. S. Margaritæ V. M.	VI.	267
Par. S. Viti Mart.	I.	103
Par. S. Gregorii Abbatia.	IX.	333
Par. S. Euphemiæ de Judaica.	XII.	242
S. Sebastiani Mart. Cong. B. Petri de Pisis.	V.	285
S. Mariæ de Rosario Regul. Ord. Præd.	V.	220
S. Mariæ de Charitate Can. Regul. Lateran.	V.	157
S. Mariæ de Monte Carmelo Regular. Carmelitarum.	VI.	252
S. Mariæ de Salute Clericor. Regular. de Somasca.	V.	3

S. Joan-

S. Joannis Baptistæ de Judaica Monachorum Camaldulensium.	Tom. I.	Pag. 279
S. Jacobi de Judaica Ord. Servorum B. M. V.	XII.	414
SS. Redemptoris de Judaica Minor. Cappuc.	XI.	3
S. Angeli de Judaica Regular. Carmelit.	XII.	427
S. Marthæ Virg. Monialium Ord. S. August.	VI.	86
S. Theresiæ Virg. Monialium Carmelitarum.	V.	329
S. Mariæ Majoris Monialium Ord. Minorum.	V	369
Omnium Sanctorum Monial. Ord. S. Benedicti.	V.	272
S. Joseph Monial. Eremit. S. Augustini.	V.	243
Spiritus Sancti Monial. Ord. S. Augustini.	V.	128
S. Mariæ de Humilitate Monial. Ord. S. Bened.	V.	80
SS. Blasii & Cathaldi de Judaica Monialium Ord. S. Benedicti.	XII.	452
S. Mariæ Magdalenæ de Judaica Monial. Ord. S. Augustini.	XII.	440
SS. Cosmæ & Damiani de Judaica Monial. Ord. S. Benedicti.	VI.	49
S. Crucis de Judaica Monial. Ord. S. Bened.	I.	3
S. Mariæ de Succursu Mulierum Sæcularium.	V.	326
S. Salvatoris Incurabilium.	V.	147
S. Joannis Baptistæ Cathecumenorum.	V.	125
S. Mariæ Puellarum Sæcularium in Judaica.	XII.	411

F I N I S.

CATA-

CATALOGO DE' SIG.RI ASSOCIATI,

Per ordine d' Alfabeto, secondo li loro Cognomi.

VENEZIA.

Il Serenissimo Pietro Grimani Doge.

Monſ. Ill. e Reverendiſs. Alviſe Foſcari Patriarca.

Li Reverendiſs. Sigg. Preſſidenti delle Nove Congregazioni.

Reverendiſs. Sig. D. Domenico Adamol Pievano di S. Martino.

Sig. Giambatiſta Albrizzi q. Gerolamo. *per due*

Reverendiſs. Sig. D. Angelo Armetti Pievano di S. Silveſtro.

Reverendiſs. Sig. D. Giacomo Attardo Pievano di S. Biaſio.

Sig. Eredi Baglioni.

N. H. ſ. Franceſco Abate Baglioni.

Reverendiſs. P. D. Gianfranceſco Baldini Generale de' C. R. S.

Sig. Dottor D. Giambattiſta Baroni.

N. H. ſ. Ignazio Co: Barziza.

N. H. Miſ. Almorò Barbaro Proc.

M. R. Pad. Don Giuſeppe Barra Prepoſito de' PP. della Congregazione dell' Oratorio.

M. R. Pad. Maeſtro Giuſeppe Maria Bergantini Provinciale de' Servi di Maria.

Reverendiſs. Sig. D. Gregorio Bianchi Canonico Ducale, Arciprete della Congregazione di S. Angelo, e Pievano di S. Pantalon.

M. R. P. Don Giambatiſta Borini Provinciale della Congregazione del B. Pietro da Piſa.

Reverendiſs. Sig. D. Franceſco Dottor Bottion Pievano di S. Angelo.

Reverendiſs. Sig. D. Antonio Buſi Canonico Patriarc. e Pievano di S. Giuliano.

Ill. Sig. Marc' Antonio Buſinello Segretario dell' Eccel. Senato.

Ill. Sig. Alviſe Caortorta.

Ill. Sig. Dottor Arcadio Capello Med. Fiſ.

N. H. ſ. Pier Gerolamo Capello.

Reverendiſs. Sig. D. Pace Carnio Vicario perpetuo di S. Bortolamio, Canonico Patriarcale, ed Arciprete della Congregazione di S. Polo.

Reverendiſs. Sig. D. Bartolomeo Carminati Pievano di S. Polo, Vicario della Ducal Baſilica.

Reverendiſs. Sig. D. Giuſeppe Cavagnis Pievano di S. Tomà.

Reverendiſs. Sig. D. Giovanni Centoni Pievano di S. Vitale, Canon. Ducale.

Reverendiſs. P. Abate Civran dei Monaci Caſſineſi di S. Giorgio Maggiore.

Ill. Sig. Giuſeppe Comincioli.

N. H. ſ. Marin Contarini.

Ill. Sig. Franceſco Contarini.

N. H. ſ. Andrea Corner fu de ſ. Marco.

Reverendiſs. Sig. D. Gio: Antonio Corſi Pievano di S. Baſſo.

NN. HH. ſ. Andrea, e Marco Fratelli Corneri.

M. R. Pad. D. Anſelmo Coſtadoni M. C.

M. R. Sig. Dottor D. Pietro Coſtadoni.

N. H. ſ. Gio: Antonio Crotta.

Reverendiſs. Sig. D. Gaetano Depoutez Dott. di Teologia, Canonico Teologo della Baſilica Metropolitana Patriarcale.

RR. PP. Domenicani di Caſtello.

RR. PP. Domenicani di S. Secondo.

Reverendiſs. Sig. D. Gianjacopo Fachi Pievano di S. Luca, ed Arciprete della Congregazione di S. Maria Mater Domini.

N. H. ſ. Zuanne Falier fu de ſ. Franc.

Ill. Sig. Co: Franceſco Fanſogna.

Reverendiſs. Sig. D. Gaſparo Fanton Pievano di S. Felice.

Reverendiſs. Sig. D. Michiel Faſiol Pievano di S. Simon Picolo.

N. H. ſ. Marco Flangini.

N. H. miſ. Marco Foſcarini K. e Proc.

Ill. Sig. Pietro Franceſchi.

N. H. ſ. Pietro Garzoni.

Reverendiſsimo Signor D. Giambatiſta Ghedini Pievano dell' Angelo Rafaele.

N. H.

N. H. f. Alvise Giustinian Lollin.
N. H. f. Gerolamo Ascanio Giustinian.
M. R. P. D. Nicolò Giustiniani Priore Cassinense.
N. H. f. Vicenzo Gradenigo secondo fu di mis. Vicenzo Proc.
N. H. f. Pietro Gradenigo fu di f. Giacomo.
M. R. P. D. Gianagostino Gradenigo Monaco Cassinense Lettor di Teologia.
N. H. f. Carlo Gradenigo.
Il Sig. D. Giambatista Granzotti.
Reverendiss. Sig. D. Simon Giuseppe Grassetti, Arciprete della Congregazione di S. Luca, e Pievano di S. Moisè.
N. H. f. Domenico Gritti fu de f. Marc' Antonio.
N. H. f. Gian Andrea Gritti, fu de f. Triadan.
Reverendiss. Pad. D. Giovanni Ipsi Abate Generale de' Camaldolesi.
Reverendiss. Signor D. Bartolameo Lanfranchi Pievano di S. Eustachio e Canonico Ducale.
N. H. f. Andrea da Lezze terzo K.
La Libreria de' PP. Reformati.
La Libreria della Casa Professa della Compagnia di Gesù.
La Libreria de' PP. di SS. Gio. Paulo.
La Libreria de' PP. della Certosa di Venez.
La Libreria de' Monaci Benedittini di S. Giorgio Maggiore.
M. R. Pad. Girolamo Lombardi della Compagnia di Gesù.
N. H. f. Zuanne Magno.
Monsignor Marco Mainardi Vicario di Monsig. Patriarca.
N. H. f. Alvise Co: Manin.
Reverendiss. Padre Abate Don Isidoro Manzoni de' Canonici Regolari di S. Salvatore.
Reverendiss. Sig. D. Giacomo Marchetti Canonico di San Marco e Pievano di S. Maria Mater Domini.
Reverendiss. Sig. D. Giovanni Marchioni Pievano della Maddalena.
M. R. Sig. D. Andrea Marcoleoni.
Reverendiss. Sig. D. Domenico Mazzoni Lettore dell' Instituta nell' Accademia de' Nobili.
Ill. Sig. Bassan Miles.
Rev. Sig. D. Antonio Mioni.
N. H. mis. Alvise Mocenigo K. e Proc.
N. H. f. Antonio Mocenigo K.
N. H. f. Marco Molin.
Reverendiss. D. Domenico Monelli Canonico di Castello.
Reverendiss. Signor D. Girolamo Moretti primo Prete di SS. Apostoli, ed Arciprete di S. M. Formosa.
N. H. mis. Barbon Morosini K. e Proc.
Ill. Sig. Abate Antonio Muazzo.
N. H. f. Bernardo Nani.
Reverendiss. Sig. D. Vettor Nogari, Vicario Monastico, e Pievano di S. Agostino.
Reverendiss. Signor D. Bartolomeo Novelli Arciprete della Congr. di S. Silvestro, Suddiacono Titolato in S. Angelo.
Reverendiss. Sig. D. Giambattista Orsini Pievano di S. Geminiano.
Molto Rev. Padre D. Agostino Orzalli C. R. T.
Reverendiss. P. Paulo Facciaudi C. R. T. Cav. Gerosolimitano, e Storico della sacra Religione di Malta.
Ill. Sig. Dottor Giovanni Paini.
Reverendiss. Sig. D. Clemente Petrobelli Pievano di S. Lio.
Reverendiss. Sig. D. Giuseppe Petrogalli Pievano di S. Maurizio, Canon. della Ducale di S. Marco, Protonotario Apostolico.
Ill. Sig. Lorenzo Pezzana.
M. R. Sig. Dott. D. Giuseppe Piacentini.
Ill. Sig. Gio: Antonio Pinelli.
N. H. f. Sebastian Pisani.
N. H. f. Francesco Pisani fu del Serenissimo.
Sig. Francesco Pitteri.
M. R. Sig. D. Antonio Pivato.
N. H. f. Bernardino Polani.
Ill. Sig. Andrea Poletti.
Reverendiss. Signor Don Antonio Poli, Pievano di S. Margherita, e Canonico Ducale.
Ill. Sig. Giacomo Benedetto Porri.
N. H. f. Ambroso Priuli.
N. H. f. Pietro Querini fu de f. Marchiò.
Reverendiss. Sig. D. Benedetto Rapetti Pievano di S. Maria Formosa.
Il Reverendiss. Sig. D. Bernardino Dottor da Re Pievano in S. Fantino.
Sig. Giambattista Recurti.
Sig. Giuseppe Remondini.

Sig.

Sig. Francesco Rigoni.
Ill. Sig. Abate Giacomo da Riva.
N. H. s. Z. Antonio Riva fu de s. Alvise.
Ill. Sig. Gabriel Rombenchi Console di Spagna e delle due Sicilie.
N. H. s. Francesco Rota fu de s. Gregorio.
N. D. Giulia Rota Monaca in S. Andrea.
Reverendiss. P. Abate D. Francesco Rota de' Monaci Cassinensi.
Ill. Sig. Co: Gianrinaldo Carli Rubbi.
M. R. P. Let. Bernardo Maria de Rubeis.
Reverendiss. Sig. D. Angelo Ruopelli Pievano in Santi Apostoli.
Ill. Sig. Angelo Sabini.
N. H. s. Alvise Sangiantoffetti fu de s. Benedetto.
Ill. Sig. Santario Santorio Segretario dell' Eccel. Senato.
N. H. s. Antonio Co: Savorgnan.
Ill. Sig. Medoro Segatti.
Reverendiss. P. Abate D. Giuseppe Serafini de Monaci Cistercienfi.
Illustriss. Sig. Giuseppe Smith Console di S. M. Britannica.
N. H. s. Zuanne Soranzo fu de miss. Francesco Proc.
Reverendiss. Sig. D. Giambatista Spreafighi Pievano in S. Geremia, e Protonotario Apostolico.
Reverendiss. Sig. D. Giandomenico Tamagnon Pievano in S. Canciano Can. Patriarc.
S. E. il Sig. Leopoldo Conte Tassis.
Sig. Tommaso Temanza Architetto ed Ingegnere della Sereniss. Repubblica di Venezia.
Reverendiss. Sig. D. Giambattista Toselli Pievano di S. Samuele.
Reverendiss. Sig. D. Bartolomeo Trevisan, Canonico della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di San Salvatore, e Pievano di SS. Ermagora, e Fortunato.
M. R. P. M. Giammaria Trocchi.
N. H. s. Antonio Vanaxel.
Il Pad. D. Francesco Vezelli Provinciale de' C. R. S.
Il Sig. Dottor Carlo Visconti.
Sig. Antonio Zanon.
M. R. P. Giuseppe Zauli della Compagnia di Gesù.

A D R I A.

Illustriss. e Reverendiss. Monsignor Vescovo Pellegrin Co. Ferro.

A N V E R S A.

Li RR. PP. Bollandisti.

B A V I E R A.

Il Sig. Giampaolo Gaspari.

B E R G A M O.

Reverendiss. Padre Abate Mazzoleni de' Cassinensi, Priore di S. Giacomo di Pontida.

B O L O G N A.

Ill. Sig. Francesco Argelati, per due.
Il M. R. P. Giambatista Giovanelli de' Preti dell' Oratorio.
Il Sig. Pompilio Lorenzo Co: Mitti.
S. Eccellenza il Sig. Francesco Co. Zambeccari.

B R E S C I A.

Reverendiss. P. D. Giambatista Lucchi Abate di S. Faustino.

CHIERIGNAGO.

Reverendiss. Sig. D. Vittorio Allegri Dottore, e Paroco di Chierignago.

C H I O G G I A.

Ill. e Reverendiss. Mons. Gianalberto Grandi Vescovo.

CIVIDAL DEL FRIULI.

La Libreria de' RR. PP. Domenicani Osservanti.

D R E S D A.

Il Sig. Giorgio Corrado Walther *per due*.

F I R E N Z E.

Ill. Sig. Preposto Gianfrancesco Geri.
Il Sig. Giuseppe Rigacci. *per due*
Il Sig. Giuseppe Bouchard.

GE-

GEMONA.

L'Ill. Sig. Arciprete Giuseppe Bini.

LIONE.

Sign. Fratelli de Tournes, per 4.

LIPSIA.

Sig. Giovanni Gledtisch, per sei.

LONDRA.

Ill. Sig. Houbly.

LUCCA.

Reverendiss. P. Giandomenico Mansi. per due

MILANO.

Ill. Sig. Segretario Filippo Argelati, *per sei*.

MURANO.

Reverendiss. Sig. D. Girolamo Calura Pievano in S. Donato di Murano.

La Libreria de' PP. Camaldolesi di S. Mattia di Murano.

NORIMBERGA.

Ill. Sig. Giovanni Baldassare Starch.

PADOVA.

Sua Eminenza il Sig. Cardinale Carlo Rezzonico Vescovo.

Ill. Sig. Abate Giovanni Brunacci.

La Libreria de' Monaci Cassinensi di S. Giustina.

La Libreria de' RR. PP. di Lispida della Congregazione del B. Pietro da Pisa Diocesi di Padova.

PARENZO.

Il Convento de' RR. PP. Domenicani Osservanti.

PESARO.

Illustriss. Sig. Annibale degli Abati Olivieri.

PISA.

Il M. R. P. Raimondo Adami P. P. e nell' Università di Pisa, e Provincial de' Servi di Maria.

PRAGLIA.

La Libreria de' Monaci Cassinensi.

RAVENNA.

La Libreria di Classe.

ROMA.

Il Sig. Gregorio Roisecco, *per tre*.

ROVIGO.

Ill. Sig. Lodovico Campo Canonico.

SALISBURGO.

M. R. P. D. Innocenzio Deixlperger Lettore di Teologia nell' Università di Salisburgo.

SIENA.

Reverendissimo P. M. Giampietro Maria Fanzelli Generale dell'Ordine de' Servi di Maria.

TORINO.

Ill. Sig. Abate D. Giuseppe Lucca Pasini Consiglier Reggio &c.

TREVISO.

Ill. e Reverendiss. Monf. Paulo Francesco Giustiniani Vescovo.

Ill. Sig. Canonico Bocchi.

Ill. Sig. Canonico degli Azzoni Avogaro.

UDINE.

Il M. R. Sig. D. Giandomenico Guerra.

VERONA.

Monsign. Ill. e Reverendiss. Giovanni Bragadin Vescovo.

Reverendiss. Sig. Canonico Arciprete Gianfrancesco Muselli. *per due*.

Ill. Sig. Co: Ottolino Ottolini. *per due*.


Ill. Sig. March. Scipione Maffei.

VICENZA.

Monsig. Illust. e Reverendiss. Antonio Priuli Vescovo.

Reverendiss. Sig. D. Francesco Dottor Bonomo Arciprete di Mason, Diocesi Padovana Territorio Vicentino.

Reverendiss. Sig. D. Antonio dal Sasso Paroco di Mura Territorio Vicentino.


3 2044 058 188 566



THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.



